ECCLESIA CATHOLICA

A NOVATORVM *CALVMNIIS, PER IVDICES OMNI EXCEPTIONE MAIORES,*

hoc est, ipsam sacram Scripturam, atque vnanimem S.S. Patrum consensum vindicata, & subnexis aduersariarum obiectionum solidis confutationibus sic illustrata, vt, quænam & vbi vera Ecclesia Christi, & econtra Synagoga Satanæ sit, cuiuis, nisi volens videre nolit, liquidissimò apparere possit.

TRACTATVS VALDE VTILIS, in gratiam eorum, qui non omni vento doctrinæ circumferri volunt, studiosè collectus & editus

A

MARTINO EISENGREIN, S.S. THEOLOGIÆ DOctore, Præposito veteris Oetingæ, & Academiæ Ingolstadiensis Procancellario.

Saluo per omnia S. Sedis Apostolicæ iudicio.

Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

INGOLSTADII EX TYPOGRAphia Dauidis Sartorij.

M. D. LXXVI.

Credo Sanctam Ec=
cleſiam Catholicam.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, Domino PHILIPPO Marchioni Badenſi & Comiti in Spanhaim &c. Domino ſuo Clementiſſimo.

CVM ſuperioribus annis, Princeps Illuſtriſsime, Sereniſsimus vtriuſque Bauariæ Dux Albertus &c. Illuſtriſsimam Tuam Celſitudinem ad celeberrimum hoc Ingolſtadienſe Gymnaſium, tanquam ad emporium quoddam & frequentem bonarum artium & omnis honeſtatis mercatum tranſmiſiſſet, vt cultum ingenij vberiorem poſſet capere; pro ſua, qua erga Illuſtriſsimam Tuam Celſitudinem afficitur, cura & ſolicitudine pluſquàm paterna, non ita multò pòſt id mihi impoſuit muneris, vt in iis, quę ad pietatem & fidem Catholicam pertinent, Illuſtriſsimam Tuam Celſitudinem inſtituerem. Qua quidem in re, id vnum mihi fuit cordi & curæ maximæ, vt

& Spartam, quæ mihi erat commiſſa, pro virium mearum modulo, quanta poſſem diligentia & fide, tuerer ornaremque, & piiſsimo ſanctiſsimoque Catholici Principis, de me optimè meriti, deſiderio ac voluntati, quantum in me foret, ſatisfacerē: Ea enim & ego tenebar ſpe, & res ipſa per ſe loquebatur, futurum omnino, vt hac mea qualicunque præſtita opera, non ſolùm in ipſammet Tuam Illuſtriſſ. Celſit. cuius ſalute meritò nihil mihi antiquius eſſe debet; verùm etiam in alias infinitas animas, quas Chriſtus agnus ille immaculatus, non corruptibilibus auro & argēto, ſed pretioſo ſuo ſanguine redemit, vberrimus redundaret fructus: Etenim cùm à Principibus innumeram ſubditorum multitudinem pendere, omnium conſtet iudicio; quis rerum tam imperitus ſit, vt neſciat, qui Principem docet, & optima quæque, primis ſtatim ab annis, teneri ipſius animo inſtillat, eundem non vnum tantùm inſtruere hominem, ſed innumeros, ſed oppida integra, ſed ciuitates, ſed prouincias & ditiones, quæ omnes vnum ſuum Principem intuentur, & ad eius exemplum ſeſe ita fingunt, vt quem ſibi Diuinitus datum & præfectum Ducem non falſò arbitrantur, ſi eius inſiſtant veſtigiis, ſeſe

1. Petri 1.

à recto

à recto tramite nequaquam aberrare posse, plerumque opinentur? Testatur hoc satis superque, & magno suo malo experitur infelix nostra Germania, per quam si quis oculos circumferat, profectò deprehendet, eam religionem (si modò omnia illa, & quidem sæpe portentosa execrandarum sectarum genera, in quę patriam nostram charissimam, miserandum in modum dissectam videmus, religionis vocabulo appellare fas est) plerunque vnamquamque prouinciam amplecti, cui Principē ac Dominum suum addictum videt.

Et reuera, Illustrissime Princeps, non infeliciter, gratia Christi, pia hæc cordis mei cogitatio succesit: Cùm enim in politioribus literis, sub Clarissimo viro, Domino Ioanne Lechelio, Iuris vtriusque Licentiato &c. Præceptore tuo optimè merito, præclara sanè fundamenta iecisses, & hoc nomine, pro annorum tuorum ratione, tantò magis idoneus auditor sacri huius studij accessisses; mirum est, quantopere breui temporis spatio in eo profeceris, & quàm magnam expectationem pietatis, eruditionis virtutísque, tam Præceptori tuo, quàm mihi moueris, ac non solùm egregie sustinueris, sed longè quoque viceris. Nolo quidem

ego hîc, neque etiam huius loci eſt, ſingulatim commemorare, quàm præclara, ſæpenumero, in hac ſacri exercitij noſtri palæſtra, generoſiſsimæ indolis tuæ, pietatis raræ & zeli pro domo Dei flagrantis ſpecimina edideris: Hoc tamen diſsimulare nequaquã poſſum, quòd præcipuas quaſdam materias Theologicas, maximè eas, quæ, hoc exulceratiſsimo ſeculo, à maleferiatis quibuſdam hominibus in controuerſiam vocantur, ſic perdidiceris, mentiſque impreſſeris tuæ, vt, quæ Catholicorum de iis vera & conſtans doctrina, & econtra eorum, qui ſe à nobis ſegregârũt, nuper natæ opiniones falſæ ſint, exactiùs, quàm ętatem iſtam ferre poſſe quis crederet, intelligere viſus fueris. Non parum certè aliquoties recreatus ſum & plurimum gauiſus in Domino, cùm mihi ſub perſona aduerſariorum Illuſtriſſ. Celſit. Tua more diſputantium, oppugnanti, non ſolùm rationem fidei, quæ in ipſa eſt, tam pulchrè & concinnè, verbisque modeſtis illis quidem, ſed grauitatem tamen Principe dignam & zelum ſingularem ſpirantibus reddere potuit; verùm etiam argumenta per me obiecta, ſophiſmata & cauillos, quibus Nouatores pernicioſa ſua dogmata, veluti fuco quodam ornare & tegere nituntur,

1. Pet. 3.

egregiè

egregiè dissoluit. Benedictus sit Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui tantum in Illustriss. Celsit. Tua operari dignatus est; tum, quæ bonitas ipsius est & immensa potentia, confirmet, quod benignè huc vsque operatus est, faxitque, vt cùm ipsamet rerum potietur & ad gubernacula Reipublicę ac ditionum suarum acceſſerit, eandem Illustrissimam Tuam Celsitudinem zelo pietatis prælucentem ac præeuntem, innumeri subditorum suorum sequantur: Id quod ego vnũ in votis habeo, & quotidianis meis precibus à Deo, Patre misericordiarum, flagitare nunquam desino.

Vtinam verò non votis tantùm & precibus, sed opere ipso quoque id promouere possem; certè in me neque operę, neque studij, neque laboris, neq; industriæ quicquam desiderari paterer. Sed nosti ipsemet, Illustrissime Princeps: Nosti inquam satis superque, & propriis oculis tuis aliquoties, cùm me decumbẽtem & cum morbo conflictantem, in ędibus meis propriis clementer inuisere dignatus es, dolenti animo afflictissimum valetudinis meę statum coràm aspexisti, quo, proh dolor, tam à seruitiis Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ, quàm ab aliis multis, quę fortè aliàs in Eccleſię Catholicæ

incolumitatem, Diuina ope adiutus, præſtare & poſſem & cuperem, magno animi mei dolore, vel inuitus abſtrahor. Clementer itaque dubio procul me, propter ineuitabilem hanc decumbendi neceſsitatem, qua me Dominus conſtrinxit, Illuſtriſsima Tua Celſitudo habebit excuſatum.

Quòd ſi autem eueniat fortaſsis (quod tamen ego nolim) vt ipſi ore ad os, de myſteriis fidei noſtræ Chriſtianę, loqui ac diſſerere ampliùs non liceat, operam certè Illuſtriſsima Tua Celſitudo ſedulam dabit, vt ea ſaltem, quę hactenus magna fidelitate explicata, ſæpius repetita, & diligentiſsimè inculcata, Illuſtriſsima Tua Celſitudo magna cum animi voluptate & attentione maxima ex me audiuit, nunquam ex animo ſuo elabi patiatur, ſed memoria teneat colatque perpetua. Spondeo certè tibi, Princeps Illuſtriſſime: Spondeo inquam, &, ſic Deum in extremo iudicio propitium experiar, certiſsimè promitto, plurimum hæc, Illuſtriſsimæ Celſitudini Tuę ad ęternam ſalutem conſequendam profutura, & regiam viam ad regnum cœlorum apertiſsimè demonſtratura: Orthodoxa enim ſunt, quæ docui omnia: Catholica ſunt: Ex ipſis ſacrarum literarum puris fontibus hauſta & petita ſunt: A piis

Maioribus

Maioribus nostris, iam cum Christo regnãtibus, ea omnia, tot succedentium ætatum serie, eodem planè modo, quo Illustris. Cel. T. me disserentem audiuit, intellecta, eodem modo explicata, literarum monumentis consignata, & tandem ad nos vsque quasi per manus tradita & perducta; non à me excogitata, non nuper nata sunt, mihi credat Illustris. Cel. Tua. Non fallo: Non fallo profectò eam, cuius salute nihil prius, nihil charius habeo; sed &, si res ita posceret, pro ea, quoduis discrimen, Christo vires suppeditante, adire non recusarem.

Huius meæ erga Illustris. Cel. T. deuotissimæ & constantis voluntatis qualemcunque significationem & quasi testimonium, humilimè eidem Tractatum hunc offero, quo materiam de Ecclesia Christi Catholica, Quadragesima præterita à me inchoatam, & per morbum ingraueſcentem interruptam, plenissimè sum complexus: Neque enim mihi diu multumque cogitanti alia occurrit via, qua ea, quæ ob viriũ imbecillitatem à me coràm præstari non potuerunt, quoquo modo compensari posse videantur. Quin & μνημόσυνον opportunius in promptu aliud habeo nullum, quo Illustris. Cel. Tuã, cui me totum, quantus quãtus sum;

tus ſum, iam dudum conſecraui, Muſarum caſtris valedicentem, & ad gubernacula ditionum ſuarum accedentem, proſequar, quàm hoc ipſum, ECCLESIAM ſcilicet CATHOLICAM. Hanc certè, præſenti hoc libello, per Iudices ab omni ira, odio, & id genus affectionibus longè alieniſsimos, adeoq; omni exceptione maiores, hoc eſt, ipſam SACRAM SCRIPTVRAM & vnanimem conſenſum PATRVM, à plurimis aduerſariorum calumniis, ſtrenuè per me vindicatam, dono: Hanc dedico: Hanc, quanta poſſum diligentia, præ omnibus aliis rebus Illuſtriſs. Cel. T. commendo: Huic enim qui adhæret, ei nihil profectò omnium eorum, quæ ad æternam animarum noſtrarum ſalutem pertinent, deeſſe poteſt; cùm huic diuitias ſanguinis ſui Chriſtus Dominus ac Redemptor noſter communicauerit affluentiſsimas, mortis ſuæ amaræ largiſsimis meritis illam locupletans.

Non igitur ingrato animo accipiet Illuſtriſs. Cel. T. nec aſpernabitur quantumuis exiguum hoc, ſi frontem ſpectes, & chartaceum tantùm munuſculum, cùm reuera in receſſu ingentem & pretioſum contineat theſaurum: Quin potiùs, pro pietate ſua, clementer, & obuiis, quod dicitur, vlnis, arripiet,

ripiet, leget, voluet & reuoluet, nec patietur volumen legis huius recedere ab ore ſuo, Ioſue. 1. ſed meditabitur in eo diebus ac noctibus: Hoc denique ſibi inſtar lectionum eſſe ſinet; & in eo, Eiſengreinium, abſentem licet corpore, quaſi præſentem tamen, ac viua voce ipſi loquentem, prælegentem, docentem, explicantem in animo ſuo finget.

Quòd ſi verò ex hoc ſcripti genere didicerit cognouerítque, hanc ipſam, quam in hoc Tractatu propugno, & nullam aliam, quocunque cenſeatur nomine, veram illam & vnicam eſſe Chriſti Eccleſiam, extra quam ſalutem nemo conſequi poteſt; veluti cuilibet lectori, affectibus non excęcato clariſsimum euaſurum, certò mihi polliceor; ipſa quoque Illuſtriſs. Cel. T. in hac Vna, Sancta, Catholica & Apoſtolica Eccleſia, in hoc veritatis aſylo, ſi modò inter varios huius ſeculi turbines, ad amæniſsimum æternitatis portum feliciter peruenire, adeóque & ſemetipſam & ſuos ſubditos exoptat ſaluare, vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſsimè perſeuerabit.

Et cur quæſo non perſeuerares, optime Princeps, cùm & antea abunde perſpectum habeas, & huius Tractatus lectio vberiùs apertiusque te doctura ſit, hanc reuera eam ipſam

ipſam eſſe ECCLESIAM, quæ nobis inter articulos fidei in Symbolo credenda proponitur? Quæ quaſi perenni & continuata tot ætatum ſerie, ad Apoſtolicam & legitimam Chriſti originem & fontem Euangelij, tramite veritatis indeclinabili, velut filo nos dirigit: Quæ ſtabili & conſtantiſsima veritate, de tam variis Hæreticorum proſtratis erroribus, triumphos egit ſemper, nec vlli vnquam perſecutorum tyrannidi victrix glorioſa ceſsit: Quæ Hæreticorum tentationibus vigilantior & doctior facta eſt; premi potuit, ſed nunquam opprimi: Quæ exordiis fuit ſtupenda, progreſſu inuariabilis, ſucceſsione continua: Quæ perſecutionibus creuit, morte ſuorum reuixit, ſanguine infinitorum Martyrum vegetior facta vicit, & anguſtiis afflicta, inter triſtes ſeculi hyemes, pulchrior refloruit: Quæ deniq; CATHOLICA & vbique ſparſa eſt, vſque ab Apoſtolica traduce, per legitimos Primates perpetuoſq; ſucceſſores deriuata, conſtanti conſenſu ſtabilita, columna & firmamentum veritatis, vrbs fortitudinis, Domus ſupra firmam petram à Domino extructa, nulli Satanicæ machinationi ceſſura: Quã Ethnici, Agareni, Turcæ, Iudæi, Schiſmatici, Hæretici, Latrones, Tyranni, Barbari, tam facilè

1. Tim. 3.
Eſaiæ. 26.

facilè perspexerunt: Super quam gloria Domini orta est, & lux in tenebris lucēs: Quam qui non audierit, velut Ethnicus & Publicanus Euangelio deputatur: Cuius iudicio Angeli stabunt: Cuius autoritate steterunt Euangelia: Pro cuius fide ipse orauit omniū Dominus, vt ne deficeret; & exauditus est pro sua reuerentia: Cui promisit pariter & misit Spiritum veritatis, vt maneat cum ea in æternum & doceat eam omnia: Extra quam postremò neminem viuificat Spiritus sanctus, neminem saluat Christus, neminem recipit cœlum: Hæc enim omnia & singula, inuitis etiam & reluctantibus inferorum portis, euidentissimis argumentis doceo, probo, euinco.

Esaiæ. 60. Matth. 18. Lucæ. 22. Hebr. 5. Ioan. 15. 16

In huius itaq; matris fidelissimæ gremio, Princeps Illustrissime, teneat Illustriss. Cel. Tuā cum D. Augustino, consensio populorū atque gentiū: Teneat ab ipsa SEDE PETRI Apostoli, cui pascendas oues suas, post resurrectionem suam, Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotū: Teneat ipsum CATHOLICAE nomen, quod non sine caussa, inter tam multas hæreses, sola obtinuit, vt cùm omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam

Aug. aduer. Epistolam Manichæi, quam fundamentivocant, cap. 4. Ioan. 21.

tholicam conueniatur, nullus Hæreticorum vel Baſilicam ſuam vel domum audeat oſtendere: Teneant quoque certiſsima ſigna, quę meridiano Sole clariùs hanc Chriſti Eccleſiam demonſtrant: Teneant inſuper inuicta argumenta, quibus doctrina hęc Catholicorum de ECCLESIA nititur: Teneant denique ſolutiones omnium friuolarum obiectionum & cauillorum, quibus Eccleſia à Nouatoribus petulantiſsimè impetitur, ſolidiſsimæ: Hæc enim omnia, à me ex variis & illuſtribus cùm veteribus, tum recentioribus Theologis, in gratiam Illuſtriſs. Cel. Tuæ magno certè ſtudio & induſtria collecta, hoç libello cõplexus ſum; &, ni fallor, tam dilucidè propoſui, vt vel cęco, quænam vera Chriſti Eccleſia, & econtra Synagoga Satanæ ſit, apparere poſsit. Sed & hoc ipſo nomine Illuſtriſs. Cel. Tuæ eundem libellum dedicare & inſcribere nõ dubitaui; humilimè orans atq; obſecrans, vt qualecunque hoc obſeruantiæ & deuotionis meæ erga Cel. Tuam monumentum clementer accipere, & nonnunquam à negotiis publicis reſpirans, lectione eius ſeipſam recreare ac in fide confirmare, tum etiam me, qua cœpit, clementia perpetuò proſequi velit. Ego certè viciſsim Deo Patri miſeri-

misericordiarum, vt Illustriss. Cel. Tuã subditis suis, & toti Reipub. Christianæ, quæ si vllo vnquam, hoc certè perturbatissimo tempore, maximè Principum Catholicorum patrocinio indiget, quàm diutissimè superstitem, ac in vtroque homine saluam & florentem conseruet, precibus meis quotidianis supplex fieri, nunquam desinam; eidem Illustriss. Cel. Tuæ me humilimè cõmendans. Datæ Ingolstadij ex ædibus nostris in vigilia Ascensionis Domini Anno M. D. LXXVI.

Illustriß. Cel. T.

Humilimus Deuot.
Sacellanus

Martinus Eisengrein S.
Theologiæ Doctor &c:

AD LECTOREM.

QVI veritatis Catholicæ ſtudioſus es, optime Lector, priuſquã opuſculum hoc noſtrum de Eccleſia percurrere legendo incipias, paucis te de Methodo, qua in ſcribendo ſum vſus, admonendum duxi, vt ea præcognita, expeditiùs pergere, & meliùs maioriſque cum fructu in lectione eius queas verſari. Initio igitur & quidem primo ſtatim capite, ſummam doctrinæ de Eccleſia Chriſti Catholica ſum complexus. Quia verò nec hæc ipſa Catholicorum doctrina, quemadmodum & alia præcipua Chriſtianæ fidei noſtræ capita, intacta à Nouatoribus manſit, quin à quibuſdam in quæſtionem vocaretur; ne perpetuò ancipites dubiiſque de ea fluctuare cogamur, proximè ſubſequentibus capitibus, Secundo, Tertio & Quarto, quæſtionem eam, iudicibus duobus, omni exceptione maiorib⁹, hoc eſt ipſi SACRAE SCRIPTVRAE, & VNANIMI omnium PATRVM CONSENSVI, qui ſacram ſcripturam dextrè ac verè ſunt interpretati, & quorum iudicio, ſine omni tergiuerſatione, vtraque pars meritò debet ſtare, diſcutiendam, iudicandam & definiendam committo. Eam itaque illi quæſtionem ita defi-

definiunt, vt quisquis mentis oculos aperire velit, nec in semel concepta opinione malitioſè pſiſtere, facili intelligat negotio; imò luce meridiana clariùs pſpiciat, vbi, & quænam vera ſit Chriſti Eccleſia, extra quam ſalus contingit nemini. Similiter & reliquis, quę ſubſequuntur, capitibus, vſq; ad calcem libri, omnia aduerſariorũ argumenta, quibus Eccleſiã ſolent oppugnare, in aciẽ producũtur, examinantur, & quàm ſolidiſsimè confutantur, vt prorſus lectori pio & veritatis ſtudioſo nihil, quod ad veram Dei Eccleſiã cognoſcendam pertinet, deeſſe videatur.

Cæterùm, quia ingenui eſt hominis, fateri, per quos profeceris, pleraq; hæc non ex propria penu, ſed ex doctiſsimis aliorũ Catholicorum, tam veterum quàm recentiorum Theologorũ ſcriptis à me deprompta, & in vſum Eccleſiæ collecta, liberè & ingenuè profiteor. Quæ cauſa etiam fuit, vt eorundem autorum nomina placeret ſubiicere, ne debito ſuo honore defraudarentur ij, quos ego vt Præceptores colo, vt Duces ſequor, vt Patres veneror, eorũq; ſcriptis, pro Eccleſiæ incolumitate, in publicum editis, non aliter, quàm filius hæreditate paterna, pro tuenda & aſſerenda hac Dei domo, liberè vtor.

AD LECTOREM.

Adiecturus eram ſingulis quoq; locis ge
nuinos ſuos autores; verùm illud te ſcire vo
lo, lector optime, quòd eorundem autorum
locos, huc tranſlatos, non ſemper integros
retinui, ſed libertate, quã in publica ſcript
omnibus eſſe puto, vſus, nonnunquam mu
tilaui, nonnunquam mutaui, adiiciendo ve
omittendo: Imò etiam de meo deprompt
ſcrinio non pauca ſæpe inſerui. Quædã præ
terea ex Germanica lingua in Latinum con
uerti ſermonem, vel ab aliis verſa editaq; in
meum vſum huc tranſtuli. Proinde non vi
debatur mihi operæ pretium, vt autoribu
ea in ſpecie aſcriberem, quæ ipſimet forſi
tan ita mutata, tranſpoſita, & alio quaſi cul
tu induta, faciemque à priore diuerſam re
ferentia nonnunquam, vix pro ſuis agnou
rint ampliùs. Sufficiat, quòd, per quos pro
fecerim, & quorum ſcriptis vſus ſim, publi
cè, non abſque honorifica nominis eorun
dem memoria, agnoſcam. Tu verò, Catho
lice lector, iis omnibus ad propriam plu
morumque aliorum ſalutem fruere, & pre
ces pro me & omnibus iis, quorum ope
& laboribus me adiutum eſſe, ſequens
Catalogus docebit, arden-
ter funde.

CATALO

CATALOGVS VETERVM ET RECENTIVM THEOLOGORVM, ex quibus Tractatus ille de Ecclesia collectus & depromptus est.

Ambrosius.
Anacletus Pontifex Maximus.
Augustinus.
Ambrosius Spiera.
Albertus Magnus.
Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis.
Albertus Pighius Campensis.
Alphonsus à Castro Zamorensis.
Alphonsus Pisanus, Societatis Iesu Theologus.
Basilius Magnus.
Bernhardus.
Bartholomæus Latomus.

Chryſoſtomus.
Clemens Alexandrinus.
Cyprianus.
Conradus Clingius.
Durandus de S. Portiano.
Franciſcus Horantius.
Fridericus Staphylus.
Gregorius.
Gabriel Biël.
Gaſparus Schazgerus.
Hieronymus.
Hilarius.
Hieronymus Seripandius.
Irenæus.
Ioannes Gerſon.
Ioannes à Dauantria.
Ioannes de Turrecremata.
Ioannes Driedon à Turnhout.

Ioan-

Ioãnes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis.
Ioannes Gaſparus Rutlandùs.
Ioannes Heſſelius.
Iodocus Raueſteyn Tiletanus.
Martinus Eiſengrein Tractatus huius autor.
Melchior Canus.
Michaël Medina.
Michaël Benzius.
Origenes.
Petrus Lombardus.
Petrus Aliacus.
Stanislaus Hoſius.
Thomas Aquinas.
Vuilhelmus Lindanus Dordracenſis.

Caput primum

Summã Doctrinæ Catholicæ de Ecclesia Christi complectitur. fol. 1.

Caput secundum

Tractat, quísnam verus ac legitimus huius doctrinę & controuersiæ de Ecclesia, Iudex sit. fol. 3.

Caput tertium

Loca S. Scripturæ, quibus doctrina Catholicorũ de Ecclesia Christi nititur, commemorat. fol. 9.

Caput quartum

Recitat consensum Sanctorum Patrum & veterũ Doctorũ, secundùm normam eorum, quę proximè præcedenti capite tertio adductæ sunt: tum aliarum quoq; Scripturarum de Ecclesia Christi Catholica, nõ in cuiusquam gratiã vel odium, sed liberè & ingenuè, prout intellexerunt, sententias suas proferentium. fol. 25.

Caput

Caput quintum

Obiectiones aduersariorũ contra Ecclesiam Christi in genere, & earundem solutiones cõtinet. f. 74.

Caput sextum

Obiectiones aduersariorum contra hanc Catholicorum doctrinam, quòd Ecclesia sit visibilis, & earundẽ Solutiones complectitur. fol. 102.

Caput septimum

Obiectiones aduersariorũ contra doctrinam Catholicam, de signis Ecclesiæ, & earundem Solutiones continet. fol. 123.

Caput octauum

Obiectiones aduersariorũ contra vnitatem Ecclesiæ, & earundem Solutiones complectitur. fol. 133.

Caput nonum

Obiectiones aduersariorũ contra Sanctitatem Ecclesiæ, earumq; Solutiones tractat. fol. 205.

Caput

Caput decimum

Obiectiones aduersariorũ contra Catholicam Ecclesiam & fidem, earumq; Solutiones cõprehẽdit. f. 242.

Caput vndecimum

Obiectiones aduersariorũ, cõtra hanc doctrinam Catholicorũ, quòd Ecclesia Apostolica & ordinaria in ea successio Sacerdotum sit, earundemq; Solutiones continet. f. 259.

Caput duodecimum

Obiectiones aduersariorũ contra Ecclesię Catholicę durationẽ, stabilitatem & antiquitatem, earundémque Solutiones complectitur. f. 290.

Caput decimumtertium

Obiectiones aduersariorum contra Ecclesiæ autoritatem, earumq; Solutiones tractat. fol. 320.

Caput decimumquartum

Obiectiones aduersariorum contra Ecclesiæ potestatẽ, & earundem Solutiones continet. fol. 345.

CAPVT I.

SVMMA DOCTRINÆ CATHOLICAE DE ECCLESIA Christi.

QVOTQVOT *sunt in toto Orbe terrarum verè Christiani, credunt ac vno ore confitentur omnes, vnam esse Ecclesiam, hoc est, congregationem omnium hominum, in vera fide & cultu vnius Dei, ab ipso seculi initio vsque ad finem, licet in diuersis statibus, conuenientium.* Ecclesia quæ nam sit.

Non solum enim à tempore præsentiæ corporalis Christi & Apostolorum eius, sed ab ipso Adamo protoplasto cœpit Ecclesia, atque ad nos vsque peruenit, ita vt cùm ortu tum diuturnitate par ipsi mundo sit & æqualis, neque, vt reliqui conuentus hominum, murorum ambitu quodam circumscribatur, ac ne regionis quidem alicuius finibus terminetur; sed ab ortu Solis vsque ad occasum sit laudabile nomen Domini. Antiquitas Ecclesiæ. Psal. 112.

Sumpsit igitur initium simul cum orbe condito, duratura vsque ad finem orbis eiusdem: Fundauit enim Deus in æternum, qui dixit: Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Et alio loco: Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Psal. 47. Matth. 28. Luc. 21.

Cæterùm hæc Ecclesia hoc tempore solùm inuenitur apud eos, qui Christi fidem tenent, & secundùm eã Ecclesia visibilis.

Deum colunt, quorum etiam est visibilis congregatio, pro qua Dei filius, hominis natura suscepta, cuncta & fecit & pertulit. Eamq; profitentur primùm vnam esse & consentientem in fide fideiq; doctrina & administratione Sacramentorum: Quæq; sub vno capite suo Christo, vnoque vices eius in terris gerente Pontifice maximo regatur ac in vnitate cõseruetur, vt id ipsum dicant, id ipsum sentiant, idem sapiant omnes, atque vnanimes vno ore honorificent Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi: Licet enim ex multis constet Ecclesiis, quæ tamen omnes vna sunt Ecclesia; licet etiam per orbem vniuersum longe lateq; diffusa, linguarumq; & morum in ea sit magna diuersitas; eosdem tamen ritus, easdem vbiq; seruat ceremonias, quinc & lingua non nisi vna & eadem, nimirum Latina, sacrificia peragit, laudesq; Deo decantat, vt, si quis etiã ab extremo orbe veniat homo Christianis, esse ibi tor vnum, animam vnam, Spiritum vnum, intelligat: Est enim terra vnius labij, vnus in ea Christus adoratur, vna denique regula veritatis obseruatur.

Ecclesia vna.

Philip. 2.

Gen. 11.

Actor. 4.

Hanc illius vnitatem significauit inconsutilis illa Christi tunica, quam, qui Christum crucifixerunt milites, non scindendam, sed iuxta id, quod prædixerat Propheta, sortem super eam mittendam esse censuerunt. Hanc significauit vna illa domus, in qua comedebatur agnus, qui figura fuit agni illius incontaminati Christi, ab origine mundi occisi. Hanc expressit

Ioan. 19.

Psal. 21.

Exod. 12.

Apocal. 13.

Ephes. 4.

Apostolus

Apostolus, cùm dixit: Vnum corpus, vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.

Deinde hanc Ecclesiam sanctam quoque esse prædicant, non quòd in ea soli iusti sint & sancti: (Cùm enim à vocatione nomen ducat, multiq; sint vocati, pauci verò electi; certum est, æquè in ea peccatores ac iustos, æquè malos ac bonos esse) sed quòd per Spiritum sanctum à Christo vsque sanctificatur, vt sancti homines & sanctæ leges nunquã in illa desint, nec vllus extra huius consortium sanctitatis particeps esse possit. Ecclesia sancta. Matth. 22, Luc. 3.

Tertiò esse Catholicam, id est, vniuersalem, adeò vt per orbem longè lateq; diffusa omnes omnium temporum locorum ac nationũ homines, qui modò in Christi fide ac doctrina conueniunt, vno quasi materno sinu excipiat, concludat ac saluet. Ecclesia Catholica.

Quartò credunt quoque & profitentur, Ecclesiam esse Apostolicam, non quòd excludant Patriarchas & Prophetas: (Neque enim ab Apostolis, quemadmodum antea dictum est, verùm ab ipso, Adam siue filio eius Abel exordium sumpsit Ecclesia, quæ ædificata est super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Et quod Apostoli factum esse prædicauerunt, id Prophetæ futurum prædixerunt) sed quòd in ea, & doctrina Apostolorum & legitima est Episcoporum successio à temporibus Apostolorum ad hæc nostra vsque deducta. Ecclesia Apostolica. Ephesi. 2.

Huius quoque Ecclesiæ fidem non posse deficere credunt, cùm sit sponsa Christi per fidem, sicut scriptũ Fidei constãtia in Ecclesia.

Osee 2. est: Despondabo te mihi in fide: Si enim Ecclesiæ fides deesset, iam sponsi sponsæq; matrimonium dubio procul dirimeretur, quorum tamen est indissolubilis perpetuaq; coniunctio: Sponsabo, ait, te mihi in sempiternum. Et sponsa: Tenui, inquit, eum, nec dimittam. Et ille rursum: Ecce ego vobiscum sum, ait, omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Idem quoq; ostenditur ex eo: Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Si ergo in æternum Ecclesia, Christi manu sustinetur, Christi præsidio armatur, Christi virtute fulcitur, Christi sapientia regitur, fides profectò in ea permanebit, sine qua regnum Christi in terris nullum est, nec vnquam in credendo errare poterit, vt, quicquid ipsa tanquam fidei dogma tenet, dubio procul verum sit, nec quicquam falsum, quod illa aut credit, aut docet esse credendum: Cùm enim corpus Christi sit, vt ad Ephesios docet Apostolus, à suo certè capite mouetur ac regitur. Ecclesia igitur error ad Christum autorem referetur. Nullo itaque pacto errare in fide potest: Nam spiritus veritatis est huius corporis anima; vnus, inquit, spiritus & vnum corpus. Quòd si spiritu veritatis Ecclesia agitur, ad nullum errorem, ne inscius quidem, moueri poterit, non solùm antiqua, sed ne illa quidem, quæ nunc est, quæue futura est, vsq; ad consummationem seculi. Ideoq; etiam instinctu Spiritus sancti, filiis suis leges, ad quarum præscriptum vitam & actiones instituere debent, præscribit, inobedientesq; & rebelles iure

Cant. 2.

Matt. vlt.

Luc. 1.

Ecclesia nõ errat in fide.

Ephes. 5.

Ephes. 4.

Ecclesia filiis suis leges præscribit.

iere suo punit, & tanquam putrida membra, à corpore suo, si expedire iudicat, tandem resecat, & è communione fidelium eiicit; vnde etiam excommunicati dicuntur, quòd neque Christi, neque sanctorum cum eis vlla merita communicantur: Est enim in Ecclesia Catholica sanctorum communio, extra quam, sicut extra Noë arcam, certum quidem exitium, nulla verò salus mortalibus expectanda: Non Iudæis aut Ethnicis, qui fidem Ecclesiæ nunquam receperunt: Non hæreticis, qui receptam deseruerunt vel corruperunt: Non schismaticis, qui pacem & vnitatem Ecclesiæ reliquerunt: Postremò neque excommunicatis, qui, qualibet alia graui de caussa, id meruerunt, vt ab Ecclesiæ corpore, ceu perniciosa quædam membra, præscinderentur ac separarentur.

Ecclesia inobedientes punit & excõmunicat.

Extra Ecclesiam non est salus.

Atque istiusmodi omnes, quoniam ad Ecclesiam eiusq; sanctam communionem non pertinent, diuinæ gratiæ & salutis æternæ non possunt esse participes, nisi Ecclesiæ, à qua suo illi vitio sunt semel auulsi, primùm reconcilientur atque restituantur.

CAPVT II.

TRACTAT, QVISNAM VErus ac legitimus huius doctrinæ & controuersiæ de Ecclesia iudex sit.

CVM aduersarij religionis Catholicæ, doctrinam hanc nostram de Ecclesia Christi, proximo capite explicatam, non solùm non agnoscant, verùm etiam in plerisq; capitibus acerrimè oppugnent: (Nam & vnitatem eius & sanctitatem, tum etiam quòd Catholica, Apostolica & visibilis sit, pluraq; alia, quæ hîc iterum enumerando percẽsere, non est operæ pretium, incredibili pertinacia negant) Necessariò profectò nobis iudex aliquis, ab ira, odio, amicitia omniq; affectione longè remotus, vt neutri parti iure merito suspectus esse queat, quærendus erit, qui hanc litem dirimat, & ne, arundinum instar, omni vento doctrinæ circumferamur, perpetuò fluctuantes ac incerti Catholicarúmne doctrinæ, an aduersariorum opinioni, adhærendũ sit, omni nos dubio liberet. Is autem Iudex huius & aliarum, quæ inter Catholicos et aduersarios, à multis retro annis, acerrimis contentionibus agitantur, controuersiarum alius nec iustior, nec vtriq; parti minùs suspectus constitui poterit, ipsa sacra scriptura: Hæc enim est diuinitus inspirata, neque voluntate humana allata est aliquando prophetia,

Iudex non suspectus cõtrouersię de Ecclesia.

Matth. 11.

prophetia; sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. 2. Timot 3. 2. Petri 1.

Quamobrem adeò firmiter habuit persuasum semper Ecclesia, nihil scriptura neque verius esse neque certius, vt, & quæ auribus audiuntur, & quæ oculis videntur, & quæ manibus contrectantur, ea non æquè certa iudicet, atque illa, quæ in scripturis continentur. Sacra scriptura index cõtrouersiæ de Ecclesia.

Hinc est, quòd in venerabili Eucharistiæ Sacramento non oculis fidelium quisquam, non gustui, non tactui credit; sed credit verbo Dei dicentis: Hoc est corpus meum. Sacræ scripturæ certitudo. Matth. 26.

Dicat Zuinglius, dicat Oecolampadius, dicat Caluinus. Hoc significat corpus meum, aut hæc est figura corporis mei; non credit Ecclesia, nisi Christo in Euangelio dicenti: Hoc est corpus meum. Tanta est apud illam scripturæ certitudo. Cælum & terram transitura citiùs crediderit, quàm vt vel hæc, vel alia quæuis illius verba pessum ire queant. Luc. 21.

Sed quin è scriptura, quæ ipsa vera est & certa, falsus elici sensus queat, quis est, qui ire inficias audeat, cùm de iis ipsis tribus verbis hoc ipsum factum esse infelici hoc æuo nostro videamus? Scripturæ sensus ab hæreticis deprauatur.

Nam cùm planam, apertam atque omnibus expositam scripturam esse velint, sicut certè in iis verbis vel ipsa luce clarior est, modò captiuet aliquis intellectum suum in obsequium Christi; 2. Cor. 10.

tamen inter ipsos etiam Zuinglianos decem sectas de tribus his verbis natas esse, testatur nostri temporis Hæreseon architectus: Luth. lib. 1. cõtra Zuinglium.

Non quòd certum sensum ex eis pridem Ecclesia non

elicuerit; sed quòd non defuerint, quibus non placerent nisi singulares intellectus. Sic certè à Cyrillo scriptum legimus, quòd omnes hæretici de scriptura diuinitus inspirata sui colligunt erroris occasiones, ea, quæ à sancto Spiritu rectè dicta sunt, sua malitia corrumpentes, & super sua capita flammam inextinguibilem excitantes.

Cyril. Epistol. 28.

Augustinus quoque non aliunde natas esse dicit hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi cùm scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter asseritur. Quam etiam ob caussam hæreticos Ambrosius ita describendos esse putauit: Hæretici, inquit, hi sunt, qui, per verba legis, legem impugnant: Propriũ enim sensum verbis adstruunt legis, vt prauitatem mentis suæ, legis autoritate commendent: Sciens enim impietas, autoritatem multum valere, fallaciam sub nomine eius componit, vt quia res mala per semetipsam acceptabilis esse non potest, bono nomine commendetur: Qui fuerunt in Carthaginensi Concilio, quod erat per Agrippinum congregatum, cùm, quod dant hæretici & schismatici, non esse verum baptisma, dicerent, an id in scripturis sanctis vbiq; declaratum esse non affirmabant, expressoq; Dei verbo sententiam suam sibi probasse visi sunt? Quæ tamen Ecclesiæ autoritate postea fuit exposa.

Aug. Tract. 18. in Ioannem.

Ambros. in caput 3. ad Titum.

Vincentius Lirinẽsis in lib. ad Constantium.

Sed Vincentium Lirinensem ea de re loquentem audiamus:

audiamus: Tanta, inqt, in Patrib⁹ illis ingenij vis adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus adſertorum numer⁹, tanta veri ſimilitudo, tãta diuinæ legis oracula, ſed planè nouo ac malo more intellecta, vt mihi omnis illa conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe videatur, niſi ſola tanti moliminis cauſſa, ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudata nouitatis ꝓfeſſio deſtituiſſet. Nõ igitur illi diuinæ legis oraculis, ſed eorum vero ſenſu fuerunt deſtituti. Quamobrẽ rectè monet Hilari⁹: Memento, neminem hæreticorũ eſſe, qui ſe non ſecundùm ſcripturas prædicare ea, quæ blaſphemat, mentiatur: Hinc enim Marcion verbum Dei, cùm legit, neſcit: Hinc Photinus hominem Ieſum Chriſtum, cùm loquitur, ignorat: Hinc & Sabellius, dum, quòd ego & Pater vnum ſumus, non intelligit, ſine Deo Patre & ſine Deo filio eſt: Hinc & Montanus per inſanas fœminas ſuas paracletum alium defendit: Hinc & Manichæus & Marcion legem odit, quia litera occidit, & mundi Princeps Diabolus eſt. Omnes ſcripturas ſine ſenſu loquuntur, & fidem ſine fide prætendunt: Scripturæ enim non in legendo ſunt, ſed in intelligendo; non in præuaricatione, ſed in charitate. Quem ſecutus Hieronymus contra Luciferianos ſcribens: Neq; ſibi blandiantur, inquit, ſi de ſcripturarum capitulis videntur ſibi affirmare, quod dicunt; cùm & Diabolus de ſcripturis aliqua ſit locutus, & ſcripturæ non in legendo conſiſtant, ſed in intelligendo.

Hila. in lib. ad Conſtantium.

Cùm igitur conſtet, nullum fere fuiſſe vnquam

hæreticorum, qui suum errorem scripturis non confirmaret, quiq; suam opinionem Dei verbum non esse diceret, adeoq; secundùm Hilarium de intelligentia hæresis sit, non de scriptura; sensus, non sermo fiat crimen; scriptura quidem huius & aliarum fidei controuersiarum iudex esto. Verùm ne ipse suspectus fortè iudex videri possit, néue iudicium fallax timeatur, ea lege iudex sit, ne ipsius certa, Orthodoxa & Catholica interpretatio, in qua nec plùs nec minùs verum esse possit, quàm est in ipso scripto textu diuini verbi, negligatur: Etsi enim scriptura nihil sanctius, nihil augustius, nihil secundùm Deum omni veneratione dignius; in confesso tamen est, non semper eorum ora, qui diuinæ legis oracula proferunt, Deum aperire. Annotauit hoc doctissimus Origenes, quòd non rarò qui Dei verba loquuntur, eorum ora Diabolus aperiat, eò quod nihil possit esse tam sanctum, quo non, in perniciem hominum, humani generis hostis abutatur. Magna certè esset, & haud scio, an non extrema impudentia, scriptum diuini verbi textum velle solum recipere, & Orthodoxum eius Catholicumq; intellectũ reijcere, τὸ ῥητὸν duntaxat vrgere, τῶν διανοιῶν deserere: Solum scripturæ textum, qui per se occidens litera est, admittere; legitimum verò sensum, qui est viuificans spiritus, repudiare.

Hilar. lib. 2. de Trinit.

Qua lege scriptura controuersiarum fidei iudex sit.

Origenes hom. 3. in Exod.

Quæ scripturę interpretatio pro vera & Orthodoxa sit habenda.

Cùm ergo Catholici sec⁹, quàm Confessionistæ, & hi vicissim secus, quàm illi scripturam interpretentur; hi rectiorem, magisq; Orthodoxum & Catholicũ sensum pro-

sum protulisse censendi sunt, qui suam possint Catholicam esse & Apostolicam demonstrare, hoc est, ab Apostolis profectam esse, ab horum successoribus acceptam, traditamq; vicissim continua successione, & propagatã in vniuerso orbe Christianorũ, ad nosq; peruenisse incolumem, euidenter euincere; illi contra deteriorem planeq; adulterinam, qui suam scripturæ interpretationem nec ad Apostolos reuoluere queant, nec demonstrare, esse Catholicam.

Exempli gratia, sit hæc iam in Concilio tractanda cum nouis Arrianis quæstio, vtrùm Christus verè Dei filius sit, planeq; ὁμοούσιος Patri, an non sit. Hoc vnũ negent Arriani, affirment Catholici, Arrianiq; dictum Christi proferant: Pater me maior est; Catholici illud: Ego & Pater vnum sumus; cumq; suum allegatum vtriq; interpretentur, sed neutri ita vt alteri, hi aliter, illi secus; quid ad dijudicationem huius litis, Dei verbum faciat? Vtrobiq; expressum est, neutri repudiant, rectèq; ἐν τῷ ῥήτῳ habere, vtriq; palàm confitentur. Qua de re controuertunt igitur? Non, mediusfidius, de textu; sed de Orthodoxo textus sensu: Non περὶ τὸ ῥητὸν, sed περὶ τὸν σκόπον. Nonne hoc & diuino verbo consentaneum est, & humanæ rationi accõmodatum, eum de allegatis scripturæ locis intellectum germanum legitimumq; esse statuere, qui quòd ab Apostolis traditus sit, & vbiq; gentium receptus atq; vsurpatus, potest euinci? Omnes certè Catholici sic credunt ac statuunt, nec ab hac

Arrianorũ contentio cum Catholicis de filio Dei.

hac sententia ipsorum summus Imperator Theodosius abhorruit tum, cùm de eadem ista quæstione eũ ipsum Catholicum scripturæ sacræ intellectum iudicem controuersiis legit & secutus est.

Libet autem ex Socrate totam rei gestæ historiam proferre: Verum est enim, quod dixit Sapiens: Nihil sub Sole nouum; nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: Iam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos. Itaq; nec hæreses istæ, quæ nunc Ecclesiæ Dei tantum exhibẽt negotij, nouæ sunt, cùm eas ante mille & ampliùs annos confutatas videre liceat; nec est ita deploratus nostrorum temporum status, quin fuerit etiam olim deploratior, præcipuè quibus temporibus Arriana viguit impietas, quæ tam longè tamq; latè grassata fuerat, vt non iam intra pòpulares homines sese contineret, sed ipsos etiam Ecclesiarum antistites implacabilibus odiis committeret, nec ipsis etiã Imperatoribus, & eorum aulis intactis. In hoc itaq; rerum statu fuisse, scribit Socrates, Catholicum Imperatorem Theodosium, qui tota mente in eam curam incubuerat, vt motus, in caussa religionis, concitati tranquillari, omneq; non opinionum magis quàm animorum dissidium ex Ecclesia tolli, atq; optata illi pax & tranquillitas restitui posset. Quamobrem congregata Synodo, Nectarium Episcopum accersit, consilium ab eo sibi dari postulat, quemadmodum effici queat, vt sedatis procellis & tempestatibus, quibus tum Ecclesiæ nauis vehementer iactabatur & agitabatur,

Eccles. 1.

Arriana hęresis quàm latè olim grassata fuerit.

Socra. lib. 5. cap. 10. Eccles. hist.

Historia Theodosij Imperatoris; quomodo is motus religionis, suo tẽpore excitatos, sedarit.

tabatur, ad optatum tandem aliquando quietis portum peruenire liceret: Sibi quidem videri, non alia via commodiùs id fieri posse, quàm si quæstiones & controuersiæ, quæ motibus istis excitandis causſam dedissent, diligentiùs excussæ forent. Hæc posteaquàm audiuit ex Imperatore Nectarius, cumprimis anxius & solicitus, cum Agellio primùm, deinde cum Sisinnio rem communicat. Erat Sisinnius egregia quadam dicendi facultate & minimè vulgari sacrarum literarum cognitione præditus; huc accesserat ingenium solers, & rerum vsus & experientia, quam fuerat non mediocrem consequutus. Itaq; facilè perspiciebat, disputationes nõ modò nihil ad sanandos motus istos momenti allaturas; verùm illud effecturas potiùs, vt res in maiorem contentionem exiret. Quapropter hoc Nectario dat consilium, vt omni ope contendat & elaboret, ne disputare sit necesse, sed priscorum tantùm interpretationes in medium producantur, quibus prolatis, quærat ex hæresiarchis Imperator, quo loco, quóue numero Doctores illos habeant, quorũ nomina, quàm longè lateq; patet Christianus orbis, cumprimis celebria semper fuerunt, nunquid ad Ecclesiam eos pertinere putent, an tanquam alienos à fide Christiana reijciendos censeant. Quòd si, inquit, tanquam alienos reiecerint, audeant igitur eos anathemate damnare: Quòd si ausi fuerint, statim à multitudine profligabũtur. Sin autem priscos Doctores minimè se reprobare testati fuerint, nostrum erit, libros eorum proferre, quo-

Disputationũ cum hæreticis fructus.

Doctores veteres Ecclesiæ iudices controuersiarum fidei.

quorum testimonio doctrina nostra confirmatur.

Hoc Sisinnij consilium Nectario probabatur. Itaq; nihil cunctat⁹, ad aulam properat, Imperatori rem exponit: Is cupidè rem amplexus, accitis hæresiarchis, percunctatur ex illis: An aliquam eorum Doctorum Ecclesiæ habeant rationem, qui præcesserant ipsorum hæresin; num probandos eos, an reijciendos censeant. Illi cùm, quorsum iret Imperator, nescirent, non alio loco, quàm quo suos Præceptores eos habere se, responderunt. Quærit rursus Imperator: Num eos tanquam fide dignos Christiani dogmatis testes recipere velint? Tum primùm olfecerunt illi, quid sibi vellet hæc Imperatoris interrogatio: Cumq; aliter alij erga veterum libros essent animati, ortum est inter eos dissidium, cùm alij recipiendos, alij minimè recipiendos esse censerent. Atque ita quorum hactenus una tantùm fuerat hæresis, hi iam non à Catholicis magis, à quibus discesserant, quàm ipsi à se ipsis dissentire cæperunt. Sic eorum concors improbitas (inquit Socrates) haud aliter quàm veterum olim Gigantum lingua, dispersa; simul turris eorum improbitatis est euersa.

Stratagema Catholicũ, quo Imperator Theodosius hæreticos sui temporis confudit & vicit.

Vel ex hac historia videre licet, minimè nouum esse, quod Christiani, quoties aliqua, de fide nostra Christiana, dubia quæstio excitata fuit, ad sacram scripturam quidem, verum in eo sensu, quo eam sancti Patres à temporibus Apostolorum vsq; sibi inuicem succedentes, vnanimi consensu interpretati sunt, liben-

Catholici quomodo sacram scripturam iudicẽ cõtrouersiarũ fidei agnoscant.

libenter prouocârint: Inter hos enim, si quæ res ardiæ fuerunt ad religionem nostram pertinentes, adeò nulla fuit de illis, qui à malè feriatis quibusdam hominibus, etiam ipsorum tempore, in dubium vocati fuerunt, articulis controuersia; vt cùm ijsdem plerique temporibus vixerint, ac maximis locorum interuallis disiuncti & distracti fuerint, haud aliter tamen scriptam suam de illis sententiã ad posteros transmiserint, quàm si vno in loco de ijsdem collatis sententijs, vnum idemq; sensisse & quasi conspirasse viderentur. Quæ vel sola res documento nobis esse potest, illos ab eo magistro, qui facit vnanimes in domo sua habitare, quæ scripserunt, excepisse; vt nulli sit pio dubitandum, hoc sensisse Spiritum sanctum, quod illos esse legimus interpretatos, præsertim quoties in vnam aliqua de re sententiam conueniunt omnes: Nam vt labi singuli tanquam homines potuerint, certè si quid à pluribus receptum & vsu totius Ecclesiæ postea fuit approbatum, in eo labi eos potuisse credendum non est.

Patrum & Doctorum Ecclesiæ vnitas & cõsensus in scripturis interpretandis.

Psal. 67.

Patres an labi potuerint.

In hac itaq; controuersa materia DE ECCLESIA, & quoties aliqua de re ambigitur, ad quos alios quàm ad iudices istos omni exceptione maiores, SACRAM videlicet SCRIPTVRAM & fideles eius interpretes, VETERES PATRES, à temporibus Apostolorum vsque sibi inuicem succedentes, rectiùs prouocabimus? Ad scripturam certè, Christus ipse Iudæis inquiens:

Scripturæ vnanimiter per Patres explicatæ, est iudex cõtrouersiarũ fidei.

Ioan. 5. *quiens: Scrutamini scripturas, in quibus putatis vos vitam habere, & illæ sunt, quæ testantur de me.* Eccli. 4. *Ecclesiasticus verò inquiens: Non te prætereat narratio Seniorũ: Ipsi enim didicerunt à Patribus suis; quoniã ab ipsis disces intellectũ & in tempore necessitatis dare responsum; ad sanctos Patres & veteres Doctores nos remittit, quorum iam inde à mille & amplius annis, in vniuersa Ecclesia maxima semper fuit autoritas, quam illis non doctrina magis excellens, quàm admirabilis quædam vitæ sanctimònia comparauit: Si enim in illis cum eruditione certabat integritas, neutra vt alteri concedere velle videretur. Si quibus causſa est iudicio disceptanda, nònne tales dari sibi iudices optant, qui suæ voluntatis non in hanc magis quàm in alteram partẽ inclinatione propendeant, nec vel odium aliquod, vel amorem erga alterutram pars ferãt? Quòd affectiones istæ plerunq; in causſa sunt vt illis mens hominis impedita, quid verum sit, haud facilè perspiciat. Qui possunt autem alij reperiri magis ab omnibus hoc genus affectionibꝰ remoti, quàm fuerunt sancti Patres nostri, qui, cùm ante tot secula mortalem hanc vitam cum beata illa & immortali cõmutauerint, literarum monumenta reliquerunt, in quibus testatas & consignatas animorum sententias de rebus hodie controuersis ad nos transmiserunt, nihil vel gratiæ, vel odio tribuentes, cùm tanto seculorum interuallo, inter quos hæc esset futura disceptatio, scien-*

Patrum autoritas in controuersis dogmatibus.

Patres & Doctores Ecclesiæ iudices esse controuersiarum non dediros affectibus.

tium

tum non potuerint? Hos igitur si duces sequemur, nunquam aberrabimus: Horum iudicio si causſam nostram permittemus, dictum ac factum, eam, quam quærimus, & pro qua pugnare videmur, & æquitatem & veritatem inueniemus.

Hos itaq; non secundùm humani acumen ingenij, aut ex naturæ vi, rationeq; scientiæ, sed sobriè, secundùm normam ipsius sacræ scripturæ diuinitus reuelatæ, quæ Catholicè & bene intellecta, dubio procul, omnium fidei controuersiarum iudex legitimus est, cuius etiam testimonia iam statim subiicientur, sententias suas DE ECCLESIA CATHOLICA proferentes, ordine audiamus, vt verè instituti, eidem nos (cùm extra ipsam nemini salus contingat) relictis hæreticorum conciliabulis & Satanæ Synagoga, coniungere, ac in ea, vitæ huius cursu, gratia Christi, piè & feliciter confecto, gaudia Regni cœlestis consequi mereamur: Amen.

CAPVT III.

LOCA SACRÆ SCRIPTVRÆ, quibus doctrina Catholicorum de Eccleſia Chriſti nititur.

Geneſ. 7. ET deleuit Deus omnem ſubſtantiã, quæ erat ſuper terram, ab homine vſque ad pecus tam reptile, quàm volucres cœli; & deleta ſunt de terra; remanſit autem ſolus Noë, & qui cum eo erant in arca.

Geneſ. 22. Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris; poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.

Exod. 19. Mea eſt enim terra omnis: Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta.

Numer. 12. Reſpondit Dominus: Si Pater eius ſpuiſſet in faciem eius, nonne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? Separetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſtea reuocabitur. Excluſa eſt itaque Maria extra caſtra ſeptem diebus; & populus non eſt motus de loco illo, donec reuocata eſt Maria.

Numer. 19. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima il-

ma illius de medio Ecclesiæ ; quia sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus.

Cur eduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem, Numer. 20.
vt & nos & nostra iumenta moriamur?

Si difficile & ambiguum apud te iudicium es- Deuter. 17.
se prospexeris inter sanguinem & sanguinem, caus-
sam & caussam, lepram & lepram; & iudicium in-
ter portas tuas videris verba variari; surge &
ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus
tuus, veniensq; ad Sacerdotes Leuitici generis, &
ad iudicem, qui fuerit illo tempore; quæresq; ab eis,
qui indicabunt tibi iudicij veritatem; & facies, quod-
cunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Do-
minus, & docuerint te iuxta legem eius, sequêrisq;
sententiam eorum: Nec declinabis ad dexteram, ne-
que ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obe-
dire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat
Domino Deo tuo; ex decreto iudicis morietur ho-
mo ille, & auferes malum de Israël; cunctusque po-
pulus audiens timebit, vt nullus deinceps intume-
scat superbia.

Non ingredietur Manzer, hoc est de scor- Deuter. 23.
to natus, in Ecclesiam DOMINI, vsque ad
decimam generationem. Ammonites & Moabi-
tes etiam post decimam generationem non intra-

bunt Eccleſiam Domini in æternum: Quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via, quando egreſſi eſtis de Ægypto.

Deuter. 23. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt; nec Ægyptium, quia aduena fuiſti in terra eius. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in Eccleſiam Domini.

Ioſue. 2. Patrem tuum ac matrem, fratresq; & omnem cognationem tuam congregaueris in domum tuam.

Iudic. 20. Egreſſi itaque ſunt omnes filij Iſraël, & pariter congregati, quaſi vir vnus, de Dan vſque Berſabee & terra Galaad ad Dominũ in Maſpha; omnes quoque anguli populorum, & cunctæ tribus Iſraël in Eccleſiam populi Dei conuenerunt quadraginta millia peditum pugnatorum.

1. Reg. 11. Inuaſit ergo timor Domini populum, & egreſſi ſunt, quaſi vir vnus.

1. Reg. 17. Et nouerit vniuerſa Eccleſia hæc, quia non in gladio, nec in haſta ſaluat Dominus.

2. Reg. 7. Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum.

3. Reg. 8. Conuertítque Rex faciem ſuam & benedixit omni Eccleſiæ Iſraël: Omnis enim Eccleſia Iſraël ſtabat.

3. Reg. 8. Stetit autem Salomon ante Altare Domini in conſpectu Eccleſiæ Iſraël; & expandit manus ſuas in cælum.

Stetit

Stetit ergo, & benedixit omni Ecclesiæ Israël voce magna, dicens: Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israël, iuxta omnia, quæ locutus est. 3. Reg. 8.

Et statuam eum in domo mea, & in regno meo vsque in sempiternum, & thronus eius erit firmissimus in perpetuum. 1. Paral. 17.

Ipse ædificabit domum nomini meo; & ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in Patrem, firmaboq; solium regni eius super Israël in æternum. 1. Paral. 22.

Et firmabo regnum eius vsque in æternum, si perseueraueris facere præcepta mea & iudicia, sicut & hodie. 1. Paral. 28.

Locutusq; est Dauid ad omnem Ecclesiam. 1. Paral. 29.

Præcepit autem Dauid vniuersæ Ecclesiæ: Benedicite Domino Deo nostro. Et benedixit omnis Ecclesia Domino Deo Patrum suorum. 1. Paral. 29.

Altare quoque æneum, quod fabricatus fuerat Beseleel filius Vri filij Hur, ibi erat coram tabernaculo Domini; quod & requisiuit Salomon & omnis Ecclesia. 2. Paral. 1.

Fecit ergo Salomon solennitatem in tempore illo septem diebus, & omnis Israël cum eo, Ecclesia magna valde. 2. Paral. 7.

Tu quoque si ambulaueris coram me, sicut ambulauerat Dauid Pater tuus, & feceris iuxta omnia, quæ præcepi tibi, & iustitias meas iudiciaq; seruaueris: Eodem.

ueris ; ſuſcitabo thronum regni tui ; ſicut pollicitus ſum Dauid Patri tuo, dicens : Non auferetur de ſtirpe tua vir, qui non ſit Princeps in Iſraël.

2. Eſdræ. 8. *Fecit ergo vniuerſa Eccleſia eorum, qui rediérunt de captiuitate, tabernacula, & habitauerunt in tabernaculis.*

2. Eſdr. 13. *In die autem illo lectum eſt in volumine Moyſi, audiente populo ; & inuentum eſt ſcriptum in eo, quòd non debeant introire Ammonites & Moabites in Eccleſiam Dei, vſque in æternum, eò quod non occurrerint filijs cum pane & aqua. &c.*

Thob. 13. *Magnus es Domine in æternum, & in omnia ſecula regnum tuum ; quoniam tu flagellas & ſeruas ; deducis ad inferos & reducis ; & non eſt, qui effugiat manum tuam.*

Eodem. *Benedictus Dominus qui exaltauit eam, vt ſit regnum eius in ſecula ſeculorum ſuper eam.*

Iudith. 6. *Poſtea verò conuocatus eſt omnis pōpulus, & per totam noctem intra Eccleſiam orauerunt, petentes auxilium à Deo Iſraël.*

Iudith. 7. *Et cùm hæc dixiſſent, factus eſt fletus & vlulatus magnus in Eccleſia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum.*

Pſalm. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Pſalm. 21. *Apud te laus mea in Eccleſia magna, vota mea reddam in conſpectu timentium te.*

Narra-

Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te. Eodem.

Pes enim meus stetit in directo; in Ecclesiis benedicam te Domine. Psalm. 25.

Confitebor tibi in Ecclesia magna; in populo graui laudabo te. Psalm. 34.

Annuntiaui iustitiam tuam in Ecclesia magna. Psalm. 39.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum; & in seculum seculi. Psalm. 44.

Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei; sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Psalm. 45.

Circumdate Sion, & complectimini eam, quoniam hic est Deus noster in seculum, ipse reget nos in secula. Psalm. 47.

Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis ciuitas Regis magni. Eodem.

Deus in loco sancto suo; qui habitare facit vnius moris in domo. Psalm. 67.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino. Eodem.

Vt quid Deus repulisti in finem, iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ? Psalm. 73.

Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ confitebimur tibi in seculum, in generationem & generationem annuntiabimus laudem tuam. Psalm. 78.

Et thronus Christi sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum; & testis in cælo fidelis. Psalm. 88.

Disposui testamentum electis meis, iuraui Da- Eodem.

uid ſeruo meo, vſque in æternum præparabo ſemen tuum.

Eodem. *Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine; etenim veritatem tuam in Eccleſia Sanctorum.*

Pſalm. 99. *Scitote, quoniam Dominus ipſe eſt Deus; ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Populus eius & oues paſcuæ eius; introite portas eius in confeſſione, atria eius in Hymnis; confitemini illi, laudate nomen eius, quoniam ſuauis eſt Dominus: &c.*

Pſalm. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ; vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

Pſalm. 102. *Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam; & regnum ipſius omnibus dominabitur.*

Pſalm. 106. *Et exaltent eum in Eccleſia plebis; & in cathedra ſeniorum laudent eum.*

Eodem. *Et deduxit eos in viam rectam, vt irent in ciuitatem habitationis.*

Eodem. *Et collocauit illic eſurientes, & conſtituerunt ciuitatem habitationis.*

Eodem. *Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo; viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.*

Pſalm. 112. *A Solis ortu vſque ad occaſum, laudabile nomen Domini.*

Pſalm. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.*

Pſalm. 126. *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.*

Sæpe

Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea; dicat nunc Israël: Sæpe expugnauerunt me à iuuẽtute mea; etenim non potuerunt mihi &c. Psal. 128.

Cantate Domino canticum nouum; laus eius in Ecclesia sanctorum. Psal. 149.

Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam? Prouerb. 5.

Penè fui in omni malo, in medio Ecclesiæ et Synagogæ. Prouer. 18.

Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma; & iudicia, quasi vectes vrbium.

Sapientia cõfortauit sapientem, super decem Principes ciuitatis. Eccles. 7.

Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num, quem diligit anima mea, vidisti? &c. Cant. 3.

Tenui eum, nec dimittam. Eodem.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Cantic. 4.

Hortus conclusus, soror mea sponsa; hortus conclusus, fons signatus. Eodem.

Vna est columba mea; perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Cantic. 6.

Terribilis, vt castrorum acies ordinata. Eodem.

Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini; quoniam dextera sua teget eos, & in brachio sancto suo defendet illos. Sapient. 5.

Propter hoc optaui, & datus est mihi sensus; & inuocaui, & venit in me Spiritus sapiẽtiæ; & præposui Sapient. 7.

illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius.

Sapient. 10. Hæc autem profugum iræ fratris iustum deduxit per vias, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum, honestauit illum in laboribus, et complenit labores illius.

Eccli. 3. Filij sapientiæ Ecclesia iustorum; & natio illorũ, obedientia & dilectio.

Eccli. 15. Et in medio Ecclesiæ aperiet os eius, & implebit illum Spiritu sapientiæ & intellectus, & stola gloriæ vestiet illum.

Eccli. 21. Os prudentis quæritur in Ecclesia, & verba illius cogitabunt in cordibus suis.

Eccli. 24. Sapientia laudabit animam suam, & in Deo honorabitur, & in medio populi sui gloriabitur, & in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum.

Ecoli. 31. Et Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.

Eccli. 33. Audite me magnati, & omnes populi, & Rectores Ecclesiæ auribus percipite.

Eccli. 38. Et non inhabitabunt, nec inambulabunt, et in Ecclesiam non transilient.

Eccli. 39. Sapientiam eius enarrabunt Gentes, & laudem eius enuntiabit Ecclesia.

Eccli. 44. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia.

Isaiæ 1. Et restituã Iudices tuos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos, sicut antiquitus; post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis. Et

Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles; & fluent ad eum omnes gentes. Isaiæ 2.

Multiplicabitur eius Imperium, & pacis non erit finis; super solium Dauid, & super regnum eius sedebit; vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia ammodò & vsq; in sempiternum: Zelus Domini exercituum faciet hoc. Isaiæ 9.

Non nocebunt et non occident in vniuerso monte sancto meo; quia repleta est scientia Domini, sicut aquæ maris operientes. Isaiæ 11.

Super hoc laudabit te populus fortis; ciuitas Gentium robustarum timebit te. Isaiæ 25.

Respice Sion ciuitatem solennitatis nostræ. Isaiæ 33.

Ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam; ipse ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet. Isaiæ 45.

Ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis; & semen tuum Gẽtes hæreditabit, et ciuitates desertas inhabitabit. Noli timere; quia non confundêris, neq; erubesces. Isaiæ 54.

Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, ammodò & vsque in sempiternum. Isaiæ 59.

Surge, illumināre Ierusalem; quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Isaiæ 60.

Gens

Eodem. *Gens enim et regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit; & gentes ſolitudine vaſtabuntur.*

Eodem. *Et venient ad te filij eorum curui, qui humiliauerunt te, et adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini, Sion ſancti Iſraël.*

Iſaiæ 61. *Et ſcietur in gentibus ſemen eorū, & germen eorum in medio populorū; omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos; quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.*

Eodem. *Et ædificabunt deſerta à ſeculo, & ruinas antiquas erigent, & inſtaurabunt ciuitates deſertas & diſſipatas in generationem & generationem.*

Iſaiæ. 62. *Et vocabunt eos Populus ſanctus, redempti à Domino: Tu autem vocaberis quæſita ciuitas, & non derelicta.*

Eodem. *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.*

Ierem. 4. *Annuntiate in Iuda & in Ieruſalem auditum facite; loquimini & canite tuba in terra; clamate fortiter, & dicite: Congregamini, & ingrediamur ciuitates munitas, leuate ſignum in Sion.*

Ierem. 17. *Solium gloriæ altitudinis à principio, locus ſanctificationis noſtræ.*

Ierem. 23. *Væ paſtoribus, qui diſperdunt & dilacerant gregem paſcuæ meæ; dicit Dominus.*

Ierem. 24. *Et dabo eis cor, vt ſciant me, quia ego ſum Dominus, & erunt mihi in populū, & ego ero eis in Deum, quia reuertentur ad me in toto corde ſuo.*

Ha

Hæc dicit Dominus: Ecce, ego conuertam conuersionem tabernaculorum Iacob, & testis eius miserebor; & ædificabitur ciuitas in excelso suo, & templum iuxta ordinem suum fundabitur. Ierem. 30.

Ecce dies venient, dicit Dominus; & ædificabitur ciuitas Domino à turre Hananeel, vsque ad portam anguli. Ierem. 31.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & seminabo domum Israël, & domum Iuda semine hominum, & semine iumentorum. Eodem.

Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies & non in tempore suo: Et pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius, & Leuitæ & Sacerdotes ministri mei. Ierem. 33.

10 D. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius; quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam. Threnorum 1.

Et dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum; & auferam cor lapideum in carne eorum, & dabo eis cor carneum. Ezech. 11.

Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ homines estis; & ego Dominus Deus vester; dicit Dominus Deus. Ezech. 34.

Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas; & ipse erit eis in pastorem. Eodem.

Et pastor vnus erit omnium eorum, in iudiciis meis Ezech. 37.

meis ambulabunt, & mandata mea cuſtodient, & fa-
cient ea.

Daniel 2. In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.

Oſee 2. Deſponſabo te mihi in fide.

Ibidem. Sponſabo te mihi in ſempiternum.

Ioël 2. Congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, congregate ſenes, congregate paruulos & ſugentes vbera

Amos 9. Et conuertam captiuitatem populi mei Iſraël; & ædificabunt ciuitates deſertas & inhabitabunt; & plantabunt vineas, & bibent vinum earum; & facient hortos, & comedent fructus eorum.

Micheæ 2. Congregatione cõgregabo Iacob totum te; in vnum conducam reliquias Iſraël; pariter ponam illum quaſi gregem in ouili; quaſi pecus in medio caularum tuarum tuabuntur à multitudine hominum.

Micheæ 4. Et erit in nouiſſimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles; & fluent ad eum populi.

1. Macha. 2. Caleb dum teſtificatur in Eccleſia, accepit hæreditatem.

1. Macha. 3. Et audiuit Seron princeps exercitus Syriæ, quia congregauit Iudas congregationem fidelium & Eccleſiam ſecum.

1. Macha. 4. Et ſtatuit Iudas & fratres eius & vniuerſa Eccleſia

clesia Israël, vt agatur dies dedicationis altaris in tẽporibus suis.

Vt audiuit autẽ Iudas & populus sermones istos, 1. Macha. 5.
conuenit Ecclesia magna cogitare, quid facerent fratribus suis, qui in tribulatione erant. (rusalem.

Et lectæ sunt literæ in conspectu Ecclesiæ in Hie- 1. Mach. 14.

Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi Matth. 5.
supra montem posita &c.

Cui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, Ibidem.
& docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum; qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

Non veni soluere legem, sed adimplere. Ibidem.

Simile factum est regnum cælorum homini, qui se- Matth. 13.
minat bonum semen in agro suo. (regni.

Ager aũt est mundus; bonũ verò semen hi sunt filij Eodem.

Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburun- Ibidem.
tur; sic erit in consummatione seculi; mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala & eos, qui faciunt iniquitatem; & mittent in caminum ignis.

Et tibi dabo claues regni cælorũ. Et quodcunq; li- Matth. 16.
gaueris super terrã, erit ligatum & in cælis: Et quodcunq; solueris super terram, erit solutum et in cælis.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Ibidem.
Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.

In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Matth. 18.
Quis, putas, maior est in regno cælorũ? Ideo

Ibidem. *Ideo aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini re-*
gi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis.

Eodem. *Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: Si autem non*
Eccleſiam audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Pu-
blicanus.

Ibidem. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corrip-*
eum inter te, & ipſum ſolum: Si te audierit, lucratus
eris fratrem tuum: Si autem te non audierit, adhib
tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel
trium teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi non audi-
rit eos, dic Eccleſiæ: Si autem non Eccleſiam audier
ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.

Matth. 20. *Simile eſt regnum cœlorum homini patrifamili*
qui exiit primo mane conducere operarios in vi-
neam ſuam.

Matth. 21. *Dicit illis Ieſus: Amen dico vobis, quia publi-*
ni & meretrices præcedent vos in regno Dei.

Matth. 22. *Simile factum eſt regnum cœlorum homini re*
qui fecit nuptias filio ſuo: Et miſit ſeruos ſuos voca
inuitatos ad nuptias; & nolebant venire.

Matth. 24. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni, in vni-*
uerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus; & tu
veniet conſummatio.

Matth. 26. *Tunc ſimile erit regnum cœlorum decem virgi-*
bus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuia
ſponſo & ſponſæ.

Quinque autem ex eis erant fatuæ; & quinq
prudentes.

Et ex

Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Matth. 28.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Ibidem.

Postquàm autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei, et dicens: Quoniam impletũ est tempus, & appropinquauit regnum Dei; pœnitemini, & credite Euangelio. Marc. 1.

Et dicebat: Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, et dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille. Marc. 4.

Euntes in mundũ vniuersum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ: Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Marc. 16.

Regnabit in domo Iacob in æternum, et regni eius non erit finis. Luc. 1.

Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio; sed supra candelabrum, vt, qui ingrediuntur lumen videant. Luc. 11.

Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cũ esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Ibidem.

Amen dico vobis, quia non peribit generatio hæc, donec omnia fiant: Cœlum & terra transibunt; verba autem mea non transibunt. Luc. 21.

Luc. 24. *Sic oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mõr-tuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœniten-tiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, in-cipientibus ab Hieroſolyma.*

Ioan. 3. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret; vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Ioan. 4. *Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: Ipſi enim audiuimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Saluator mundi.*

Ioan. 6. *Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro; & iam cum illo nõ ambulabant. Dixit ergo Ieſus ad duo-decim: Nunquid & vos vultis abire?*

Ioan. 8. *Iterum ergo locutus eſt eis Ieſus, dicens: Ego ſum lux mundi: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.*

Ioan. 10. *Amen, Amen dico vobis: Qui non intrat per oſtiũ in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.*

Ibidem. *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili; & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.*

Ioan. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò: Cùm autem venerit ille Spiritus veri-tatis, docebit vos omnem veritatem.*

Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non*

videt

videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, qui apud vos manebit, & in vobis erit.

Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. Ioan. 17.

Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me; vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, & vt ipsi in nobis vnum sint; vt credat mundus, quia tu me misisti. Ibidem.

Et eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Iudæa & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ. Actor. 1.

Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur vnusquisq; vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorũ vestrorũ; & accipietis donũ Spiritus sancti. Actor. 2.

Erant autem perseuerãtes in doctrina Apostolorũ, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Ibidem.

Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna; nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia. Actor. 4.

Et factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & in omnes, qui audierunt hæc. Actor. 5.

Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis. Actor. 8.

Saulus autem deuastabat Ecclesiam. Eodem.

Ecclesia quidem per totam Iudæam & Galilæam & Samariam habebat pacem. Actor. 9.

Parentibus autem illis, cecidit super eum mentis Actor. 10.

exceſſus; & vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnũ, quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentia terræ, & volatilia cœli.

Eodem. *Hoc autem factum eſt per ter: Et ſtatim receptum eſt vas in cœlum.*

Actor. 11. *Peruenit autem ſermo ad aures Eccleſiæ, quæ erat Hieroſolymis.*

Eodem. *Et annum totum conuerſati ſunt ibi in Eccleſia.*

Actor. 12. *Eodem autẽ tempore miſit Herodes Rex magnus, vt affligeret quoſdam de Eccleſia.*

Ibidem. *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.*

Actor. 13. *Erant autẽ in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores.*

Actor. 14. *Et cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, et oraſſent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.*

Eodem. *Cùm autem veniſſent, et congregaſſent Eccleſiam, retulerunt, quanta feciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet Gentibus oſtium fidei.*

Actor. 15. *Viſum eſt enim Spiritui ſancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, et ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos, bene agetis.*

Ibidem. *Facta ergo ſeditione non minima Paulo et Barnabæ aduerſus illos, ſtatuerunt, vt aſcenderent Paulus*

&

& Barnabas, & quidam alij ex aliis ad Apoſtolos & Presbyteros in Hieruſalem, ſuper hac quæſtione.

Illi ergo deducti ab Eccleſia, pertranſibant Phœnicem et Samariam, narrantes conuerſionem Gentium. Ibidem.

Cùm autem veniſſent Hieroſolymã, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & ab Apoſtolis & Senioribus, annuntiantes, quanta Deus feciſſet cum illis. Ibidem.

Tunc placuit Apoſtolis & Senioribus cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam. Eodem.

Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias. Eodem.

Et Eccleſiæ quidem confirmabantur fide, et abundabant numero quotidie. Actor. 16.

Et deſcendens Cæſaream, aſcendit & ſalutauit Eccleſiam, & deſcendit Antiochiam. Actor. 18.

Erat enim Eccleſia confuſa; & plures neſciebant, qua ex cauſſa conueniſſent. Actor. 19.

Si quid autem alterius rei quæritis, in legitima Eccleſia poterit abſolui. Ibidem.

Et cùm hæc dixiſſet, dimiſit Eccleſiam. Eodem.

A Mileto autem mittens Epheſum, vocauit maiores natu Eccleſiæ, qui cùm veniſſent ad eum, & ſimul eſſent, dixit eis &c. Actor. 20.

Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiã Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Eodem.

Primùm quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis; quia fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo. Rom. 1.

Rom. 10. *Nõ eſt enim diſtinctio Iudæi & Græci: Nã idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illũ.*

Rom. 12. *Sicut enim in vno corpore multa mẽbra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent: Ita multi ſumus vnum corpus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra.*

Rom. 15. *Quæcunq; enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt; vt per patientiam et conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus.*

Eodem. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Id ipſum inuicem ſentientes.*

Eodem. *Vt ab Hieraſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti.*

Rom. 16. *Commendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris, vt eam ſuſcipiatis in Domino dignè ſanctis, & aßiſtatis ei, in quocunq; negotio veſtrî indiguerit: Etenim ipſa quoq; aſtitit multis, & mihi ipſi. Salutate Priſcam & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu (qui pro anima mea ſuas ceruices poſuerunt, quibus non ſolus ego gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ Gentium) & domeſticam Eccleſiam eorum.*

Eodem. *Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti.*

Eodem. *Salutat vos Caiꝰ hoſpes meꝰ et vniuerſa Eccleſia.*

1. Cor. 1. *Paulus vocatus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, et Soſthenes frater; Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Ieſu, vocatis ſanctis, cum omnibus, qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, in omni loco ipſorum et noſtro.*

Fideli

Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatẽ filij Eodem.
eius Iesu Christi Domini nostri.

Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, Eodem.
præter id, quod positum est; quod est Christus Iesus.

Timotheus vos cõmonefaciet vias meas, quæ sunt 1. Cor. 4.
in Christo Iesu, sicut vbiq; in omni Ecclesia doceo.

Secularia igitur iudicia si habueritis; contẽptibiles 1. Cor. 6.
qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.

Sine offensione estote Iudæis, et Gẽtibus, et Ecclesiæ 1. Cor. 10.
Dei; sicut ego per omnia omnibus placeo, nõ quærens,
quod mihi vtile est, sed quod multis; vt salui fiant.

Quoniam vnus panis, et vnũ corpus multi sumus, Eodem.
omnes, qui de vno pane et de vno calice participamus.

Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem 1. Cor. 11.
consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei.

Sicut enim corpus vnũ est, & membra habet mul- 1. Cor. 12.
ta; omnia autem membra corporis cùm sint multa,
vnum tamen corpus sunt; ita & Christus: Etenim in
vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati su-
mus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi; &
omnes in vno Spiritu potati sumus.

Honesta autem nostra nullius egent; sed Deus tẽ- Eodem.
perauit corpus, ei cui deerat abundantiorem tribuen-
do honorem; vt non sit schisma in corpore, sed id ipsum
pro inuicem solicita sint membra &c. (bro &c.

Vos autem estis corpus Christi, & membra de mẽ- Eodem.

Et quosd. m quidem posuit Deus in Ecclesia pri- Eodem.
mùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores,
deinde virtutes, eximde gratias curationum, opitula-

tiones, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.

1. Cor. 14. *Non enim diſſenſionis Deus, ſed pacis; ſicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo.*

Eodem. *Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat; qui autem prophetat, Eccleſiam Dei ædificat.*

Eodem. *Nam maior eſt, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis; niſi fortè interpretetur, vt Eccleſia ædificationem accipiat.*

Eodem. *Sic & vos, quoniam æmulatores eſtis ſpirituum, ad ædificationem Eccleſiæ quærite vt abundetis.*

Eodem. *Sed in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, vt & alios inſtruam.*

Eodem. *Si ergo conueniat vniuerſa Eccleſia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ & infideles; nonne, dicent, quòd inſanitis?*

1. Cor. 15. *Ego enim ſum minimus Apoſtolorũ, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus; quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.*

1. Cor. 16. *De collectis autem, quæ fiunt in ſanctis, ſicut ordinaui in Eccleſia Galatiæ, ita & vos facite.*

Ibidem. *Cognoſcite ergo, qui eiuſmodi ſunt. Salutant vos omnes Eccleſiæ Aſiæ: Salutant vos in Domino multum, Aquila & Priſcilla cum domeſtica ſua Eccleſia, apud quos & hoſpitor.*

2. Cor. 1. *Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatẽ Dei, & Timotheus frater, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, cum omnibus ſanctis, qui ſunt in vniuerſa Achia.*

Notam

Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ eſt in Eccleſiis Macedoniæ, quòd in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipſorum fuit, & altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum &c. 2. Corin. 8

Miſimus etiam cum illo fratrem noſtrum, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias; non ſolùm autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ. Eodem.

Miſimus autem cum illis & fratrem noſtrum, quem probauimus in multis ſæpe ſolicitum eſſe; nunc autem multò ſolicitiorem, confidentia multa in vos, ſiue pro Tito, qui & ſocius meus & in vobis adiutor, ſiue fratres noſtri Apoſtoli Eccleſiarum, gloria Chriſti. Eodem.

Oſtenſionem ergo, quæ eſt charitatis veſtræ & noſtræ gloriæ pro vobis, in illos oſtendite in facie Eccleſiarum. Eodem.

Alias Eccleſias expoliaui, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum. 2. Cor. 11.

Præter illa, quæ extrinſecus ſunt; inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Ibidem.

Quid eſt enim, quod minus habuiſtis præ cæteris Eccleſiis; niſi quòd ego ipſe non grauaui vos? &c. 2. Cor. 12.

Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neq; per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitat eum à mortuis, & qui mecum ſunt omnes fratres; Eccleſiis Galatiæ. Galat. 1.

Ibidem. *Audiſtis enim conuerſationem meam aliquando in Iudaiſmo; quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator exiſtens paternarũ meorum traditionum.*

Ibidem. *Eram autem ignotus facie Eccleſiis Iudææ, quæ erant in Chriſto; tantùm autem auditum habebant: Quoniã qui perſequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat; & in me clarificabant Deum.*

1. Epheſ. 1. *Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.*

2. Epheſ. 2. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans; vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.*

3. Epheſ. 3. *Mihi enim omnium ſanctorum minimo, data eſt gratia hæc, in Gentibus Euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramẽti abſconditi à ſeculis in Deo, qui omnia creauit; vt innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus, per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei, ſecundùm præfinitionem ſeculorũ, quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Ei autem

Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabun- Ibidem.
danter quàm petimus aut intelligimus, ſecundùm virtutem, quæ operatur in nobis; ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Ieſu in omnes generationes ſeculi ſeculorum. Amen.

Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt 1. Epheſ. 4.
dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum humilitate & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus ſpiritus; ſicut & vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ.

Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam Eodem.
autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorũ in opus miniſterij, in ædificationẽ corporis Chriſti; donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput, Chriſtus; Eodem.
ex quo totum corpus compactũ & connexũ per omnẽ iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationẽ in menſuram vniuſcuiusq; membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.

Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino; 1. Epheſ. 5.
quoniam vir caput eſt mulieris; ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.

Ipſe, Saluator corporis eius; ſed ſicut Eccleſia ſub- Eodem.
iecta eſt Chriſto; ita & mulieres viris ſuis in omnib⁹.

Viri

Eodem. *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea.*

Eodem. *Vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; ſed vt ſit ſancta & immaculata.*

Eodem. *Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit; ſed nutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam, quia membra ſumus corporis eius, de carne eius & de oſſibus eius.*

Eodem. *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

1.Philip. 1. *Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri (ſemper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens) ſuper communicatione veſtra in Euangelio Chriſti, à prima die vſque nunc.*

1.Philip. 2. *Si qua conſolatio in Chriſto, ſi qua ſocietas in Chriſto, implete gaudium meum, vt id ipſum ſentientes, eandem charitatem habentes, vnanimes id ipſum ſentientes.*

1.Philip. 3. *Si quis alius videtur confidere in carne; ego magis, circumciſus octauo die, ex genere Iſraël, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundùm legem Phariſæus, ſecundùm æmulationem perſequens Eccleſiam Dei, ſecundùm iuſtitiam, quæ in lege eſt, conuerſatus ſine querela.*

1.Philip. 4. *Scitis autem & vos Philippenſes, quòd in principio*

pio Euangelij, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli; quia & Thessalonicam semel & bis in vsum mihi misistis.

Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine; qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem. 1. Colos. 1

Gratias agimus Deo & Patri Domini nostri Iesu Christi semper pro vobis, orantes; audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem, quam habetis in sanctos omnes, propter spem, quæ reposita est vobis in cœlis, quam audistis in verbo veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat, & crescit, sicut in vobis, ex ea die, qua audistis & cognouistis gratiam Dei in veritate. Eodem.

Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis; vt sit in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare; & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Eodem.

Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia; cuius factus sum ego minister secundùm dispensationem Dei, quæ data est mihi in vobis, vt impleam verbum Dei &c. Eodem.

Super

7. Coloſ. 3. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis; & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in vno corpore; & grati eſtote.*

1. Coloſ. 4. *Salutate fratres, qui ſunt Laodiciæ; & Nymphã, & quæ in domo eius eſt, Eccleſiam.*

Ibidem. *Et cùm lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite vt in Laodicenſiũ Eccleſia legatur; & ea, quæ Laodicenſium eſt, vobis legatur.*

1. Theſſa. 1. *Paulus & Syluanus & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſiũ in Deo Patre & Domino Ieſu Chriſto: Gratia vobis & pax.*

1. Theſſa. 2. *Vos enim imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa, in Chriſto Ieſu.*

Ibidem. *Teſtificati ſumus, vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in ſuum regnum & gloriam.*

2. Theſſa. 3. *Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis. Quòd ſi quis nõ obedit verbo noſtro, per epiſtolã hunc notate; & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur; & nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite vt fratrem.*

2. Theſſa. 1. *Paulus & Syluanus & Timotheº, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.*

Ibidem. *Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis, fratres, ita vt dignum eſt; quoniam ſupercreſcit fides veſtra*

vestra, & abundat charitas vniscuiusq; vestrûm in inuicem; ita vt & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra.

Habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt; ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare. 1. Timot. vi

Si quis autem domui suæ bene præesse nescit; quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? &c. 1. Timot. 3

Hæc tibi scribo, fili Timothee, sperans me ad te venire citò: Si autẽ tardauero, vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Ibidem.

Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, vt non grauetur Ecclesia; vt iis, quæ verè viduæ sunt, sufficiat. 1. Timot. 5.

Paulus vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto & adiutori nostro, & Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ, quæ in domo tua est. 1. Philem. 1

Propter quam causſam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomẽ tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te. 1. Hebræ. 2.

Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei saluabit infirmum, et alleuiabit eum Dominus &c. 1. Iacob. 5.

Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens 1. Petri. 2.

ſ. Coloſ. 3. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis; & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in vno corpore; & grati eſtote.*

1. Coloſ. 4. *Salutate fratres, qui ſunt Laodiciæ; & Nymphã, & quæ in domo eius eſt, Eccleſiam.*

Ibidem. *Et cùm lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite, vt in Laodicenſiũ Eccleſia legatur; & ea, quæ Laodicenſium eſt, vobis legatur.*

1. Theſſa. 1. *Paulus & Syluanus & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſiũ in Deo Patre & Domino Ieſu Chriſto: Gratia vobis & pax.*

1. Theſſa. 2. *Vos enim imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa, in Chriſto Ieſu.*

Ibidem. *Teſtificati ſumus, vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in ſuum regnum & gloriam.*

2. Theſſa. 3. *Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis. Quòd ſi quis nõ obedit verbo noſtro, per epiſtolã hunc notate; & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur; & nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite vt fratrem.*

2. Theſſa. 1. *Paulus & Syluanus & Timotheꝰ, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.*

Ibidem. *Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis, fratres, ita vt dignum eſt; quoniam ſupercreſcit fides veſtra*

vestra, & abundat charitas vniscuiusq; vestrûm in inuicem; ita vt & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra.

Habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt; ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare. 1. Timot. 1

Si quis autem domui suæ bene præesse nescit; quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? &c. 1. Timot. 3

Hæc tibi scribo, fili Timothee, sperans me ad te venire citò: Si autẽ tardauero, vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Ibidem.

Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, vt non grauetur Ecclesia; vt iis, quæ verè viduæ sunt, sufficiat. 1. Timot. 5.

Paulus vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto & adiutori nostro, & Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ, quæ in domo tua est. 1. Philem. 1

Propter quam caussam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomẽ tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te. 1. Hebræ. 2.

Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei saluabit infirmum, et alleuiabit eum Dominus &c. 1. Iacob. 5.

Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, 1. Petri. 2.

gens

gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.

1. Petri. 3. *In diebus Noë cùm fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam.*

1. Petri. 5. *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta.*

1. Ioan. 1. *Vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre & cum filio eius Ieſu Chriſto.*

2. Ioan. 1. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert; nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.*

3. Ioan. 1. *Chariſsime, fideliter facis, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui teſtimonium reddiderunt charitati tuæ in conſpectu Eccleſiæ; quos bene facies deducens dignè Deo.*

Eodem. *Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ; ſed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrepes, non recipit nos.*

Eodem. *Propter hoc ſi venero, commoneam eius opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos; & quaſi non iſta ſufficiant; neque ipſe ſuſcipit fratres; & eos, qui ſuſcipiunt, prohibet, & de Eccleſia eiicit.*

Apocal. 1. *Ioannes ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia: Gratia vobis & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.*

Eodem. *Fui in ſpiritu in Dominica die, & audiui poſt me vocem magnam tanquam tubæ dicentis: Quod vides ſcri-*

ſcribe in libro, & mitte ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia, Epheſo, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, et Philadelphiæ, et Laodiciæ.

Septem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum; et candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt. Eodem.

Et Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe etc. Apocal. 2.

Qui habet aurem, audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei. Eodem.

Et Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit primus et nouiſſimus, qui fuit mortuus, et viuit. Eodem.

Et filios eius interficiã in mortem, et ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes et corda; et dabo vnicuiq; veſtrûm ſecundùm opera ſua. Eodem.

Et ſeptimus Angelus tuba cecinit; & factæ ſunt voces magnæ in cœlo dicentes: Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri & Chriſti eius, & regnabit in ſecula ſeculorum. Amen. Apocal. 11.

Et ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Hieruſalem nouam, deſcendentem de cœlo à Deo, paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Apocal. 21.

Foris autem canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis, qui amat & facit mendacium: Ego Ieſus miſi Angelum meum, teſtificari vobis hæc in Eccleſiis. Ego ſum radix & genus Dauid, ſtella ſplendida & matutina. Apocal. 22.

D CAPVT

CAPVT IIII.

CONSENSVS SANCTORVM Patrum & veterum Doctorum, secundùm normam earum, quæ proximè præcedenti capite tertio adductæ sunt, tum aliarũ quoque scripturarũ de Ecclesia Christi Catholica, non in cuiusquam gratiam vel odium, sed liberè & ingenuè, prout intellexerunt, sententias suas proferentium.

Anacletus Ponti. Max. in Epist.

PATER noster sine dubio Deus est, qui nos creauit: Mater verò Ecclesia, quæ nos in Baptismo spiritualiter regenerauit.

Ecclesia mater.

Irenæus lib. 3. cap. 4.

Ephes. 4.

Extra Ecclesiam non est spiritus.

In Ecclesia posuit Deus Apostolos, Prophetas, Doctores & vniuersam reliquam operationem Spiritus cuius non sunt participes omnes, qui non concurrunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant à vita per sententiam malam & operationem pessimam: Vbi enim Ecclesia, ibi & Spiritus; & vbi Spiritus Dei, illic Ecclesia & omnis gratia. Spiritus autem veritas.

Irenæus lib. 1. aduersus hæreses, capit. 3.

Ecclesia vna.

Hanc prædicationem, cùm acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, & quidem in vniuersum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans, & similiter credit iis, videlicet quasi vnam animam habens & vnum cor, & consonanter hæc prædicat & docet & tradit, quasi vnum possidens os: Nam etsi in mundo loqua-

loquelæ dissimiles sunt; sed tamen virtus traditionis vna & eadem est. Et neq; hæ, quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt; neq; hæ, quæ in Hiberis sunt; neq; hæ quæ in Celtis; neq; hæ, quæ in Oriente; neq; hæ, quæ in Ægypto; neq; hæ, quæ in Libya; neq; hæ, quæ in medio mundi sunt constitutæ: Sed sicut Sol creatura Dei in vniuerso mundo vnus & idem est; sic & lumen, prædicatio veritatis vbiq; lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.

Ecclesiæ Germaniæ nõ aliter credunt, quàm Hispaniæ.

Et neq; qui valde præualet in sermone ex iis, qui præsunt Ecclesiis, alia, quàm hæc sunt, dicet: Nemo enim supra magistrum est; neque imsimus in dicendo, deminorabit traditionem: Cùm enim vna & eadem fides sit, neq; is, qui multum de ea potest dicere, ampliùs; neque is, qui minus, deminorat.

Eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundùm placitum Patris, acceperunt: Reliquos verò, qui absistunt à principali successione, & quocunq; loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes, aut rursus vt hypocritas, quæstus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem hi decidunt à veritate: Et hæretici quidem alienum ignem afferentes ad

Ireneus lib. 4. aduersus hæreses. capit. 43.

Ordinaria successio Sacerdotum in Ecclesia.

Hæreticorum & schismaticorũ pœna & interitus.

Leuit. 10. Pœna scindentiũ vnitatem Ecclesiæ.

tes ad altare Dei, id est, alienas doctrinas, à cœlesti igne comburentur; quemadmodum Nadab & Abiu.

Qui verò exurgunt contra veritatem, & alteru adhortantur aduersùs Ecclesiam Dei, remanent apud inferos, voragine terræ absorpti; quemadmodum

Num. 16.

qui circa Chore, Dathan et Abyron. Qui autem scindunt et separant vnitatem Ecclesiæ, eandem

3. Reg. 4.

quam Ieroboam, pœnam percipiunt à Deo.

Clemens Alexand. in Pædagogo lib. 1. cap. 6.

Vnus est vniuersorum pater: Vnũ est etiam verbum vniuersorum; et Spiritus sanctus vnus, et ipse est vbique. Vna autem sola est mater virgo; mihi autem placet eam, vocare Ecclesiam. Lac non habuit mater hæc sola; quoniam sola non fuit mulier. Virgo est autem simul et mater; integra quidem et inuiolata vt virgo; amans autem, vt mater, et suos accersens

Ecclesia vniuersorũ mater.

infantulos, sancto lacte, nempe verbo infantuli enutrit. Ideo autem lac non habuit, quòd lac esset hic infantulus pulcher et appositus, scilicet corpus Christi nouum cœtum verbo nutriens, quem ipse Dominus carnali labore peperit; quem ipse fasciis alligauit Dominus pretioso sanguine.

Origenes in Iesum Naue Hom. 21 In Ecclesia esse bonos & malos.

Neq; enim possibile est ad liquidum purgari Ecclesiam, dum in terris est, ita vt neque impius in ea quisquam, neque peccator residere videatur; sed sint in ea omnes sancti et beati, et in quibus nulla prorsus peccati macula deprehendatur.

Cypr. lib. 2. Epist. 12. Ecclesia vna.

Ecclesia Catholica vna esse potest; scindi, vel diuidi potest.

Eccle

Ecclesia vna est, quæ vna et intus esse et foris non potest: Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit: Si verò apud Cornelium fuit, qui Episcopo Fabiano legitima ordinatione successit, & quem præter pretij honorem martyrio quoque Dominus glorificauit; Nouatianus in Ecclesia non est. Cypr. lib. 2. Epistola. 6. Ecclesia vna.

Nouatus simiarum more (quæ cùm homines non sint, homines imitantur) voluit Ecclesiæ Catholicæ autoritatem vindicare, et cùm ipse in Ecclesia non esset, sed contrà Ecclesiæ rebellis foret, hoc vnum sibi vendicabat, quòd cæteros faciens hæreticos, apud se esse Ecclesiam diceret. Cyprianus ad Iubaianum. Hæretici sibi nomẽ & autoritatẽ Ecclesiæ vendicant.

Vna est columba mea, perfecta mea: Vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Hanc Ecclesiæ vnitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? Quando et beatus Apostolus Paulus hoc idem doceat, et Sacramentum vnitatis ostendat, dicens: Vnum corpus et vnus spiritus, vna spes vocationis nostræ, vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus. Quam vnitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum quoq; ipsum vnum atque indiuisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat; nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Episcopat⁹ vn⁹ est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia vna Cyprianus in tractatu de simplicitate Prælatorum, siue de vnitate Ecclesiæ. Cant. 6. Ecclesia vna. Ephes. 4.

est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur; quo modo Solis multi radij, sed lumen vnum; & rami arboris multi, sed robur vnum, tenaci radice fundatum; & cùm de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine. Auelle radium Solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit; ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit; à fonte præcide riuum, præcisus aresçet. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit; vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur; ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit; profluentes largiter riuos latiùs expandit; vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater, fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi incorrupta; est pudica; vnam domum nouit; vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit: Hæc nos Deo seruat &c.

Cypria. lib. 4. Epistо. 2. ad Antonianū in fine.

Turbatores vnitatis Ecclesiæ. Ephes. 4.

Apostatæ & desertores, vel aduersarij & hostes, & Christi Ecclesiam dissipantes, nec si occisi pro nomine foris fuerint, admitti secundùm Apostolum possunt ad Ecclesiæ pacem; quando nec Spiritus, nec Ecclesiæ tenuerunt vnitatem.

Quis-

Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur: Nec perueniet ad Christi præmia, qui reliquit Ecclesiam Christi; alienus est, profanus est, hostis est: Habere iam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.

Cyprianus in tractatu de simplicitate Prælatorum siue de vnitate Ecclesiæ.

Si potuit euadere quisquam, qui extra Arcam Noë fuit; & qui extra Ecclesiam foris fuerit, euadit. Stare tu & viuere putas posse de Ecclesia recedentem, sedes sibi alias & diuersa domicilia condentem? Cùm dictum sit ad Raab, in qua præformabatur Ecclesia: Patrem tuum & matrem tuam, & fratres tuos, et totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam; et erit, omnis, qui exierit ostium domus tuæ foràs, reus sibi erit. Item Sacramentum Paschæ nihil aliud in Exodi lege contineat, quàm vt agnus, qui in figura Christi occiditur, in domo vna edatur. Caro Christi et sanctum Domini eiici foràs non potest, nec alia vlla credentibus, præter vnam Ecclesiam, domus est. An secum esse Christum, cùm collecti fuerint, opinantur, qui extra Christi Ecclesiam colliguntur.

Extra Ecclesiam non est salus.

Ioſ. 2.

Exod. 12.

Tales etiam si occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa discordiæ, nec passione purgatur.

Extra Ecclesiam nihil prodest.

Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est; ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ re-

Ne martyrio quidem schismatis macula deletur.

gnatura est, derelinquit: *Cum Deo manere non possunt; quia esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt: Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestiis animas suas ponant; non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ; nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus.*

Pœna perfidiæ.

Occidi talis potest, coronari non potest. An esse sibi cum Christo videtur, qui aduersùs Sacerdotes Christi facit; qui se à Cleri eius & plebis societate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat. Si extra Ecclesiam fuerit occisus, ad Ecclesiæ non potest præmia peruenire. Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia eius, & fides vna, & plebs in solidam corporis vnitatem concordiæ glutino copulata. Scindi vnitas non potest, nec corpus vnum discidio compaginis separari, diuulsis laceratione visceribus in frusta discerpi. Quidquid à matrice discesserit, seorsum viuere & spirare non poterit, substantiam salutis amittit.

Ephes. 4.

Basil. Mag. Tom. 4. epistol. vltim.

Charitas relicta est, & pugna inter nos versatur: Vnio data est, & odium accensum est; magnum odij rogum inter nos mutuò accendimus. Vnusquisque apud se ipsum deploramus; verùm inter nos mutuò non concordamus: Quis dabit mihi theatrum vniuersum orbem terratum, & vocem tuba validiorem, & lamentationes Hieremiæ, & lachrymas largas, ad dirumpendum cor doloribus contritum,

Ecclesia crescere nõ potest, vinculo non colligata pacis atque charitatis.

tum, vt diffundamus puluerem nunc exignominia nobis aspersum, vt deploremus communem calamitatem, quia defecit charitas, radix ipsa mandatorum? Quapropter insatiabili Spiritus complexu præsentes amplector, quòd spectaculum nouum ostenderunt, dum vnus alteri est conglutinatus: Facti sumus enim vnusquisque apud se ipsum velut arena, non coniuncti inter nos, sed singuli per se diuisi: Neq; enim ædificationem consistere possibile est, ligamentis detractis; neque Ecclesiam in altum crescere, vinculis non colligatam pacis ac charitatis.

Quemadmodum in nocte, si tollas lumen è domo, cæci sunt oculi, et facultates relinquuntur inefficaces, et dignitates rerum cognosci non possunt, auro ac ferro æqualiter conculcatis per ignorantiam: Sic in intelligibili gubernatione fieri non potest, vt vita illa legitima permaneat absque Spiritu; non profectò magis quàm exercitus militaris disciplina, absente Imperatore; aut chori concentus, si chori Præfectus harmonias non concinnet. Quomodo dixerint Seraphin: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus; si non docta fuerint à Spiritu, quoties pium est hunc glorificationis Hymnum proclamare? Siue igitur laudant Deum omnes Angeli eius, collaudantque ipsum omnes virtutes eius; per Spiritus actionem id contingit: Siue astant mille millia Angelorum, siue centies centena millia Archangelorum, ministrantium ipsi; in Spiritus virtute officium suum inculpatè perficiunt. Totã igitur illam

Basil. Magnus in lib. de Spiritu sancto c. 16. Tom. 2. Ecclesię gubernationes per Spiritũ sanctũ peragi.

Esai. 6.

Dan. 7.

supercœlestem et inenarrabilem harmoniam, tum in ministeriis ac cultu Dei, tum in mutua inter se supermundanarum virtutum consonantia, impossibile esset conseruari, si non Spiritus præesset. Sic equidem in creationibus adest Spiritus sanctus his, quæ non ex profectu perficiuntur, sed ab ipsa statim creatione perfecta sunt, ad absolutionem ac complementum substantiæ ipsorum gratiam suam conferens. Porrò dispensationes circa hominem à magno Deo et Seruatore nostro Iesu Christo, secundùm bonitatem Dei et Patris factas, quis negabit per Spiritus gratiam esse peractas? Siue igitur voles vetera spectare, Patriarcharum benedictiones, auxilium per legislationem collatum, figuras, prophetias, fortia bellorum facta, miracula ac signa per iustos facta, siue ea, quæ circa Christi in carne aduentum dispensata sunt, per Spiritum omnia facta comperies: Primùm etenim ipsi carni Domini aderat vnguentum fiens, et inseparabiliter præsens; iuxta id, quod scriptum est: Super quem

Marc. 1. *videris Spiritum descendentem, et manentem super*

Actor. 4. *ipsum, hic est filius meus dilectus. Et: Iesum Nazarenum, quem vnxit Deus Spiritu sancto. Deinde omnis operatio Spiritu præsente peragebatur. Hic*

Matth. 4. *etiam aderat ipsi, dum à Diabolo tentaretur: Perductus enim est, inquit, Iesus à Spiritu in desertum,*

Matth. 12. *vt tentaretur. Et operanti virtutum miracula inseparabiliter aderat: Si enim ego in Spiritu Dei, inquit, eicio Dæmonia; et ab excitato à mortuis non aberat:*

Renouans

Renouans enim Dominus hominẽ, & gratiam, quam ex afflatu Dei amiserat, rursus contribuens, vbi in faciem discipulorum insufflasset, quid ait? Accipite Spiritum sanctum, quorũ remiseritis peccata, remittentur; & quorũ retinueritis, retenta sunt. Cæterùm Ecclesiæ gubernationes nónne manifestè et citra contradictionem per Spiritum sanctum peraguntur? Ipse enim dedit, inquit, Ecclesiæ primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores, postea virtutes, deinde dona sanationum, defensiones, gubernationes, genera linguarum: Hic enim ordo iuxta distributionem donorum Spiritus digestus est &c.

Ioan. 20.

1. Cor. 12.

Cui comparabimus præsentem statum? Profectò similis est bello nauali, quod quidam nauali prælio assueti, ac bello dediti, ex veteribus offensis multo odio inter ipsos nutritum excitârunt. Vide igitur mihi in hac similitudine, classem vtrinque horribiliter ingruentem, deinde ira eò erumpente, vt medelam non recipiat, eos pugnare, qui simul prosternũtur. Pone, si ita vis, etiam violento turbine agitari classem, & caliginem aceruatim ex nubibus incumbentem obscurare quodammodo rerum visibilium species, vt nullum amplius sit amicorum & hostium discrimen, dum Symbola propter confusionem ab ipsis non agnoscuntur. Addamus insuper ad hanc imaginem euidentiæ gratia, etiam mare intumescere & ex imo euerti, & ingentes aquas è nubibus erumpere, & horrendam insurgere ex triplicata maris turbatione inundationem;

Basil. Mag. in li. de Spiritu sancto c. 30. tom. 2.

Ecclesiæ statum suo tẽpore elegãter depingit.

nem; deinde ventis undiquaque concurſantibus, omnem claſſem inter ſe committi ac collidi; ex his, qui in acie ſtant, alios quidem ſe ipſos prodere, & circa ipſam anxietatem transfugere; alios verò ad id neceſsitatis adigi, vt & ſimul impellant ſcaphas, quæ à ventis feruntur, ſimulque irruentibus occurrant, & ſe mutuò præ ſeditione trucident, quam inuidia contra præminentes, & cupiditas dominandi in ſingulis mouerit. Ad hæc cogita, permixtum quendam & indiſcretum ſonitum per vniuerſum illud mare reſonare, ex circumſonantibus ventis, ex colliſione nauium, ex vndarum feruore, ex clamore belligerãtium, omnigenas voces pro affectionibus edentium, vt neque Principis nauis, neq; gubernatoris vox exaudiatur, ſed ingens quidam tumultus ac confuſio; malorum exceſſu, propter vitæ deſperationem, omnem ipſis peccandi licentiam inuehente. Adde his ingentem quendam morbum, ex gloriæ cupiditate inſaniã, adeò vt, dum nauis iam ad fundum fertur, hi tamen, qui nauem inſcenderunt, nihil de contentione aſſequendi primatus remittant. Tranſi iam mihi ab imagine ad ipſius mali exemplar. Nonne olim quodammodo videbatur Arriana ſecta in aduerſam Eccleſiæ Dei partem ſeparata, in hoſtium loca ipſa per ſe ipſam ſola reſiſtere? Quando verò ex longa ac graui contentione ad manifeſtum contra nos certamen deuenerunt; tunc iam in multas partes innumeris modis bellum diſſectum eſt, vt & propter commune odium, & propter priuatam ſuſpicionem,

Arriana ſecta in multas hæreſes diſſecta.

cionem, omnibus irrecõciliabilis inimicitia esset. Hæc verò tempestas Ecclesiarum, qua tandem marina procella non est efferatior? In qua & omnes Patrum termini commoti sunt, & omne fundamentum; et si quod est dogmatum munimentum, id ipsum concussum est. Circumaguntur autem omnia ac conquassantur, putri fundamẽto incũbentia. Nos verò viciſsim, aliis in alios irruentibus, mutuò inter nos subuertimur. Et si te nõ prior impetierit hostis, auxiliarius ac socius te vulnerat: Et si ille percussus ceciderit, comprotector insurgit. Tantum inter nos habemus societatis, quantum in cõmuni aduersarios odio habemus. Vbi autem præterierint hostes, iam nos inter nos hostes esse videmus.

Ecclesiæ afflictiones & calamitas.

Postea verò naufragiorum multitudinẽ quis enumerare possit? Dum alij ex hostium incursu submerguntur; alij ex occultis auxiliariorum insidiis pereunt; alij ex imperitia ducum, quandò sanè ipsæ Ecclesiæ vnà cum ipsis hominibus, hæreticorum dolis velut scopulis marinis illisæ, pessundatæ sunt; alij verò ex hostibus salutaris Spiritus, acceptis gubernaculis, circa fidem naufragium fecerũt. At verò turbationes, quæ ex huius mundi Principibus inducuntur, qua non procella ac turbine quouis horribiliùs populos subuertũt? Nox verò quædam caliginosa, tristis ac mœsta Ecclesias occupat, facibus mundi, quas Deus ad illuminandas populorũ animas posuerat, sublatis. Porrò immodica inter ipsos contentio, cùm impendeat iam timor dissolutionis vniuersi, adimit ipsis mali sensum: Nam

commune

commune ac publicum bellum superatur à priuata
sensa, dum gloria ex aduersariorum victoria, com
muni omnium vtilitati præfertur ab his, quibus pr
sens ac temporaria gloriæ iucunditas potior est præm
in posterum repositis. Quapropter omnes æqualit
quocunque quis potuerit modo, parricidiales ma
sibi inuicem inferunt. Asper autem quidam clam
eorum, qui se mutuis contradictionibus atterum,
vociferatio confusa, & sonitus indiscretus, ex nu
quam desinentibus tumultibus totam iam ferè Ecc
siam impleuit, qui tumultus rectam pietatis doctrin
ad excessus ac defectus peruertunt: Alij enim ad
daismum, per personarum confusionem; alij ad Gre
smum seu Gentilismum, per naturarum contrari
tem, deferuntur; adeò vt neq; diuinitus inspirata s
ptura se inter ipsos interponere possit, neque Apos
cæ traditiones inter ipsos reconciliationes procura

Basil. Mag. in præfatio. de Iudicio Dei, tom. 3. Ecclesiæ status qui fuerit S. Basilij tempore.

In sola Ecclesia Dei, pro qua Christus mortuus
& Spiritum sanctum super ipsam opulenter effu
tantam diuersitatem, & excellentem tum inter
mutuò, tum ad diuinas scripturas, multorum dis
sionẽ conspicatus sum; & quod horrendissimũ est,
illius perfectos in tanta inter se diuersitate senten
ac opinionis consistentes, vt tanta itidem contra
te aduersùs Domini nostri Iesu Christi mãdata v
tes, & immisericorditer quidem Ecclesiam Dei
trahentes, immodicè verò ouile ipsius cõturbante
et in ipsis impleatur nunc, si vnquã aliàs inæqualit

dos

doctoribus exortis, illud: Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt auellant discipulos retro ipsos. Actor. 20.

Omnis quidē igitur Ecclesiæ, velut corporis Christi, cura habenda est, maximè autem nostræ, quæ mater ferme omnium Ecclesiarum & ab initio fuit, & nunc esse censetur; & ad quam respublica respicit, quemadmodum circulus centro circumscriptus; non solùm propter rectam de fide sententiam ab antiquo omnibus prædicatam, sed etiam concordiæ gratiam manifestè ipsi ex Deo datam. Basil. Mag. tom. 4. Epistol. 30. Ecclesiam vnam esse, ad quā aliæ respiciant.

Cùm dixisset hæc Dominus, dissensio inter ipsos facta est; et alij dicebant: Dæmonium habet; alij: Dæmon oculos cæcos, vt videant, facere non potest. Vides, quòd vetus est affectio dissensionis? Statim enim ventilabrum discernit ac separat paleas à frumento; et leue quidem ac instabile finditur ac segregatur à nutriente: Quod verò ad alimentum spirituale commodum est, manet apud agricolas. Quapropter dissensio facta est; & alijsic dissidebant, alij sic. Iudæis conuenit, vt findantur ac dissentiant: Verùm Ecclesia Dei, quæ tunicam inconsutilem ex integro textam, & quæ à militibus indiuisa conseruata est, suscepit; quæque Christum induit, vestem non findat. Basil. Mag. tō. 1. Conc. in S. Martyrem Mamātem. Ioan. 10. Ecclesiam inconsutilē esse tunicā. Matth. 3.

Re vera difficile de cætero est & valde rarum, videre Ecclesiam synceram, nihil ex temporum difficultate detrimenti passam; sed integram et infractam, conseruantem Apostolicam doctrinam. Basil. Mag. tom. 4. Epistol. 72. Ecclesiam videre synceram, conseruantemque Apostolicam doctrinam, difficile esse.

Ecclesia

Basil. Mag. tom. 5. super Psal. 39. Ecclesiã Dei diuina prouidentia semper indigere, rationibus ostenditur.

Ecclesia Dei, etiam post acceptam salutem, prouidentia diuina indiget, idque propter multiplices cùm malorum hominum, tum & Cacodæmonum impetus ac insultus.

Ambr. lib. 2. super Lucã; exponẽs illud Lucæ 3. Factum est verbum Domini super Ioannẽ &c. c. 25. Tõ. 8. Ephes. 2.

Mater ergo viuentium Ecclesia est, quam ædificauit Deus ipse summo angulari lapide Christo Iesu in quo omnis structura compaginata crescit in templum Dei. Veniat ergo Deus, ædificet mulierem, illam quidem adiutricem Adæ, hanc verò Christi. Non quia Christus adiumentum requirit; sed quia nos quærimus & desideramus ad Christi gratiam per Ecclesiam peruenire. Et nunc ædificatur, et nunc formatur, & nunc mulier figuratur & creatur. Et ideo nouo verbo vsa est scriptura; quia superædificamur super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Et nunc domus spiritualis surgat in sacerdotium sanctum. Veni Domine Deus, ædifica mulierem istam, ædifica ciuitatem; veniat & puer tuus: Tibi enim credo dicẽti: Ipse ædificauit ciuitatem mihi. Ecce mulier omnium mater; ecce domus spiritalis; ecce ciuitas quæ viuit in æternum, quia mori nescit: Ipsa est enim ciuitas Hierusalem, quæ nunc videtur in terris, sed rapietur supra Heliam: Helias enim viuus fuit. Transferetur supra Henoch, cuius mors non inuenitur: Ille enim raptus est, ne malitia mutaret cor eius. hæc autem diligitur à Christo, quasi sponsa gloriosa, sancta, immaculata, sine ruga. Et quãtò meliùs totum

Ecclesia mater fideliũ. Ephes. 2.

4. Reg. 2. Genes. 5. Ecclesia rapietur ad cœlum.

corpus

corpus assumitur, quàm vnus assumptus est? Hæc enim est spes Ecclesiæ. Rapietur profectò, assumetur, transferetur ad cœlum. Ecce curru igneo raptus est Helias, rapietur Ecclesia. Non mihi credis; crede vel Paulo, in quo Christus loquutus est: Rapiemur, inquit, in nubibus obuiàm Christo in aëra; & ita semper cum Domino erimus. 4. Reg. 2. 1. Thes. 4.

Ad hanc igitur ædificandam mittuntur quidē plures, mittuntur Patriarchæ, mittuntur Prophetæ, mittitur Gabriel Angelus, innumeri Angeli diriguntur. Et multitudo cœlestis exercitus Deum laudat; quia ciuitatis huius ædificatio appropinquat. Mittuntur plures ad eam; sed Christus eam solus ædificat: Verùm non est solus, quia Pater præsens est. Etsi solus ædificat; gratiam tamen tantæ ædificationis nō solus vsurpat. Scriptum est de templo, quod ædificauit Salomon, in quo typus Ecclesiæ fuit; quia tria millia sexcenti erant Præpositi, qui in humeris portarent, septuaginta millia lapidum cæsores octoginta millia. Veniant Angeli illi, veniant lapidum cæsores, cædantur superflua lapidum nostrorum, aspera leuigentur: Veniant & qui in humeris portant: Scriptum est enim: Supra humeros tollentur. Ecclesię ædificatio. 2. Paral. 2. Esa. 49.

Habes in Esaia, quia iusti anima dicit vel Ecclesia: Ego ciuitas munita, ego ciuitas obsessa. Munita per Christum; obsessa per Diabolum. Sed non debes obsidionem vereri, cui Christus adiutor est: Munitur enim gratia spirituali, et secularib⁹ periculis obsidetur. Ambr. li. 6. Hexamerō c. 8. Tom. 4. Esa. 27. Ecclesię firmitas cōtrà pericula.

Cant. 2. *Vnde & in Canticis habes dictum: Ego murus, & ubera mea turres. Murus est Ecclesia; turres eius sunt Sacerdotes, quibus abundat, & de naturalibus verbum, & de moralibus disciplina.*

Ambros. super primam ad Timotheum, c. 4. Tom. 5. Ecclesia domus Dei.

Scribo tibi, ut scias, quomodo Ecclesiam ordinet, quæ est domus Dei, vt, cùm totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus eius dicatur, cuius hodie rector est Damasus: Mundus enim in prævaricatione est diuerso turbatus errore. Ideo illic necesse est dicatur esse domus Dei & veritas, vbi secundùm voluntatem suam timetur. Hoc profitentibus de eo seruis, quem ipse dignatus est edocere, ne fortè verba eius esse non garentur, virtutibus hæc significauit, quæ à nullo alio fieri possunt, vt his infidelitas accusata, inexcusabilis pereat: Firmamentum enim veritatis huius signa sunt & prodigia.

Ambros. super secundã ad eundem, cap. 2. In Ecclesia esse bonos & malos.

In magna autem domo, non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia; & quædam in honorem, quædam autem in contumeliam. Hoc dicit, significauit, in Ecclesia diuersos esse homines; quosdam bonos & summos viros, quos in auro intelligi vult, quosdam bonos tantùm, quos in argento designat; alios verò non bonos, quos vasa lignea & fictilia appellat. Quod nulli ambiguum puto: Nam & in Corinthiorum Ecclesia hoc probat frequens sermo obiurgantis Apostoli: Nunc autem in Ecclesia nostra palàm est, & in templo Hierosolymis, in quo typus erat Ecclesiæ, manifestis lectionibus approbatur: Erant enim ibi Sadducæi

ex quorum radice erant Hymenæus & Philetus; de quorum praua sententia cùm Apostolus esset loquutus, statim hoc subiecit: Vt non esset mirabile, in Ecclesia videri homines dissentientes: Nam & Corinthiorum Ecclesia, de qua dixi, quidam erant, qui dissentientes resurrectionem negabant: Insanus tamen Nouatianus, vt errori suo blandiatur, aliter hoc intelligendum tradit, vt domus magna totus mundus significari credatur, qui habet hominum diuersitatem; cùm constet, Apostolum exemplo vsum domus diuitis & opulenti, quæ quamuis copiosa sit, habet tamen vasa lignea & fictilia. Hoc modo & Ecclesia quanquam sancta dicatur; habet tamen & vitiosos & praua sentientes, sicut superiùs memorauí; quos contumelia dignos ostendit, non tamen perituros, sed purgandos per ignem, quia domui ex aliqua parte necessaria sunt. Nouatianus autem elatus superbia, vt Ecclesiæ suæ veritatem & sanctitatem defenderet, hoc modo intelligendum decreuit, quasi Ecclesia penès ipsum sit, & cunctos habeat purificatos propter illas caussas, quibus nos innocentes accusat. Sed quid opus erat, hoc loco de mundo aliquid dicere, aut vt quid affirmaret, mundum domum magnam significans? Nam dicit Dominus Apostolis: Non estis de mundo: Ego autem elegi vos. Quomodo ergo intra mundum concludendi sunt. qui negantur de mundo esse? Et Apostolus: Quid, mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? Nam in vna domo omnes sub vno sunt nomine: Vno enim Domini

Ecclesia quomodo sancta sit.

Ioan. 15.

1. Cor. 5.

sui nomine censentur omnes: Mundus autem diuersæ professionis cõtinet homines, ita vt dispares profitean-tur se habere Deos & Dominos. Non ergo domum magnam mundum dixit, sed Ecclesiam, in qua omnes sub vnius Domini sunt nomine.

Ambr. libro de incarnatione Domini capite 2. Tom. 2.

Et dominantur nobis in seculo peccatores: Peccator enim dominatur in seculo; iustus in Dei regno. Caueamus igitur, ne quis nos à cubiculo Regis æterni & à secreto matris Ecclesiæ separare conetur.

Separatio ab Ecclesia cauenda.

Ambros. super 1. Epist. ad Corinthios, cap. 3.

Extra Ecclesiam Catholicam quicquid est, impium est & funestum.

Ambr. lib. 1. de Apologia Dauid cap. 17. tom. 40. Ecclesia Hierusalem.

Muri itaque Hierusalem fidei propugnacula, disputationum munimenta, virtutum culmina sunt. Muri Hierusalem Ecclesiarum conuentus sunt toto orbe fundati: Ecclesia enim dicit: Ego murus, & vbera mea turres. Et bene muri Hierusalem Ecclesiarum comuenticula; quoniam quisquis bona fide atque opere ingreditur Ecclesiam, fit supernæ illius ciuis & incola ciuitatis, quæ descendit è cælo; Hos muros lapidum ædificat structura viuorum. Vides igitur, quòd Hierusalẽ veram & Sion dixit, cùm dixerit: In voluntate tua Hierusalem & Sion: Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, hoc est, sacrificiũ corporis Christi.

Cantic. 8.

Psal. 50.

Ambros. in tractatu super Psalmũ, 39. Tom. 4. Psal. 39.

Annuntiaui iustitiam tuam in Ecclesia magna. Quid est, quòd addidit magna, nisi quia fuit alia non magna? Quæ est magna, nisi de totius orbis terrarum partibus congregata, quando venient ab

Oriẽ

Oriente & Occidente, & Meridie & Septentrione? Ecclesia Catholica.

Sed fortè dicas: Quomodo in Canticis est: Exurge Aquilo, & veni Auster? Plerique enim ita accipiunt, quasi proiiciatur Aquilo, & inuitetur Auster. Quòd si ita accipiunt, exturbatur ab Ecclesia perfidiæ glacialis asperitas, ne fiat fuga nostra in hyeme vel sabbatho, & inuitatur Australis verna temperies. Aut certè exurge Aquilo; hoc est: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis. Populus nationum, qui antè diu dormiuisti, enigila aliquando, & illucescet tibi Christus. Postremò omnes inuitantur ad Ecclesiam, & Synagogæ populus & Gentilium; sed priùs Synagogæ, quia priores ex Iudæis Apostoli crediderunt; per ipsos postea nationum populi congregati sunt. Vides ergo venientem Solem nostrum ad Austrum, postea gyrantem ad Aquilonem. Hierusalem Hierusalem. Venit utique ad eam, quam etiam vocare dignatus est. Sed hæc Hierusalem terrena est, quæ occidit Prophetas, hoc est, Synagoga Iudæorum. Quoties, inquit, volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos; & noluisti: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Gyrauit igitur ad Gentes; gyrando autem gyrauit Spiritus Dei, et in gyro suo conuersus est, vt fieret Deus omnia in omnibus. Ideo Sanctus cœlum dicitur, quia vicinior eum claritas Solis semper illustrat. Habet splendorem suum domesticum, vt tenebras noctis non sentiat. Ideo Ecclesiæ & cœlũ dicitur & mundus, quòd habeat sanctos, Angelis & Archangelis com-

Ambro. lib. super: Beati immaculati, lite. duodecima versic. 2. tom. 4.

Cant. 4.

Matth. 24.

Ephes. 5.

Ecclesia omnes recipit.

Matth. 23.

Ecclesia dicitur cœlũ, mũdus, orbis terrarũ.

parandos, habeat etiam pleroſque terrenos. Dicitur & orbis terrarum, qui eſt fundatus ſuper maria, & ſuper flumina ꝑparatus. Deniq; quaſi orbis terrarũ dicitur Eccleſia: Nolite aſpicere me, quia fuſca ſum, quia non reſpexit me Sol; eo quòd velut pruinis hyemalibus geluq; conſtricto gentilis erroris congregationem gentium Sol iuſtitiæ diu indignam æſtimauerit, quam ſerena vultus ſui luce luſtraret. Nónne tibi videbatur hyberni rigor temporis, quando notus erat in Iudæa tantummodò Deus? Nunc autem plenitudo lucis effulget æſtiuæ, quando omnia & in omnibus Chriſtus? Nónne terra Domini & plenitudo eius? Et verè orbis terrarum in Eccleſia, in qua non tantummodò Iudæus aut Græcus, non barbarus aut Scytha, non ſeruus aut liber, ſed omnes in Chriſto vnum ſumus; Sol omnibus fulget; dies omnibus lucet.

Cant. 4.

Eccleſia quãdo hyemalis vel eſtiualis. Pſal. 23.

Coloſs. 3. Eccleſia vniuerſalis.

Multi ſunt, qui dicuntur Dij, ſed non ſunt. Ergo in Gentibus mendaciũ eſt, in Eccleſia veritas. Hanc tamen veritatem primò habuit Synagoga, quæ habuit eloquia Dei: Eſt enim veritas & in veteri teſtamento, quæ fuit antè in populo Iudæorum: Notus enim in Iudæa Deus. Deus autem Veritas eſt: Ergo in Iudæa veritas: Fuit igitur veritas in Patribus, Moſe & Ieſu Naue, in Samuele & in Dauid, Helia, Heliſæo, & illis ſeptem millibus virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal: Sed quia poſterior ſoboles Iudæorum à Patrum moribus deuiauit, receſſit ab illis veritas, & ad Eccleſiam venit: Receſſit enim

Ambr. ibidẽ verſu 2.

In Eccleſia veritas. Pſal. 75.

3. Reg. 19. Rom. 11.

ab illis

ab illis, quando dixerũt de Domino Iesu: Tolle crucifige eũ: Tradiderunt enim Veritatẽ, et elegerunt iniquitatẽ. Omnes ergo aliæ generationes veritatis exortes, omnium hæreticorum generationes non tenent veritatem. Sola Ecclesia veritatem pio affectu possidet; quia generatio Iudæorum, quæ antè eam possidebat, amisit. Populus ergo Iudæorum prior fidei generatio, & ideo infantior & infirmior, qui lubrico adolescentiæ stare non potuit. Populus autem Christianus fidei secunda generatio, ideo robustior & venerabilis, quia maturior senectute. Illa generatio legis; hæc gratiæ. Vnde alibi ait: In generatione & generationem annuntiabo veritatem tuam. Ioan. 19. Psal. 88.

Delectatio Domini in Ecclesia est. Ecclesia est imago cœlestium: Etenim postquàm vmbra præteriit, imago successit. Vmbra Synagoga est; in vmbra lex; in Euangelio veritas. Ideo in Euangelij lumine veritatis imago resplendet. Amb. in tractatu de prima interpellatione Dauid Tom. 4. Ecclesia imago cœlestiũ.

Nam quemadmodum potest, cùm fides scindatur, regnum remanere indiuisum? Etenim cùm in lege sit populus Iudæorum, Christus quoque secundùm carnẽ ex lege generatus sit, quomodo potest regnum Iudæorum esse perpetuum, quod ex lege est, cùm populus ipse diuidat legem, quando à legis populo Iesus negatur, qui ex lege debetur? Ita ex parte se fides Iudaicæ plebis impugnat, impugnando diuiditur, diuidendo dissoluitur. Et ideo regnum Ecclesiæ manebit in æternũ; quia indiuidua fides, corpus est vnum: Vnus enim Dominus, vna fides, vnum Baptisma; vnus Deus & Ambr. li. 7. super Lucã. cap. 2. Ecclesiæ cõstãtia & perpetuitas. Ephes. 4.

Pater omnium, qui supra omnes, & per omnes & in omnibus nobis.

Ambr. li. de fide resurrectionis Tō. tertio.

A quatuor mundi partibus Ecclesia congregatur. Omnes enim, qui sacrosanctæ Ecclesiæ copulati diuini nominis appellatione censentur, prærogatiuam resurrectionis et delectationis æternæ gratiam consequentur: Quoniam venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone & Austro, & recumbent in regno Dei.

Ecclesia Catholica.

Matth. 8.

Non enim exigua mundum suum Christus luce complectitur; quandoquidem à summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius; nec est, qui se abscondat à calore eius: Omnes enim benignus illustrat; nec refutare leuem, sed emendare vult; nec excludere durum Ecclesia, sed mollire desiderat. Et ideo eos in Canticis Canticorum Ecclesia; in Euangelio

Matth. 11.

Christus inuitat, dicēs: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Ecclesia

Cant. 4.

quoque vocem inuitantis agnosce: Dicit enim: Exurge Aquilo, & veni Auster; perfla hortum meum, & defluent vnguenta mea. Descendat frater meus in hortum suum, et edat fructum pomiferarum suarum: Sciens enim iam tunc etiam horum tibi fore opera fructuosa, Christo tuo fructū de talibus pollicebare, quæ primò te in cubiculū dixisti Regis introductā, diligens vbera super vinū, cùm diligentem amares, lactantem quæreres, pericula pro religione contemneres; deinde à Libano sponsa rogaris, vt venias Iudicio Domini, adhuc tota formosa, tota irreprehensibilis: Tota enim

Cant. 4.

formosa es, proxima mea, et reprehēsio nō est in te &c.

Esto

Esto & tu Petrus, deuotus, fidelis, pacificus, vt portas Ecclesiæ aperias, portas mortis euadas: Esto filius tonitrui. Dices: Quomodo possum esse filius tonitrui? Potes esse, si non in terra, sed in pectore Christi recumbas: Potes esse filius tonitrui, si te terrena non moueant, sed ipse potiùs terrena concutias. Tremat te terra, non capiat; vereatur caro potestatem animi tui, & concussa subdatur. Eris filius tonitrui, si fueris filius Ecclesiæ. Dicat & tibi de patibulo crucis Christ°: Ecce mater tua; dicat & Ecclesiæ: Ecce filius tuus: Tunc enim incipies esse filius Ecclesiæ, cùm in cruce victorem videris Christum: Nam qui crucem scandalum putat, Iudæus est; Ecclesiæ filius non est. Qui crucem stultitiam putat, Græcus est ille. Est autem Ecclesiæ filius, qui crucem triumphum putat, si crucem Christi triumphantis cognoscat.

Ambrosius lib. 7. super Lucam. ca. 1. tom. 5.

Ecclesiæ filij qui nam sint.

Ioan. 19.

Ecclesia torcular est fontis æterni, in qua cœlestis vitis fructus exundat.

Ambro. lib. 1. de Spiritu sanc. versùs principium tom. 2.

Virgo est Ecclesia, quæ nupsit; virgo, quæ nos suo vtero portauit; virgo, quæ genuit; virgo, quæ proprio lacte nutriuit; de qua legimus: Quanta fecit virgo Hierusalem. Non deficiant de petra vbera, neque nix à Libano, aut declinauit aqua valida vento, quæ portatur. Qualis est hæc virgo, quæ Trinitatis fontibus irrigatur, cui de petra fluunt aquæ, non deficiunt vbera, mella funduntur? Petra autem est, iuxta Apostolum, Christus. Ergo à Christo non deficiunt vbera, claritas à Deo, flumen à Spiritu: Hæc enim Tri-

Item lib. 1. de Virginitate, par. 1. tom. 1.

Hier. 18.

Ecclesia virgo.

1. Cor. 10.

nitas est, quæ Ecclesiam suam irrigat, Pater, Christus & Spiritus.

Ambro. lib. 2. de Iacob & vita beata, capit. 7. Tom. 4. Genes. 35. Ecclesia gentilitatis errores aboleuit.

Vbi iubetur habitare Patriarcha, vbi aram Deo facere, qui apparuit ei; ibi Deos accepit alienos, et abscondit eos sub lentisco; ibi quoq; sepulta est Rachel in via Ephrata, hæc est, Bethlehem; ibi etiam columnã statuit Iacob supra monumentum eius. Quanta mysteria; quia ibi est Ecclesia Dei, in qua apparet Deus & loquitur cum seruis suis; ibi eripiuntur & absconduntur simulachra Gentium: Fides enim Ecclesiæ omnem obseruantiam gentilitatis aboleuit. Sed cur sub lentisco absconderit, quæro. Certè genus istud infructuosum est. Ibi ergo sunt Dij gentium, vbi nullus est fructus: Ibi inaures gentilium infodiuntur, quas dederunt Iacob, vt iam nouam linguam assuescant audire, veterem perfidiæ sonum nesciant, obsurdescant aures eorum sacrilegio, emundentur ad gratiam. Non

Dan. 13.

immeritò ibi sanctus Daniel falsum in Susannam testimonium deprehendit: Ibi enim volebat adhuc radices suas locare perfidia, sed latere non potuit; quia prophetico spiritu deprehensa est. Congruus autem error Presbyteri veræ confessionis, vt ibi contaminatam diceret castitatem, vbi Gentiũ defossa simulachra sunt. Sed veritas Ecclesiæ non texit perfidiã, & aures gentilitatis obstruxit. Conuenienter quoq; ibi sepulta est sancta Rachel; quia omnes, qui baptizãtur in Christo, consepeliuntur cum eo: Sic enim docemur, dicente Apostolo: Consepulti enim sumus cum illo per Baptismũ

Rom. 6.

in mor-

in mortem, vt, quemadmodum ille surrexit à mortuis virtute ꝓpria suscitatus, ita et nos eiº gratia resurgamus. Tunc igitur verè absconditur oīs error gētilium, cùm quis fuerit ablutus à vitiis; quia confixus cruci vetus homo noster, nescit iā veteri seruire peccato. Cōpetenter etiā columna statuitur supra monumētū Rachel; qa Ecclesia est colūna & firmamentū veritatis. 1. Timot. 3. Ambro. lib. de benedictionibus Patriarcharum, cap. 5.

Zabulon iuxta mare habitauit, & ipse secus accessus nauiū, & pertendit vsq; ad Sidonem. Ipsa nominis interpretatio meliora ꝓmittit, eò quòd Latina expressio liberationē significet à nocturnis, quod est vtiq; bonum, et eius, qui sperat in pennis Domini, quem circūdat veritas eiº, ne timeat à timore nocturno, & à negotio perambulante in tenebris. Hic ergo Zabulon iuxta mare habitabit, inquit, vt videat aliorum naufragia, ipse immunis periculi; & spectet alios in freto fluctuantes istius mūdi, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, ipse fidei radice immobilis perseuerans; sicut est sacrosancta Ecclesia radicata, atq; in fide fundata, spectans hæreticorum procellas et naufragia Iudæorū; quoniā gubernatorem, quem habuerant, abnegarunt. Circa fluctus igitur habitat, non fluctibus cōmouetur; magisq; ad subueniendum parata, quàm periculo obnoxia; aut si qui tempestatibus acti grauibus, confugere ad portum velint, præstò sit Ecclesia tanquam portus salutis. Quæ expansis brachiis in gremium tranquillitatis suæ vocet periclitantes, locum fidæ stationis ostendens. Ecclesiæ igitur in hoc seculo tanquā portus

Psalm. 90.

Ecclesia refugium periclitantiū & portus salutis.

portus maritimi per littora diffusi occurrunt laborantibus, dicentes, esse credentibus refugium præparatum, quò ventis cassata nauigia possint subducere.

Ambrosius libro de incarnatione Domini. Matth. 16. Ecclesię firmitas.

Fides est Ecclesiæ fundamentum: Non enim de carne Petri, sed de fide dictum est; quia portæ mortis ei non prævalebunt; sed confessio vicit infernum. Et hæc confessio non vnam hæresin excludit: Nam cùm Ecclesia multis tanquam bona nauis fluctibus sæpe tundatur, aduersùs omnes hæreses debet valere Ecclesiæ fundamentum.

Ambros. in tractatu super Psal. 48 inducens illud: Domini est terra & plenitudo eius. tō. 4. Ecclesię firmitas in persecutionibus. Psalm. 92. Ioan. 7.

Nec incongruè Latini, dissono quidem sermone, sed pari sensu, orbem terræ nuncupauerunt, eò quòd vita Sanctorum, qui inhabitantur à spiritu, sicut rota in orbem sine vlla cursus sui offensione voluatur. In tribulationibus igitur fundatur Ecclesia, in tempestatibus & procellis, in solicitudinibus & mœrore, in rebus aduersis & in fluminibus præparatur. In quibus fluminibus? Audi dicentem: Eleuauerunt flumina vocem suam. Audi & in Euangelio: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accipiebant credentes in eum. In his ergo fluminibus præparatur Ecclesia, in quibus profluit Dei gratia. Ii sunt fluuij, qui aure percipiunt verbum Dei, & loquuntur, vt verbum infundant pectoribus singulorum.

Ambro. lib. super: Beati immaculati, exponendo literam tertiã. tō. 4.

Crebræ persequutiones Ecclesiæ, iustorum nobis titulos, martyrij victorias ediderunt. Itaque sicut au-

rum

rum bonum, ita Ecclesia cùm vritur, detrimenta non sentit; magis fulgor eius augetur, donec Christus veniat in regnum suum, & reclinet caput suum in Ecclesiæ fide: *Qui* cùm venisset ad oues perditas domus Israël, non habebat, vbi caput suum reclinaret: *Nunc autem redolet iam fides; ideoq; dicit Ecclesia: Nardus mea dedit odorem suum; & dicit cum præsumptione, expectans retributionem: Fragrat vnguentum gratiæ, ex quo virgo generauit, & Dominus Iesus Sacramentum incarnationis assumpsit.*

Ecclesię cõstantia in persecutionibus. Matt. 15. 8. Luc. 9. Cant. 1.

Meritò posuit contra Orientem Bethel: Domus enim Dei dicitur Bethlehem, in qua natus est Christus. Vnde ait per Prophetam Deus: Et tu Bethlehem non es minima inter Principes Iuda: Ex te enim exiet Princeps, qui regat populum meum. Non dixit contra Bethlehem; sed tabernaculum ipsum Bethlehem appellauit: Ecclesia enim iustorum est tabernaculum. Iam illa quis non miretur mysteria, quòd Bethlehem iuxta mare Galilææ est ab Oriente? Etenim vel anima, quæ meretur templum Dei appellari, vel Ecclesia tunditur secularium curarum fluctibus, sed non subruitur; cæditur, sed non labefactatur, commotiones fluctuum & insurrectiones passionum corporalium facilis premere ac mitigare. Spectat aliorum naufragia, ipsa immunis & exors periculi, parata semper, vt illucescat sibi Christus, atque illuminatione iucunditatem sibi acquirat.

Ambro. lib. 2. de Abraham, cap. 3. tom. 4. Mich. 5. Ecclesię firmitas & cõstantia in persecutionibus.

Suscepisti munus Sacerdotij, & in puppe Ecclesiæ sedens,

Ambro. lib. 7. Epist. 44. Tom. 3.

sedens, nauim aduersus fluctus gubernas; tene clauum fidei, vt te graues huius seculi turbare non possint procellæ: Mare quippe magnum & spatiosum, sed non timeri vereri; quia ipse super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam. Itaq; non immeritò inter tot mundi freta, Ecclesia Domini, tanquam super Apostolicam ædificata petram, immobilis manet, & in concusso aduersus impetus sæuientis sali perseuerat fundamine. Alluitur vndis, non quatitur. Et licet frequenter elementa mundi huius magno illisa resultent fragore; habet tamen, quò laborantes excipiat, tutissimum portum salutis. Sed tamen etsi in mari fluctuat, currit in fluminibus; & vide, ne in illis fluminibus magis, de quibus dictum est: Eleuauerunt flumina vocem suam.

Psalm. 92.

Ambro. lib. de Salomone, capit. 4. Tom. 4.

Semitas, inquit, nauis nauigantis. Nauem denique Ecclesiam debemus accipere in salo mundi istius constitutam, quæ crebris ventorum flatibus & aquarum fluctibus, id est, tentationum plagis & verberibus fatigatur, quam turbidi fluctus, id est, huius seculi procellæ tempestates conantur ad saxa perducere: Quæ etsi vndarũ fluctibus aut procellis sæpe vexatur; tamen numquam potest sustinere naufragium; quia in arbore ejus, id est, in cruce Christus erigitur; in puppi Pater residet gubernator; proram paracletus seruat Spiritus: Hanc per angusta huius mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, id est, duodecim Apostoli, & similis numerus Prophetarum. Inde Montani antra latro-

Ecclesiæ firmitas & cõstantia.

Ecclesiæ cõstantia in persecutionibus & cruce.

fal-

falsi carminis resonant, qui duabus fœminis Prophetissis, Priscillæ et Maximillæ tanquam alicuius Scyllæ rabidis succinctus est canibus. In ista naue Ecclesiæ ea feliciter præterimus: Inde & Fotinianã Charybdim non incidimus: Inde nullo modo in illud baratrũ, quasi Dathan & Abiron, id est, in profundum mortis Vrsatij & Valentis, non incurrimus: Inde Arrium archipiratam, qui nos per mare seculi, instar Pharaonis, insequitur, non timemus, illam stellam seruantes in cœlo, quæ Magos perduxit ad Christum; per quam nos regnum Dei, qui malorum omnium quies futura est portus, expectat: Inde nunquam nos de hac naue Ecclesiæ præcipitatus Marcion cetus ille absorbuit: Inde Sabellius pirata non cepit: Inde nobis Aquilo nocere non poterit; quamuis inde sint Antichristi violenta flabra ventura, sicut scriptum est: Ex Aquilone exardescent mala: Inde Syrtes gentilium & periculosas hæreses velut scopulos euitamus, quos superiacens aquæ tenuis occultat allapsus; quia hæretici sub prætextu nomimis Christiani absconsa perfidiæ saxa, fallaci confessione oris obducũt; in quæ homines, dum illis, quòd Christiani sint, fides adhibetur, impingunt. Hæc ergo nauis Ecclesia est, quæ etsi quotidie seculũ istud tanquã aliquod pelagus sortitur infestum; nunquam eliditur ad saxum, nec mergitur ad profundũ. Nauem autẽ Ecclesiam esse, Diuinis testimoniis approbamus, sicut ibi: Illic transierunt naues Tharsis. Et alibi: Aduersùs omnem nauem maris; quia sunt Ecclesiæ

Num. 16.

Matth. 2.

Hier. 6.

Psalm. 103. Ecclesia nauis.

Ezech. 27. clesiæ seculi, quæ totam sibi spem (quod fit in hoc tem-
pore) non tam de Deo, quàm de potestatibus huius se-
culi repromittunt. Sed quòd ait: Vias nauis nauigan-
tis; propriè significat, quòd in tempore miro modo per-
sequutionis comprehendi omnino non posset, quema-
modum viuida per interitū, & diues per damna re-
Psalm. 4. datur; sicut ait ex persona ipsius Psalmographus: I
tribulatione dilatasti me. Quæ ob hoc multis in loc
sub typo aut Soli comparatur aut Lunæ, quæ etsi tu
ditur, non mouetur; & si mouetur, resurgit.

Ambro. lib. 5. Hexame-ron. cap. 2. Tom. 4. Fecit, inquit, Lunā in potestatem noctis; quæ tem
porum vicibus obedire compellitur, & nunc impl
tur lumine, nunc vacuatur. Pleriq; hunc locum my
Psalm. 135. sticè de Christo & Ecclesia videntur accipere, qu
agnouit Christus proprij corporis passionem, qui a
Ioan. 17. Pater, venit hora, clarifica filium tuum; vt ille occ
suo omnibus vitam donaret æternam, qui perpet
Ecclesiæ stabilitas. mortis vrgebantur occasu. Et Ecclesia tēpora sua h
bet; persequutionis videlicet & pacis: Nam videt
sicut Luna deficere, & non deficit: Obumbrari pote
deficere non potest; quæ aliquorum quidem in per
quutionibus discessione minuitur, vt Martyrum c
fessionibus impleatur, & effusi pro Christo sangui
clarificata victoriis, maius deuotionis & fidei s
toto orbe lumen effundat.

Ambros. in eodem libr. infrà cap. 8. Tom. 4. Minuitur Luna, vt elementa repleat: Hoc est v
rè grande mysteriū. Donauit hoc ei, qui omnibus d
nauit gratiam: Eximaniuit enim eam, vt repleat; q
etia

etiam se exinaniuit, vt omnes repleret: Exinaniuit enim se, vt descenderet nobis; descēdit nobis, vt ascenderet omnibus: Ascendit enim, inquit, super cœlos, vt impleret omnia. Itaque qui exinanitus aduenerat, de plenitudine sua Apostolos adimpleuit. Vnde vnus ex iis dicit: Nam de plenitudine eius omnes accepimus. Philip. 2. Ecclesia quomodo sit Luna. Ephes. 4.

Ergo annuntiauit Luna mysterium Christi; non mediocris, in qua signum posuit suum; nō mediocris, quæ typum electæ habet Ecclesiæ. Quod significat Prophetа dicens: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec extollatur Luna. Et in Canticis Dominus de sua sponsa ait: Quæ nam est hæc prospiciens tanquam diluculū, speciosa sicut Luna, electa vt Sol? Et meritò sicut Luna speciosa Ecclesia, quæ toto mūdo refulsit, & tenebras seculi huius illuminans, dicit: Nox præcessit, dies appropinquabit. Pulchrè ait: Prospiciens; quasi suos de superiore prospectans; sicut habes: Dominus de cœlo prospexit super filios hominum. Prospiciens ergo Ecclesia, sicut Luna defectū habet & ortus frequentes; sed defectibus suis creuit, & iis meruit ampliari, dum persequutionibus minutur, & Cōfessorū martyriis coronatur. Hæc est vera Luna, quæ de fratris sui luce perpetua lumen sibi immortalitatis & gratiæ mutuatur: Fulget enim Ecclesia non suo, sed Christi lumine; & splendorem sibi arcessit de Sole iustitiæ; vt dicat: Viuo autē iam non ego; viuit autem in me Christus. Beata planè, quæ tantum insigne meruisti. Vnde te non tuis neomeniis, sed typo Eccle- Ioan. 1. Psalm. 71. Cant. 6. Rom. 13. Psalm. 13. Ecclesia quomodo ortus & defectus habeat. Galat. 2.

siæ beatã dixerim: In illis enim seruis, in hoc diligeris.

Aug. Tom. 8. in Psalm: 90. cõcio. 2. Ecclesiam vnam, sanctam & Catholicã esse. Colos. 3. Lu. 2. & 23. Matth. 16. Ephes. 1. Colos. 1. Ecclesia Christi Catholica, siue vniuersalis est loco & tempore. Genes. 4. Ephes. 5. Colos. 1.

Dominus noster Iesus Christus, tanquam totus perfectus vir & caput & corpus; caput in illo homine agnoscimus, qui natus est de Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, sepultus, resurrexit, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, inde illum expectamus Iudicem viuorum atq; mortuorum, hoc est, caput Ecclesiæ. Corpus autem huius capitis Ecclesia est; non quæ hoc loco est, sed quæ hoc loco & per totum orbem terrarum; nec illa, quæ hoc tempore, sed ab ipso Abel vsq; ad eos, qui nascituri sunt vsq; in finem, & credituri in Christum, totus populus Sanctorum, ad vnam ciuitatem pertinentium, quæ ciuitas corpus est Christi, cui caput est Christ°; ibi sunt & Angeli ciues nostri: Sed quia nos peregrinamur, laboramus; illi autem in ciuitate expectant aduentum nostrum.

Aug. tom. 8. Psalm. 56 prope initium. Marc. 16. Eph. 1. & 5. Colos. 1.

Caput (Ecclesiæ) est ipse Saluator noster, passus sub Pontio Pilato, qui nunc, postea quàm surrexit à mortuis, sedet ad dexteram Patris. Corpus autem eius est Ecclesia, non autem ista aut illa, sed toto orbe diffusa; nec ea, quæ nunc est in hominibus, qui præsentem vitam agunt; sed ad eam pertinentibus, etiã his, qui fuerunt ante nos, & his, qui futuri sunt post nos vsq; in finem seculi: Tota enim Ecclesia constans ex omnibus fidelibus, quia fideles omnes membra sunt Christi, habet illud caput positum in cœlestibus, quod gubernat corpus suum; etsi separatum est à visione, sed annectitur charitate.

Qua-

Qualem veſaniam patiuntur hæretici, quæſo vt attendatis. Illi præciſi à compagine Eccleſiæ Chriſti, & partem tenentes, et tòtum amittentes, nolunt communicare orbi terrarũ, quo diffuſa eſt gloria Chriſti. Nos autem Catholici in omni terra ſumus; quia omni terræ communicamus, quacunque gloria Chriſti diffuſa eſt: Videmus enim, quod tunc cantatum eſt, modò cõpletum: Exaltatus eſt ſuper cœlos Deus noſter, & ſuper omnem terram gloria ipſius. O hæretica inſania, quod non vides, credis mecũ; quod vides, negas. Credis mecum exaltatum Chriſtum ſuper cœlos, quod non vidimus; & negas gloriam eius ſuper omnem terram, quod videmus.

Aug. Ibidẽ in verſic: Et ſuper omnẽ terram gloria tua.

Hæretici præciſi ab Eccleſię cõpagine, partem tenent, totũ amittunt. Pſalm. 56. & 107. Pſalm. 107.

Quæſtio certè inter nos verſatur, vbi ſit Eccleſia, vtrùm apud nos, an apud illos: Quæ vtique vna eſt, quam maiores noſtri Catholicam nominârunt, vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt: Secundùm totum enim καθ' ὅλον Græcè dicitur. Hæc autẽ Eccleſia corpus Chriſti eſt; ſicut Apoſtolus dicit: Pro corpore eius, quæ eſt Eccleſia. Vnde vtiq; manifeſtum eſt, eum, qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianam ſalutem habere non poſſe.

Aug. Tom. 7. de Vnitate Eccle. cõtra Petiliani Donatiſtæ Epiſtol. cap. 1.

Eccleſia quare dicitur Catholica.

Coloſ. 1.

Tenenda eſt nobis Chriſtiana religio, & eius Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolùm à ſuis, ſed etiã ab omnibus inimicis: Velint enim nolintue ipſi quoque hæretici & ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum ex-

Aug. Tom. 1. de vera Religione cap. 7.

Retinenda ſemper Eccleſiæ Catholicæ cõmunio.

traneis loquũtur, Catholicã nihil aliud, quàm Catholicam vocant: Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernãt, quo ab vniuerso orbe nuncupatur.

Aug. Tom. 6. de vtilit. credendi cap. 7.

Fac nos, vt dixi, nunc primùm quærere, cui nam religioni animas nostras purgandas instaurãdasq; tradamus. Proculdubio à Catholica Ecclesia sumendum exordium: Plures enim iam Christiani sunt, quàm si Iudæi simulachrorũ cultoribus adiungantur. Eorundem autẽ Christianorum cùm sint hæreses plures, atq; omnes se Catholicos velint videri, aliosq; præter se hæreticos nominent, vna est Ecclesia, vt omnes concedunt, si totum orbem consideres, refertior multitudine, vt autem, qui nouerunt, affirmant, etiã veritate syncerior cæteris omnib⁹: Sed de veritate alia quæstio est. Quod autem quærentibus satis est, vna est Catholica, cui hæreses aliæ diuersa nomina imponunt, cùm ipsæ singulæ propriis vocabulis, quæ negare non audeant, appellentur. Ex quo intelligi datur iudicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui sit Catholicum nomen, ad quod omnes ambiunt, tribuendum.

Quid agendũ inter varias de Religione opiniones.

Quæ nam Ecclesia sit Catholica.

Aug. Tom. 7. contra literas Petiliani, lib. 2. cap. 13.

Quærimus, vnde fuerit Diabolus homicida ab initio, & inuenimus, quòd primum hominẽ occiderit; non gladiũ stringendo, aut aliquam vim corporalitèr infigendo, sed persuadendo peccatum, & à Paradisi felicitate deiiciendo. Quod tunc Paradisus, hoc nunc Ecclesia. Diaboli ergo filij sunt, qui homines ab Ecclesia seducendo interficiunt. Sicut autẽ per verba Dei nouimus, vbi sit plantat⁹ Paradisus, sic per verba Christi, vbi

sti, vbi sit Ecclesia, didicimus: Per omnes, inquit, gentes, incipiens ab Hierusalem. Ab isto vniuerso ad partem quamlibet quisquis separat hominem, ille Diaboli filius & homicida conuincitur. Luc. 24.

Quadripartita vestis Domini nostri Iesu Christi, quadripartitam figurauit eius Ecclesiam, toto scilicet, qua quatuor partibus constat, terrarũ orbe diffusam, & omnibus eiusdem partibus æqualiter, id est, concorditer distributam. Propter quod alibi dicit, missurum se Angelos suos, vt colligant electos eius de quatuor ventis. Quod quid est, nisi à quatuor partibus mundi Oriente, Occidente, Aquilone & Meridie? Aug. tractatu 11. in Ioannis Euãgelium. Ecclesia Catholica. Esa. 11.

Ipse Christus est propitiatio pro peccatis nostris, non tantùm nostrorum, sed & totius mundi. Quid est hoc, fratres? Certè inuenimus eam in campis salutem, inuenimus Ecclesiam in omnibus gentibus. Ecce Christus propitiatio est peccatorum nostrorum, non tantùm nostrorum, sed & totius mundi. Ecce habes Ecclesiam per totum mundum. Augustin. in Epist. Ioan. tractat. 1. 1. Ioan. 2. Ecclesia Catholica.

Nũ quid sic ostendemus Ecclesiã, fratres mei, quomodo ostẽditur hominib⁹ noua Luna? Nonne apta est? Nonne manifesta? Nonne obtinuit oẽs gẽtes? Nonne impletur, quod ante tot annos promissum est Abrahæ, in semine eius benedici omnes Gentes? Vni fideli promissum est; in millibus fidelium mundus impletus est. Aug. in Epist. Ioan. tractat. 1.

Nemo dubitat de Ecclesia, quia per omnes Gentes est. Nemo dubitat, quia ab Hierusalẽ cœpit, & omnes Gentes impleuit. Agnoscimus agrum, vbi vitis plantata est etc. Illi autem Donatistæ sic honorant Chri- Aug. in Epi. Ioan. tractatu. 2. Ecclesia Catholica.

stum, vt dicant, illum remansisse ad duas linguas, Latinam et Punicam, id est, Aphram. Solas duas linguas tenet Christus? Istæ enim duæ linguæ solæ sunt in parte Donati, plus non habent.

Aug. contra Petiliani Epist. ca. 3. Ecclesia Catholica. Matth. 24.

Si Christi Ecclesia Canonicarum scripturarum diuinis & certissimis testimoniis in omnibus gentibus designata est, quicqd attulerint (Donatistæ, vel Rogatiani, vel Rupitani, vel Montenses) & vndecunq; recitauerint, qui dicunt: Ecce hîc Christus; ecce illic; audiamus potiùs, si omes eius sumus, vocẽ Pastoris nostri, dicentis: Nolite credere; illæ quippe singulæ (Ecclesiæ) in multis gentibus, vbi ista (nostra Ecclesia) est, non inueniuntur. Hæc autem (nostra Ecclesia) quæ vbiq; est, etiam, vbi illæ (Ecclesiæ) sunt, inuenitur. Ergo in scripturis sanctis Canonicis eam requiramus.

Aug. contra Petiliani Donatistæ epist. cap. 4. Matth. 19. Mẽbra Ecclesiæ quinam sint.

Totus Christus caput & corpus est; caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius Ecclesia, sponsus & sponsa duo in carne vna. Quicũq; de ipso capite à scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inueniantur, in quibus Ecclesia designata est, nõ sunt in Ecclesia. Et rursus: Quicunq; de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia; quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt. Verbi gratia: Qui non credunt, Christum in carnẽ venisse de virgine Maria, ex semine Dauid, quod apertissimè scriptura Dei loquitur, aut non in corpore

ipso

ipso resurrexisse, in quo crucifix⁹ & sepult⁹ est; etiãsi per omnes terras inueniantur, per quas est Ecclesia; nõ vtiq; sunt in Ecclesia, quia ipsum caput Ecclesiæ nõ tenent, quod est Christus Iesus; nec in aliqua diuinarũ scripturarum obscuritate falluntur, sed notissimis & apertissimis earum testimoniis contradicunt. Itẽ quicunq; credunt quidem, quòd Christus Iesus ita, vt dictũ est, in carne venerit, & in eadem carne, in qua natus & passus est, resurrexerit &c. sed tamen ab eius corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, vt eorum communio non sit cum toto, quacunq; diffunditur, sed in aliqua parte separata inueniatur; manifestum est, eas non esse in Catholica Ecclesia.

Nec eos audiamus, qui sanctã Ecclesiam, quæ vnica, Catholica est, negãt per orbẽ esse diffusam, sed in illa sola Aphrica, hoc est, in parte Donati pollere arbitrantur. Ita surdi sunt, aduersùm Prophetã, dicentẽ: Filiꝰ meus es tu, ego hodie genui te; postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terræ. Augustinus de agone Christia. cap. 29. Ecclesia Catholica. Psalm. 2.

Obscuriùs dixerunt Prophetæ de Christo, quàm de Ecclesia. Puto propterea, quia videbant in Spiritu, contra Ecclesiam homines facturos esse particulas, & de Christo non tantam litem habituros, de Ecclesia magnas contentiones excitaturos. Ideo illud, vnde maiores lites futuræ erant, planiùs prædictum, & apertiùs prophetatum est, vt ad iudicium illis valeat, qui viderunt, & foràs fugerunt &c. August. in Psalm. 30. cõcio 2. versu: Qui videbant &c.

Ecclesia non est prædicata, nisi toto terrarum orbe.

Aug. aduersus Epistol. Manichæi quam fundamenti vocat. cap. 4. Multa sunt, quæ nos in Ecclesia tenent.

Multa sunt, quæ me in Ecclesiæ gremio iustissime tenent. Tenet me consensio populorum atq; gentium; tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem suam Dominus commendauit, vsq; ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotũ: Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod, nõ sine caussa, inter tam multas hæreses sola obtinuit.

Aug. contra literas Petiliani, lib. 2. capit. 13. & 55. & 73. Actor. 10. Aug. de vtilit. Credendi. cap. 7.

Sicut per verba Dei nouimus, vbi sit plantatus Paradisus; sic per verba Christi, vbi sit Ecclesia, didicimus: Per omnes, inquit, gentes incipiens ab Hierusalẽ. etc.

Vna est Catholica Ecclesia, cui hæreses aliæ diuersa nomina imponunt, cùm ipsæ singulæ propriis vocabulis, quæ negare non audeant, appellentur.

Aug. Tom. 2. epist. 159 Honorato Donatiano. Vide eadẽ de re Epist. 50. ad Bonifacium.

Quoniam Ecclesiam Dei, quæ Catholica dicitur, sicut de illa prophetatũ est, per orbem terrarũ diffusam vidimus, arbitramur, nos non debere dubitare de tam euidentissima cõpletione sanctæ prophetiæ, quam Dominus etiam in Euangelio confirmauit, & Apostoli, per quos eadem Ecclesia dilatata est, sicut de illa prædictum erat: Nam & in capite sacrosancti Psalterij scriptum est de filio Dei: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuã terminos terræ. Et ipse Dominus Iesus Christus dicit, Euangelium suum in omnibus Gentibus futurum.

Ecclesiam verã & Catholicã, visibilem & manifestam esse. Psalm. 2. Matth. 24. Lucæ. 24.

Et

Et Apostolus Paulus, antequàm sermo Dei in Africam peruenisset, in ipso capite Epistolæ, quam scribit ad Romanos: Per quam accepimus, inquit, gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius. Deinde ipse ab Hierusalem in circuitu per totam Asiam vsq; in Illyricum Euangelium prædicauit, Ecclesias constituit atque fundauit, non ipse, sed gratia Dei cum eo, sicut ipse testatur. Quid autem euidentius apparere potest, quàm cùm in eius Epistolis nomina etiam regionum vel ciuitatum inuenimus? Ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses, ad Colossenses scribit. Ioannes etiam scribit ad septem Ecclesias, quas commemorat in illis partibus constitutas, in quibus etiam vniuersas Ecclesias septenario numero intelligimus commendari, Ephesum, Smyrnam, Sardos, Philadelphiam, Laodiciam, Pergamũ, Thiatyram, quibus omnibus Ecclesiis nos hodie communicare manifestum est, vos istis Ecclesiis non communicare.

Rom. 1.
Rom. 15.
1. Cor. 15.

Ecclesia nõ est inuisibiliset mathematica; qualem recẽtes hæretici ex iustis vel p̃destinatis tãtùm conflatam imaginantur.

Apo. 1. & 2.

Quis ascendet in montem Domini? Innocens manibus & mundo corde. In his magnus Dominus & laudabilis valde, hoc est, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Hæc est ciuitas in monte posita, quæ abscondi non potest. Hæc est lucerna, quæ sub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata. Non autem vniuersi ciues eius sunt, sed illi, in quibus magnus Dominus & laudabilis valde. Quæ est ergo

Aug. tom. 8.
Psal. 47.
Psal. 23.
Psal. 47.
Matth. 25.

Ecclesia Catholica ciuitas est supra montem, & lucerna super cãdelabrũ posita.

ista ciuitas? Videamus, ne fortè, quia dictum est: In
Psal. 47. *ciuitate Dei nostri in monte sancto eius; debeamus*
quærere istum montem, vbi etiam exaudiri possimus:
Psal. 3. *Non enim frustra dicitur in alio Psalmo: Voce mea*
ad Dominum meum clamaui, & exaudiuit me de
monte sancto suo. Adiuuit ergo te mons iste, vt exau-
direris: Nam si in eum non ascenderes, infrà iacens
clamare posses, sed exaudiri non posses. Quis est ergo
iste mons, fratres? Magna cura inquirendus, magna
solicitudine inuestigandus, labore etiam occupandus
& ascendendus. Sed si in aliqua parte terrarum est,
quid faciemus? Peregrinabimur de terra nostra, vt
ad illum montem peruenire possimus? Imò verò tunc
peregrinabimur, si in illo non sumus: Ipsa est enim ci-
uitas nostra, si membra Regis sumus, qui caput est ci-
uitatis ipsius. Vbi ergo est iste mons? Si regionem ali-
quam tenuit, laborandum est, vt dixi, vt ad eum per-
ueniatur. Sed quid satagis? Vtinã non sis piger ascen-
dere in montem, quomodo mons non fuit tardus veni-
Rom. 9. Daniel 2. *re ad dormientem: Fuit enim quidam lapis angularis*
Luc. 1. & 2. Rom. 9. *contemptibilis, in quem Iudæi offenderunt; præcisus*
est de quodam monte sine manibus, hoc est, de regno Iu-
dæorum veniens sine manibus, quia humanum opus
non accessit ad Mariam, de qua natus est Christus. Sed
si lapis iste, vbi in eum offenderunt Iudæi, ibi rema-
neret; tu quô ascenderes, non haberes. Quid autem fa-
ctum est? Quid dicit Prophetia Danielis? Quid nisi
quia creuit lapis iste, et factus est mõs magnus? Quàm
magnus?

Ecclesia Christi mõs est ille magnꝰ, q apud Danielẽ implere vniuersam faciem terræ dicitur. Daniel 2.

magnus? Ita vt impleret vniuersam faciem terræ.

Donatiani vel Donatistæ sunt, qui primùm propter Cæcilianum contra suam voluntatẽ ordinatum Ecclesiæ Carthaginensis Episcopum, schisma fecerunt, obiicientes ei crimina non probata, & maximè quòd à traditoribus diuinarum scripturarum fuerit ordinatus. Sed post causſam cum eo dictam atq; finitam, falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissensione firmata, in hæresin schisma verterunt; tanquam Ecclesia Christi propter crimina Cæciliani, seu vera, seu, quod magis apparuit iudicibus, falsa, de toto terrarum orbe perierit, vbi futura promissa est, atque in Aphrica Donati parte remanserit, in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis extincta.

Aug. tom. 6. de hęresib⁹, hæres 69. Ecclesiã eo bonis tantùm constare, Donatistas & Pelagianos existimasse.

Si verò iam tunc non erat Ecclesia, quia Cyprianus & quicunque cum eo auaros illos rapacesque nouerant, quales ipsi non erant, quamuis eos grauissimis gemitibus & præclarissimis vocibus accusarent; vnã tamen cum eis intrantes Ecclesiam, & in vna congregatione paria Sacramenta tractantes, per huiusmodi communionem paris sortis effecti sunt; quia non obtemperauerunt Apostolo iubenti, vt cum huiusmodi nec cibum quidem simul sumerent; &: Auferte malum ex vobis ipsis. Quid adhuc laboramus? Quid se ipsi iactant, quòd habeant aliquam Ecclesiam, si iam illis temporibus esse destiterit? Dicant, vnde natus est Maiorinus aut Donatus, vt per eos nasceretur Parmenianus atque Primianus: Quid enim eis prodest, quòd

Aug. tom. 7. contra Epistolam Parmeniani lib. 3. ca. 2.

1. Cor. 5.

quòd auaros & rapaces, cum quibus cibum suum vetat Apostolus, modò se vel non habere in congregatione sua, vel incognitos sibi esse mentiuntur; quandoquidem fuerunt tales in illa vnitatis Ecclesia, vnde isti exortos se sic iactitant, vt eam in sua sola societate, id est, in communione Donati remansisse persuadere conentur? Si enim dicunt, per talium communionem perire Ecclesiam, cur eam non dicunt iam Cypriani periisse temporibus? Ac si & per se ipsos vnde existerent non inuenientes, dicere desinant, apud se Ecclesiam remansisse, quam totam prioribus periisse temporibus dicunt.

Donatistæ apud se tantùm Ecclesiam esse dicebãt; quos imitãtur hæretici nostri temporis.

Augustinus ibidem.

Sed iam cætera, quæ Parmenianus posuit, testimonia studeamus videre. Inter omnia, quibus eorum sacrilegus tumor apparet, nullo se loco magis aperuit, quàm in eo, quòd ausus est etiam illud Hieremiæ Prophetiæ ponere, vnde persuaderet cæteris hominibus communionem Donatistarum, non solùm Ecclesiam veram esse, sed etiam talem iam hoc tempore, qualis post vltimam ventilationem Ecclesia sancta futura est: Cui sacrilegæ præsumptioni, & nefandæ elationi quid addi possit, ignoro.

Hierem. 23.

Aug. tom. 6. de hæresib. hæres. 88.

In id etiam progrediuntur (Pelagiani) vt dicant, vitam iustorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi hac mortalitate perfici, vt sit omnino sine macula & ruga, quasi non sit Christi Ecclesia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum: Dimitte nobis debita nostra.

Pelagiani Christi Ecclesiã omnino sine macula & ruga in hac mortalitate posuerunt.

Matth. 6.

Vbicunq;

Vbicunque in his libris (nempe de Baptiſmo contra Donatiſtas) commemoraui, Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, non ſic accipiendũ eſt, quaſi iam ſit; ſed quæ præparatur, vt ſit, quando apparebit etiam glorioſa: Nunc enim propter quaſdã ignorantias et infirmitates membrorum ſuorum habet, vnde quotidie tota dicat: Dimitte nobis debita noſtra.

Aug. tom. 1. lib. 2. Retract. ca. 18.
Eccleſiam ex bonis malisq; membris conſtare.
Eccleſia quando erit ſine macula & ruga.
Matth. 6.
Auguſt. tom. 9. in Euangel. Ioannis tract. 6.

Nos fatemur, in Eccleſia Catholica et bonos & malos eſſe, ſed tanquam grana et paleas. Aliquãdo qui baptizatur à grano, palea eſt; qui baptizatur à palea, granum eſt.

In Eccleſia Catholica grana ſunt & paleæ. Matt. 3.
Aug. tom. 10. de temp. ſerm. 107.

Habet Eccleſia in ſe fortes, habet infirmos; habet iuſtos; habet & iniuſtos: Modò enim corpus Chriſti, quod iuſtis area eſt, poſtea horreum erit: Tamen cùm area eſt, non recuſat paleas ſuſtinere. Cùm tempus aduenerit, reponet triticum, & à paleis ſegregabit.

Dominica in Paſſione, Ser. 1.
Matth. 3.
Eccleſia in hac vita eſt area, triticũ & paleas continẽs; pòſt verò horreũ futura
Auguſtin. tom. 8. Pſal. 47.

Nunc populus Dei cenſentur omnes, qui portant Sacramenta eius; ſed non omnes pertinent ad miſericordiam eius: Omnes quippe Sacramentum Baptiſmi Chriſti accipientes, Chriſtiani vocantur; ſed non omnes dignè illo Sacramento viuunt: Sunt enim quidam, de quibus dicit Apoſtolus: Habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes; tamen propter ipſam ſpeciem pietatis in populo Dei nominãtur, quomodo ad aream, quàm diu trituratur, non ſolùm grana, ſed etiam palea pertinet.

Nunc in populo Dei cẽſentur, quicunque portant Sacramenta eius, quamuis minùs dignè viuant.
2. Tim. 3.
Matth. 3.

Firmiſſimè

Aug. de fide ad Petrum, ca. 43.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Arcam Dei esse Catholicam Ecclesiam, & intra eam vsq

In Ecclesia boni sunt & mali.

finem seculi frumento mixtas paleas contineri, h est, bonis malos Sacramentorum communione mis ri; & in omni professione, siue Clericorum, siue M nachorum, siue Laicorum, bonos esse simul & ma nec pro malis bonos deserendos, sed pro bonis mala quantum exigit fidei & charitatis ratio, tolera dos &c.

Aug. de nuptiis & concupiscentiis ad Valeriū lib. 1. ca. 34.

Non solùm omnia peccata, sed omnium pro hominum mala, Christiani lauacri sanctitate tolli tur, quo mundat Ecclesiam suam Christus, vt ex beat eam sibi, non in isto seculo, sed in futuro non bentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusm

Ecclesia nō est hîc sine macula.

Nam qui modò talem esse dicunt, & tamen in sunt, quoniam et ipsi fatentur, se habere peccata; rum dicant, profectò quoniam mundi non sunt a catis, habet in eis Ecclesia maculam. Si autem fa dicunt, quia corde duplici loquuntur, habet in eis clesia rugā. Si autem dicunt, se habere ista, non ip ergo se nō esse membra eius, nec se ad corpus eius pe nere, fateantur, vt etiam sua confessione damnen

Aug. lib. 1. Retractat. cap. 19.

Quòd libro secundo de Sermone Domini in m dixi (de Ecclesia) quam sibi Deus elegit gloriosam clesiam, non habentem maculam, neq; rugam, non dixi, quia nunc ex omni parte iam talis est, quam ad hoc electa non dubitetur, vt talis sit, quando C stus apparuerit, vita eius: Tunc enim & ipsa q

vebit cum illo in gloria, propter quam gloriam dicta est gloriosa Ecclesia.

Mali Christiani sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali; quando euomuntur, tunc reuelatur corpus: Sic & mali, quando exeunt, tunc releuantur. Augustin. Cano. Ioā. Tract. 3.

Multi, qui non sunt ex nobis, accipiunt nobiscum Sacramenta, accipiunt nobiscum Baptismum, accipiūt nobiscum, quod norūt fideles accipere benedictionem, Eucharistiam, & quidquid in Sacramentis sanctis est, ipsius altaris communicationem accipiunt nobiscum, & non sunt ex nobis &c. Aug. ibidē. Communicant malicū bonis, in participatione Sacramētorum.

Cùm siue per negligentiam Præpositorum, siue per aliquam excusabilem necessitatem, siue per occultas obreptiones inuenimus in Ecclesia malos, quos Ecclesiastica disciplina corrigere aut coërcere nō possumus; tunc nec ascendat in cor nostrum impia & pernicioſa præsumptio, qui existimemus, nos ab his esse separandos, vt peccatis eorum non inquinemur, atque ita post nos trahere conemur, veluti mundos sanctosque discipulos, ab vnitatis compage quasi à malorum consortio segregatos; veniant in mentem illæ de scripturis similitudines & diuina oracula vel certissima exempla, quibus demonstratum & prænuntiatum est, malos in Ecclesia permixtos bonis vsque in finem seculi tempusq; iudicij futuros, & nihil bonis in vnitate ac participatione Sacramentorum, qui eorum factis non consenserint, ob futuros. Aug. de fide operibus, c. 5. tom. 4. Ecclesiam propter malos non deserendā, nec diuidēdam esse. Permixtio malorū in Ecclesia nō nocet iis, q eorū factis nō consentiunt.

Hinc beatus Cyprianus quid senserit, accipe ex epistola,

Aug. contra Crescon. lib. 2. ca. 34. tom. 7.

epistola, quam scripsit ad Presbyterum Maximum, & cæteros, quibus de schismatico & hæretico errore ad Ecclesiam redeuntibus gratulatur: Nam etsi videntur, inquit, in Ecclesia esse zizania; non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra, vt quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tantummodò laborandum est, vt frumentum esse possimus, vt, cùm cœperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in Epistola sua dicit: In domo autem magna non solùm vasa sunt aurea & argentea, sed & lignea & fictilia; & quædam quidem honorata, quædam inhonorata. Nos operam dem⁹, et, quantum possumus, laboremus, vt vas aureum & argenteum simus. Cæterùm fictilia vasa confringen, Domino soli concessum est, cui virga ferrea data est. Esse non potest maior Domino suo seruus, nec quisquam sibi, quod soli filio Pater tribuit, vendicare, v se putet aut aream ventilandam & purgandam paleam ventilabrum iam ferre posse, aut à frumento vniuersam zizaniam humano iudicio separare. Superba est illa obstinatio et sacrilega præsumptio, quam sibi furor prauus assumit. Et dum sibi semper quidq; plusquàm mitis iustitia deposcit, assumunt, de Ecclesia pereunt; & dum se insolenter extollunt, ipso fu tumore cæcati, veritatis lumen amittunt. Vides frater secundùm scripturas diuinas hoc præcepisse Cyprianum, etiam propter malos: Qui cùm sint à boni vit

Matth. 13. Nulli ex Ecclesia recedere debēt propter zizania, sed laborent singuli, vt frumētum esse possint.

2. Tim. 2. In Ecclesia non solùm vasa aurea & argentea; sed & lignea & fictilia.

Psal. 2.

Matth. 10.

Ioan. 13.

Luc. 3.

Matth. 3.

vita moribusque spiritualiter separati; corporaliter tamen eis in Ecclesia videntur esse permixti, vsque in diem iudicij, quo etiam corporaliter debitas separabuntur ad pœnas. Non est Ecclesia deserenda tanquã frumenta propter paleam vel zizania, sicut nec domus magna propter vasa inhonorata. Vides, audis, sentis, capis, intelligis, quanto scelere propter eos, qui vobis siue rectè siue cum fallimine displicent, separemini ab Ecclesia, quæ toto orbe diffunditur, cui secundùm scripturas diuinas, tam magnum, tam firmum, tam clarum atque luculentum testimonium perhibet Cyprianus. Matth. 3. Matth. 13. 2. Timot. 2.

Credimus sanctam Ecclesiam Catholicam. Sciendum est, quòd Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debemus: Quia Ecclesia non est Deus, sed domus Dei est; Catholicam dicit toto orbe diffusam, quia diuersorum hæreticorum Ecclesiæ ideo Catholicæ non dicuntur, quia per loca, atque per suas quasque prouincias continentur: Hæc verò à Solis ortu vsque ad occasum vnius fidei splendore diffunditur. Augustin. de temp. serm. 131. Psal. 49.

Nunc illud vos admoneo, vt aliquando Ecclesiæ Catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet &c. Aug. de moribus Ecclesiæ lib. 1. capit. 24.

Propterea huius conclusio Sacramenti per sanctam Ecclesiam terminatur; quoniam si quis absque ea inuentus fuerit, alienus erit à numero filiorum. Augustin. de symbolo. li. 4. capit. 10. Tom. 9.

Ab Ecclesiæ gremio nulli esse discedendum, & extra hanc frustra sperari salutē.

Non habebit Deū Patrē, qui Ecclesiā noluerit habere Matrem.

Idem docet Cypr. tract. de simplicitate Prælatorum.

Ephes. 5.

Lucæ. 24.

Omnis congregatio hęreticorum concubina est & ancilla in dominam insolescens.

Nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem: Nihilq; ei valebit, quòd credidit vel fecit tanta bona sine fine summi boni. Ecclesia mater est spiritalis, Ecclesia sponsa Christi est, gratia eius dealbata, pretioso sanguine dotata; totum possidet, quod à viro suo accepit in dote. Lego tabulas matrimoniales eius, recitabo. Audite hæretici quid scriptum sit: Oportebat Christum pati & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes. Omnes gentes totus mundus est; Ecclesia totum possidet, quod à viro suo accepit in dote. Quæcunque congregatio cuiuslibet hæresis in angulis sedet, concubina est, non mater. O hæresis Arriana, quid insultas, quid exufflas, quæ etiam ad tempus multa vsurpas? Iniuriam à te patitur domina ab ancilla, multas ei ingeris contumelias licet hæc doleat, non te magna metuit sponsa Christi sancta Catholica: Cùm enim respexerit ille sponsus, dicieris tu vt ancilla cum filiis tuis; quoniam non erunt hæredes filij ancillæ cum filiis liberæ. Cognosce vna, sancta & vera Regina Catholica, cui Christus regnum tale dedit, quòd eam per totum mundum diffundens, ab omni macula & ruga mundans, tibi pulchram suo aduentu præparauit.

August. de temp. serm. 181 qui est in vigil. Pentecostes ser. 1. capit. 12. tom. 10.

Quisquis ille est, & qualiscunq; ille est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est: Sola quippe est, per quam sacrificium Dominus libenter accipiat; sola, quæ pro errantibus fiducialiter intercedat;

Vnde etiam de agni hostia Dominus præcepit, dicens: In vna domo comedetis, nec efferetis de carnibus eius foràs: In vna namq; domo agnus comeditur; quia in vna Catholica Ecclesia vera hostia Redemptoris immolatur. De cuius carnibus diuina iussio efferri foràs prohibet; quia dari sanctum canibus vetat. Sola est, in qua opus bonum fructuosè peragitur, vnde mercedem denarij non, nisi qui intra vineam laborauerant, acceperunt. Sola est, quæ intra se positos valida charitatis compage custodit. Vnde & aqua diluuij arcam quidem ad sublimiora sustulit; omnes autem, quos extra arcam inuenit, extinxit. Sola est, in qua mysteria superna veraciter contemplemur. Vnde ad Moysen Dominus dicit: Est locus apud me, & stabis supra petram. Et paulò pòst: Tollam manum meam, & videbis posteriora mea: Quia enim ex sola Catholica Ecclesia veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur. In petra Moyses ponitur, vt Dei speciem contempletur; quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non agnoscit: Auelle, inquit Cyprianus, radiũ Solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit: Frange ramum ab arbore, fractus germinare nõ poterit. A fonte præcide riuum, præcisus arescit. In his Cypriani verbis intelligimus, lucẽ non capere diuisionẽ, nisi in sanctis regno Dei p̃destinatis, qui diuidi ab Ecclesia nullo modo possunt; et nõ germinare ramũ fractũ

Exod. 16.
In sola Ecclesia bonũ opus fructuosũ est, & vera hostia Redemptoris immolatur.
Matth. 7.
Matth. 20.
Genes. 7.
Exod. 33.
Ex sola Catholica Ecclesia veritas conspicitur.
Cyprian. de simpli. Prælatorum.

salutis æternæ germine, accipimus; ariditatem ve
riui à fonte præcisi, in eo, quòd Spiritu sancto vacuã
tur, qui ab vnitate separantur, agnoscimus.

Aug. ad Bonifaciũ comitem. Epi. L. sub finẽ. Tom. 2. Roman. 5.

Proinde Ecclesia Catholica sola corpus est Christi cuius ille caput est, Saluator corporis sui. Extra h corpus neminem viuificat Spiritus sanctus; quia, s cut ipse dicit Apostolus, charitas Dei diffusa est cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus nobis. Non est autem particeps diuinæ charitatis, q hostis est vnitatis. Non habent itaque Spiritum sa ctum, qui sunt extra Ecclesiam: De illis quippe sc ptum est: Qui seipsos segregant, animales, Spiritu non habentes. Sed nec ille eum percipit, qui fictus in Ecclesia; quoniam & inde scriptum est: Sanct enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum. Qui e vult habere Spiritum sanctum, caueat foris ab Ec sia remanere, caueat in eam simulatè intrare.

Extra Ecclesiam neminem viuificat Spiritus sanctus.

Roman. 5. udæ 1. ap. 1.

Aug. de vtilitate credendi. cap. 8. Tom. 6.

Sæpe rursus intuens, quantum poteram, men humanam tam viuacem, tam sagacem, tam per cacem, non putabam latere veritatem, nisi quò ea, quærendi modus lateret, eundemque ipsum dum ab aliqua diuina autoritate esse sumendum. stabit quærere, quæ nam illa esset autoritas, cùm tantis dissensionibus se quisque illam traditurum licereturo. Occurrebat igitur inexplicabilis sylua demum inseri multum pigebat; atque inter hæc, vlla requie, cupiditate reperiendi veri animus tabatur. Dissuebam me tamen magis magisq; ab

Lib. confes. 5. cap. 10. & lib. 6. ca. 11.

quos iam deſerere propoſueram. Reſtabat autem aliud nihil in tantis periculis, quàm vt diuinam prouidentiam lachrymoſis & miſerabilibus vocibus, vt opem mihi ferret, deprecarer. Atque id ſedulò faciebam, & iam ferè me commouerant nonnullæ diſputationes Mediolanenſis Epiſcopi, vt non ſine ſpe aliqua de ipſo veteri teſtamento multa quærere cuperem, quæ, vt ſcis, malè nobis commendata execrabamur. Decreueramq; tam diu eſſe Catechumenus in Eccleſia, cui traditus à parentibus erã, donec aut inuenirem, quod vellem, aut mihi perſuaderem non eſſe quærendum. Opportuniſsimum ergo me ac valde docilem tunc inuenire poſſet, ſi fuiſſet, qui poſſet docere. Hoc ergo modo & ſimili animæ tuæ cura ſit, diu te quoque affectum vides, & ſi iam ſatis tibi iactatus videris, finemq; huiuſmodi laboribus vis imponere, ſequere viam Catholicæ diſciplinæ, quæ ab ipſo Chriſto per Apoſtolos ad nos vſque manauit, & ab hinc ad poſteros manatura eſt.

Lib. 5. confeſ. cap. 13.

Lib. 5. confeſ. cap. 14.

Quamobrem tametſi docere non valeo, monere tamen non deſino; vt quoniam multi ſapientes videri volunt, neque vtrùm ſint ſtulti, dignoſcere facile eſt; omni intentione votisq; omnibus, gemitibus denique, vel etiam, ſi fieri poteſt, fletibus Deum deprecare, vt te ab erroris malo liberet, ſi tibi beata vita cordi eſt. Quod facilius fiet, ſi præceptis eius (nempe religionis) quæ tanta Eccleſiæ Catholicæ autoritate firmata eſſe voluit, libens obtemperes.

Auguſt. ibidem. ca. 15.

August. ibidem, ca. 17.

Hoc (vt arctam viam salutis homines ingrederentur) factum est diuina prouidentia per Prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamq; Christi, per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per Sanctorum prædicabilem vitam; atque in his vniuersis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum manifestate damnatis, culmen autoritatis obtinuit? Cui non male primas partes dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ: Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cui eos rationi præcolit fides; quid est aliud ingratum esse opi atq; auxilio diuino, quàm tanto labore præditæ autoritati velle resistere?

Quàm fit tutum, Ecclesiæ gremio condi. Ecclesia, in qua est sedes Apostolica, culmẽ autoritatis obtinuit.

Aug. contra Cresconiũ, lib. 1. capit. 33. tom. 7.

Proinde quamuis huius rei (non rebaptizandos esse hæreticos) certè de scripturis Canonicis non proferatur exemplum; earundem tamen scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc sentimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum cõmendat autoritas; vt quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisquis fa-

Ecclesiam non errare; neque suos in errorem inducere.

li-

li metuit huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta scriptura demonstrat.

In ventre Ecclesiæ veritas manet. Quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est, vt falsa loquatur: Necesse est, inquam, vt falsa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excussit. Aug. Tom. 8. Psal. 57. In ventre Ecclesiæ veritas est.

Cùm ergo necesse sit, alterum horum librorum esse mendacem, cui nos potiùs censes fidem accõmodare debere? Eine, quem illa Ecclesia ab ipso Christo inchoata, & per Apostolos prouecta certa successionum serie, vsque ad hæc tempora toto terrarum orbe dilatata, ab initio traditum & conseruatum agnoscit atque approbat; an ei, quem eadem Ecclesia incognitum reprobat, cùm etiam proferatur ab hominibus ita veracibus, vt Christum laudent esse mentitum? Aug. contra Faust. li. 28. ca. 2. tom. 6. Scripturæ ab Ecclesia approbatæ sunt approbandæ.

Apud Catholicam fidem, dilectissimi, noueritis tantùm esse veram fidem, germanam pacem, perpetuam salutem: Non enim in angulo est, sed vbiq; tota est: Si quis ab ea discesserit, atque hæreticorum errori se tradiderit, vt fugitiuus seruus iudicabitur, non vt filius adoptiuus; nec ad vitam æternam resurget, sed potiùs ad damnationem; quoniam bonis malisque promittitur resurrectio. Omnes quidem resurgemus, ait Apostolus, sed non omnes immutabimur. Et quid prodesset, fratres mei, resurgere, & non immutari? Aug. Tom. 10. de tẽp. sermo. 4. in vigilia natiuit. Domin. Vel tom. 6. cõcione ad Catechum. cap. 20. Ad hæreticos ab Ecclesia Catholica trãsfugientes. 1. Cor. 15.

Augustinus Ibidem.

Hæc (Ecclesia) est mater vera, pia mater & ca sta, intrinsecùs sui viri dignitate ornata, non fori secùs mendacio fallente turpiter colorata. Non non ista matre nomen confictum seducat alienum; non n Ecclesiæ & species aliena decipiat.

Augu. contra Epi. Parmeniani. li. 1. capit. 1. Tom. 7. Ecclesie stabilitas.

Ticonius omnibus sanctarum pagimarum vocib circumtusus euigilauit, & vidit Ecclesiam Dei to orbe diffusam; sicut de illa tantò antè per cord cra Sanctorum præuisum atque prædictum est. Q percepto suscepit aduersùs ipsos suos demonstra asserere, nullius hominis quamuis sceleratum & i mane peccatum præscribere promissis Dei, nec id re quorumlibet intra Ecclesiam constitutorum qua libet impietatem, vt fides Dei de Ecclesia futur diffundenda vsq; ad terminos orbis terræ, quæ im missis Patrum retenta & nunc exhibita est, eua retur.

Aug. Tom. 8. in Psalm. 47. vide tō. 9. de Symb. lib. 1. cap. 5.

Hæretici per partes concisi. Matth. 24. Psalm. 47.

Non insultent hæretici per partes concisi; non s tollant, qui dicunt: Ecce hîc est Christus; ecce illic dicit: Ecce hîc est, ecce illic; ad partes inducit; vn tem promisit Deus; Reges in vnum collecti sunt, per schismata dissipati sunt. Sed fortè ista ciuitas, mundū tenuit, aliquando euertetur? Absit. Deus dauit eam in æternum. Si ergo eam Deus fundau æternum, quid times, ne cadat firmamentum?

Aug. lib. 1. de symb. ad Catechum. capit. 5. 2. Corin. 3.

Templum Dei sanctū est, quod estis vos, ait A stolus: Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia vna, Ec sia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes he

pug

pugnans pugnare potest; expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia, de vite præcisa; ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua; portæ inferorum non vincent eam.

Ecclesia ab hereticis expugnari nō potest. Matth. 16.

Has igitur claues dedit Ecclesiæ suæ, vt, quæ solueret in terra, soluta essent in cœlo; quæ ligaret in terra, ligata essent & in cœlo; scilicet vt quisquis in Ecclesia eius dimitti sibi peccata non crederet, non eius dimitterentur; quisquis autem crederet, seq; ab his correctus auerteret in eiusdem Ecclesiæ gremio constitutus, eâdem fide atque correctione sanaretur: Quisquis enim non credit, dimitti sibi posse peccata, fit deterior desperando; quasi nihil illi melius quàm malum esse remaneat, vbi de fructu suæ conuersionis infidus est.

Aug. de doctrin. Christiana lib. 1. c. 18. tom 3. Ecclesiæ spirituales claues competere. Matth. 16. Matth. 18.

Claues quippe regni cœlorum sic dedit Christus Ecclesiæ, vt non solùm diceret: Quæ solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis; vbi apertissimè bonum, non malum pro malo reddit Ecclesia; verùm & adiungeret: Quæ ligaueritis in terra, erunt ligata & in cœlo; quia bona est & vindicandi iustitia: Illud enim quod ait: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus; grauius est, quàm si gladio feriretur, si flāmis absumeretur, si feris subrigeretur.

Aug. contra aduersa. legis & Prophet. li. 1. c. 17. tom. 6. Matth. 18. Potestas vindicādi mala à Christo Ecclesię tributa. Matth. 18.

Nec eos audiamus, qui negant, Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaq; miseri, dum in Petro petrā nō intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claues regni cœlorū, ipsi eas de manibus amiserūt &c.

Aug. de agone Christiano, cap. 31. tom. 3.

Augu. tom. 10, li. quinquagīta homiliarū, homil. 50. Ecclesiæ claues.

Quòd autem adhuc viuit (sermo est de peccatore post Baptismum) patientia Dei ad pœnitentiam eum adducit. Implicatus ergo tam mortiferis vinculis peccatorum, detrectat aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas Ecclesiæ claues, quibus soluatur in terra, vt sit solutus in cœlo; & audet sibi post hanc vitam, quam tantùm Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri.

Aug. tom. 2. Epist. 204. Donato. sub finem. Ecclesię suũ cõstare ius; vt ad bonũ cogat. Ioan. 6. Psal. 71.

Attendis enim & sæpe repetis, sicut audio, quia in Euangelio scriptum est, recessisse à Domino septuaginta discipulos, & arbitrio suæ malæ atque impiæ discessionis fuisse permissos, cæterisque duodecim, qui remanserant, fuisse responsum: Nunquid & vos vultis ire? Et non attendis, quia tunc primùm Ecclesia nouello germine pullulabat, nondumque impleta fuerat completa illa Prophetia: Et adorabunt eum omnes Reges terræ; omnes gentes seruient illi. Quæ vtique quantò magis impletur: tantò maiore vtitur Ecclesia potestate, vt non solùm inuitet, sed etiam cogat ad bonum. Hoc tunc Dominus significare voluit, qui, quamuis haberet magnam potestatem, prætulit tamen elegit commendare humilitatem. Hoc & in illa conuiuij similitudine satis euidenter ostendit, vbi misit ad inuitatos, & venire noluerunt, & ait seruo: Exi in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes, & debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait seruus Domino: Factum est, vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus seruo: Exi in vias & sepes,

In initio Ecclesię quare minùs fuerit in vsu potestas cogendi.

Luc. 14.

sepes

& compelle intrare, vt impleatur domus mea. Vide nunc, quemadmodum de his, qui priùs venerunt, dictum est: Introduc eos; non dictum est: Compelle. Ita significata sunt Ecclesiæ primordia adhuc crescentis, vt essent vires etiam compellendi. Proinde quia oportebat, eius iam viribus & magnitudine roborata, etiam compelli homines ad conuiuium salutis æternæ, posteaquàm dictum est: Factum est, quod iussisti, & adhuc est locus: Exi, inquit, in vias & sepes, & compelle intrare. Quapropter si ambularetis quieti extra hoc conuiuium sanctæ vnitatis Ecclesiæ, tanquam in viis vos inueniremus; nunc verò quia per multa mala & sæua, quæ in nostros committitis, tanquam spinis & asperitate plenè estis, vos tanquam in sepibus inuenimus, & intrare compellimus. Qui compellitur, quò non vult, cogitur; sed cùm intrauerit, iam volens pascitur. Cohibe itaque tam iniquum & impacatum animum, vt in vera Ecclesia Christi inuenias salutare conuiuium. Luc. 14.

Morietur fur ille, id est, homo, qui furatus est hominem, & auferetis malignum ex vobis ipsis. Assiduè hoc dicit Scriptura, cùm iubet occidi malos. Qua locutione vsus est etiam Apostolus, cùm diceret: Quid enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare? Nonne de his, qui intus sunt, vos iudicatis? Auferte malum ex vobis ipsis: Nam Græcus habet τὸν πονηρὸν, quod etiam hîc scriptum est. Hoc autem potiùs malignum solet interpretari, quàm malum. Aug. tom. 4. quæstio. Super Deuter. lib. 5. ca. 39. Penès Ecclesiã potestatem excommunicandi esse. Deut. 24. 1. Cor. 5.

malum. Nec ait, τὸ πονηρὸν, id est, hoc malignum, sed τὸν πονηρὸν, quod est, hunc malignum. Ex qu apparet, eum voluisse intelligi, qui aliquid tale commisit, vt excommunicatione sit dignus: Hoc enim nu agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.

Aug. tom. 9. in Euangel. Iohan. tract. 50. Matth. 16.

Si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, nu ei diceret Dominus: Tibi dabo claues regni cœlorum Quæcunque solueris in terra, soluta erunt & in cœl & quæcunq; ligaueris in terra, ligata erunt & in cœ lo. Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ec clesia: Si autem & in Ecclesia fit, vt quæ in terra li gantur, in cœlo ligentur, et quæ soluuntur in terra, so uantur in cœlo; quia cùm excommunicat Ecclesia, i cœlo ligatur excommunicatus; cùm reconciliatur Ecclesia, in cœlo soluitur reconciliatus. Si hoc ergo Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit.

Ecclesię sentẽtia in excõmunicandis & recõciliãdis hominibus habetur in cœlo rata.

Augustin. serm. de verbis Apostoli 68. 1. Cor. 5. 1. Tim. 2.

Omnis Christianus, qui excommunicatur, Satanæ traditur; quomodo? Scilicet quia extra Ecclesiam e Diabolus, sicut in Ecclesia Christus: Ac per hoc qui Diabolo traditur, qui ab Ecclesiæ communione re mouetur. Vnde illos, quos Apostolus Satanæ esse tra ditos prædicat, esse excommunicatos demonstrat.

Aug. tom. 9. de Symbolo, li. 1. ca. 5.

Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia vna, Ecclesia ver Ecclesia Catholica, cõtra omnes hæreses pugnãs, pugna re potest; expugnari tamen non potest. Hæreses omn

de il

de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa autem manet in radice sua; portæ inferorum non vincent eam.

Ecclesia expugnari nō potest. Matth. 16.

Videtis certè multos præcisos à radice Christianæ societatis (quæ per sedes Apostolorum, & successiones Episcoporum, certa per orbem propagatione diffunditur) de sola figura originis, sub Christiano nomine, quasi arescentia sarmenta gloriari, quas hæreses & schismata nominamus.

Aug. tom. 2. Epis. 42. ad Maudarenses. Ecclesia ꝓpagatur per Episcoporū successiōes.

Nos dicemus, omnes persecutores, qui afflixerunt Ecclesiam Domini, vt taceamus de futuris cruciatibus, etiam in præsenti seculo recepisse, quæ fecerint. Legamus Ecclesiasticas historias, quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletianus, quid Maximianus, quid sæuissimus omnium Maximinus & nuper Iulianus passi sint; et tunc rebus probabimus, etiam iuxta literam Prophetiæ veritatem esse completam, quòd computruerint carnes eorum, et oculi contabuerint, et lingua in pedorem & saniem dissoluta sit.

Hierony. in com. super Zachariam Propher. ca. 14. tom. 6. Ecclesiæ ꝑsecutores q̄ passi sint.

Ex quo intelligimus, Ecclesiam vsque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subuerti; tentari, non superari. Et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotēs, siue Dominus Deus eius, id est, Ecclesiæ, se facturum esse pollicitus est, cuius promissio, lex naturæ est.

Hier. in cōment. super Amos Prophet. cap. 9. tom. 6. Ecclesia nō poterit subuerti.

Non putemus, in Ecclesia esse simplicem fidem, sed multiplicem & multifariam esse sapientiam, vt non

Hierony. in Epist. ad Hebræos ca. 3. tom. 9.

Ecclesiæ sapientia.

non solùm varia sit, sed multa varietate distincta. Respicis cunas Christi; vide pariter & cœlum.

Hier. in cõment. super Ezechielem c. 16. tom. 5. Gal. 4.

Si Hierusalem, iuxta Apostolum, mater nostra est, mater autem nostra Ecclesia est; consequenter Hierusalem Ecclesia est mater primitiuorum, qui descripti sunt in cœlis.

Hier. in Ezechielem ca. 27. tom. 5. Ecclesia sanctorum tota pulchra dicitur. Cant. 4.

Vera & perfecta pulchritudo in nullo hominum nisi in Christi corpore, quod interpretatur Ecclesia, multorum sanctorum virtutibus congregatur. Vnde & ipse loquitur ad sponsam: Tota pulchra es, proxima mea, & macula non est in te.

Hier. in Lamẽtationes Hieremię c. 3. tom. 5. Ecclesia crescit passionibus.

Sancta Ecclesia scit in passionibus crescere, atque inter opprobria honorabilem vitam tenere: Scit non de aduersis deiici, nec de prosperis gloriari: Nouit aduersa prospera mentem suam in deiectionem sternere; nouit contra aduersa animum ad spem superni culminis exaltare: Scit bona sua misericordiæ Redemptoris. Scit mala sua iustitiæ retribuere Iudicis; quòd & bona, illo largiente, habeat, & mala, illo permittente, patiatur.

Hiero. tom. 2. Operum, in Dialogo aduers. Luciferianos. 1. Pet. 3. In Ecclesia boni & mali.

Arca Noë Ecclesiæ typus fuit, dicente Petro Apostolo: In Arca Noë pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam; quòd & nos nunc similiformæ baptisma saluos facit. Vt in illa omnium animalium genera; ita & in hac vniuersarum & gentium & morum homines sunt. Vt ibi pardus & hæ-

hædi, lupus & agni; ita & hîc iusti & peccatores, id est, vasa aurea & argentea, cum ligneis & fictilibus commemorantur. 2. Tim. 2. Habuit Arca nidos suos; habet Ecclesia plurimas mansiones. Octo animæ hominum in Arca Noë seruatæ sunt; & nobis Ecclesiastes iubet dare partes septem, dare partes octo, id est, credere vtrique testamento. Ideo quidam Psalmi pro octaua inscribuntur, & per octonos versus, qui singulis literis subiecti sunt; in centesimo decimooctauo Psalmo iustus eruditur. Beatitudines quoque, quas Dominus discipulis in monte pronuntians, Ecclesiam declinauit, octo sunt. Et Ezechiel in ædificationem templi, octonarium numerum assumit. Multaque alia in hunc modum per scripturas significata reperies. Emittitur itaque de Arca coruus, & non rediit; & postea pacem terræ columba nuntiat: Ita & in Baptismate Ecclesiæ teterrimo alite expulso, id est, Diabolo, pacem terræ nostræ columba Spiritus sancti nuntiat. A triginta cubitis incipiens, & vsque ad vnum cubitum paulatim decrescens, Arca constituitur: Similiter & Ecclesia multis gradibus consistens, ad extremum Diaconis, Presbyteris Episcopisq; finitur. Periclitata est Arca in diluuio; periclitatur Ecclesia in mundo. Egressus Noë vineam plantauit, & bibens de ea inebriatus est; natus quoque in carne Christus, Ecclesiam plantauit, & passus est. Genes. 9.

Ecclesia Arca Noë. Eccles. 11. Matth. 5.

Nudatum

Genes. 9.

Nudatum patrem irrisit maior filius, & minor texit. & Deum crucifixum illuserunt Iudæi, & honorauerunt Gentiles. Dies me deficiet, si omnia Arcæ Sacramenta cum Ecclesia componens, edisseram.

Hieron. in Cantica cãticor. hom. 3. Tom. 7.

Videtur Ecclesia describi à Christo, quæ est domus spiritualis & domus Dei; sicut docet Paulus, dicens: Si autem tardiùs venero, vt scias, quomodo te oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamẽtũ veritatis. Si ergo Ecclesia domus Dei est, quia omnia, quæ habet Pater, ipsius sunt; Ecclesia domus filij Dei est.

1. Timot. 3.

Ecclesia domus Dei.

Ecclesiæ Dei etiam pluraliter nominantur. 1. Cor. 11. Galat. 1. Apocal. 1.

Frequenter autem & plurali numero appellatur Ecclesiæ; vt vbi ait: Nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesiæ Dei. Et iterum scribit Ecclesiis Galatiæ Paulus; & Ioannes septem Ecclesiis. Sunt ergo siue Ecclesia vel Ecclesiæ, domus sponsi, sponsæ, siue animæ verbi domus, in quibus tignatio cedrina.

Hieron. in Cantica cãticor. hom. 2. Tom. 7.

Non tu mihi ex aduentu Saluatoris in carne ipsam dici, aut Ecclesiam putes; sed ab initio humani generis, & ab ipsa constitutione mundi, imò, vt Paulus docet, altiùs mysterij huius originem repetam, ante constitutionem mundi: Sicut enim dicit ipse: Sicut elegit nos in Christo ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & immaculati coram ipso in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum. Sed & in Psalmis scribitur: Memento congregationis tuæ, Domine, quam congregasti ab initio: Prima etenim ipsa dam-

Ephes. 1.

Ecclesia fuit à cõstitutione mundi.

Psal. 73.

damenta congregationis Ecclesiæ statim ab initio sunt posita. Vnde & Apostolus dicit, ædificari Ecclesiam, non solùm super Apostolorum fundamentum, sed etiam Prophetarum. Inter Prophetas autem numeratur & Adam; quia magnum mysterium prophetauit in Christo & in Ecclesia, dicens: Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt ambo in carne vna: Euidẽter enim de his dictis eius dicit Apostolus: Quia mysterium hoc magnum sit. Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Sed & idem Apostolus, cùm dicit: Sic enim Ecclesiam dilexit, vt semetipsum traderet pro ea, sanctificans lauacro aquæ; non vtique ostendit, eam priùs non fuisse: Quomodo enim dilexisset eam, quæ non erat? Sed eam sine dubio dilexit, quæ erat: Erat autem in omnibus sanctis, qui ab initio seculi fuerunt facti. Diligens igitur eam, venit ad eam. Et sicut pueri sui communicauerunt carni & sanguini; similiter & ipse particeps factus est eorundem, ac semetipsum pro eis tradidit: Ipsi enim erant Ecclesia, quam dilexit; vt eam vel numerositate augeret, vel virtutibus excoleret, vel perfectionis charitate de terris transferret ad cœlum. Ephes. 2. Matth. 19. Ephes. 5. Ephes. 5.

Hi, qui in vno Deo credere edocti sunt, sub mysterio Trinitatis credere etiam hoc debent, vnam esse Ecclesiam; in qua est vna fides & vnum Baptisma; in qua vnus Deus creditur Pater, & vnus Dominus Iesus Christus filius eius, & vnus Spiritus. Ista Hiero. tom. 4. in Symbolo Ruffini. Ecclesia vna quæ sit & qualis. Ephes. 4.

Ecclesia sine macula & ruga.

est ergo sancta Ecclesia, non habens maculam aut r
gam: Multi enim & alij Ecclesias congregauer
vt Marcion & Valentinus, & Hebion, & Man
chæus & cæteri omnes hæretici. Sed illæ Eccles
sunt sine macula vel ruga perfidiæ: Et ideo dicebat

Psal. 25.

illis Propheta: Odi Ecclesiam malignantium, & cu
impiis non sedebo. De hac autem Ecclesia, quæ fide
Christi integram seruat, audi, quid dicat Spiritus sa

Cant. 6.

ctus in Canticis Canticorum: Vna est columba m
vna est perfecta genitrici suæ. Qui ergo hanc fide
in Ecclesia suscipit, non declinet in concilio vani
tis, et cum iniqua gerentibus non introeat: Concilia
namque vanitatis est, quod agit Marcion, qui nega
Patrem Christi Deum esse creatorem, qui per filiu
suum fecerit mundum &c.

Hiero. tom. 4. in homel. de Pastoribus. Homelia hæc ascribitur à quibusdam Augustino.

Quærit infirmus Ecclesiam; quærit errans Ec
siam; tu quid dicis? Patris Donati est Ecclesia. I
vocem Pastoris inquiro. Lege hoc mihi de Prop
lege mihi de Psalmo; recita de lege; recita de Euan
lio; recita de Apostolo. Inde ego recito, Ecclesiam
Orbe diffusam, & Dominum dicentem: Qua
oues meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur m
Quæ est vox Pastoris? Et prædicari in nomine
pœnitentiam & remissionem peccatorum per om
gentes, incipientibus ab Hierusalem. Ecce vox
storis; agnosce eam, & sequere, si ouis es. Sed illi
dices tradiderunt, & illi thus idolis posuerunt:
& ille: Quid ad me de illo & de illo? Si fecerunt

Ecclesia Catholica toto Orbe diffusa.

Ioan. 10.

Luc. 24.

sunt Pastores. Tu vocem Pastoris edicito; quia nec de illis vocem Pastoris annuntias. Tu accusas non Euangelium, tu accusas non Prophetam, non Apostolum, de quo mihi vox ista loquitur; de illo credo, aliis non credo. Sed acta proferes. Acta profero: Credamus tuis; crede & tu meis. Non credo tuis; noli credere meis. Auferantur chartæ humanæ; sonent voces diuinæ. Ede mihi vnam scripturæ vocem pro parte Donati. Audi innumerabiles pro Orbe terrarum. Quis eas numerat? Quis eas terminat? Tamen vt pauca commemoremus, legem attende, primum Dei testamentum: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et in Psalmo: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ; commemorabuntur & conuertentur ad Dominum omnes fines terræ: Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ patriæ: Quoniã ipsius est regnũ, & ipse dominabitur gentium. Cantate Domino Canticum nouum; cantate Domino omnis terra. Et adorabunt eũ omnes Reges, omnes gentes seruient illi. Quis enumerare sufficiat? Propè omnis pagina nihil aliud sonat, quàm Christum & Ecclesiã toto orbe diffusam. Exeat mihi vna vox pro parte Donati. Quid magnũ est, quod quæro? Ecclesiam toto orbe diffusam perituram esse, dicunt. Peritura prædicta est, tot testimoniis mansura? Nec vna vox ista per legem, per Prophetas, per cãtica Pastoris est: Neq; enim illi verũ dicere sine verbo Dei potuerunt, quod est Christus. Audi vocem

Loca scripture, Ecclesiã esse Catholicam & toto orbe diffusam.
Genes. 22.
Psal. 2.
Psal. 21.
Ibidem.
Ibidem.
Psalm. 97.
149. 95.
Psal. 71.

Ecclesiæ an sit peritura.

verbi, & ex ore verbi, miratus fidem Centurionis
Matth. 8. Amen, inquit, dico vobis, non inueni tantam fidem
Israël: Propterea dico vobis, quia multi ab Oriente
Occidente venient, & recumbent cum Abraham
Isaac & Iacob in regno cœlorum. Ab Oriente mu
& Occidente venient: Ecce Ecclesia Christi, ec
grex Christi; tu vide, si ouis es: Nō enim te latet gre
qui vbiq; est. Non habebis, quem non vis esse Pas
rem tuum: Non habebis, inquam, quod respondeas
Ecclesia visibilis. dici tuo: Nesciui, non vidi, non audiui. Quid est, qu
Psal. 18. non sciſti? Nec est, qui se abscondat à calore eius. Qu
Psal. 97. est, quod non vidisti? Viderunt omnes fines terræ
lutare Dei nostri. Quid est, quod non audisti? In om
Psal. 18. terram exiuit sonus eorū, & in fines orbis terræ ve
ba eorum.

Hier. in cōment. super Prouer. Sale. cap. 15. tom. 7. Ecclesię fortitudo in tē tationibus.

Domus Christi, id est, Ecclesia, plurimā habet
titudinem, ita vt pluuia, ventis fluminibus q; tem
tionum frequentium nequaquam possit dirui: Et
operibus Diaboli conturbatio feruet assidua, qua
dem Christi domum, vel per falsos fratres, vel per
tos aduersarios deiicere tentat.

Hier. super illud Prou. ca. 12. verte impios, & non erunt; domus autē iustorum permanebit tom. 7.

Multa impietas in Diis Gentilium, multa in sec
hæreticorum, multa in præstigiis magorum, multa
persecutionibus extitit paganorum: Sed his, Dom
donante, subuersis, ablata est pariter & memoria
pietatis eorum, etiam ipsi apices stulti, ipsa dogm
igne rapta; vt in Epheso actum tempore Apostolor
legimus. Domus autem iustorum permanebit; q
sa

sancta Ecclesia nunquam vel abscondi potuit vel auferri; nihil ex eius corrumpere scripturis, in nullo eius fidem violare, tanta temporum longitudo præualuit.

Ecclesiæ fides corrũpi non potest. Actor. 19.

Petra Ecclesia, fundata super Christum firmissimam petram, de se gratiam Spiritus sancti velut riuos effundit; quod in Pentecoste & in domo Cornelij & in illis duodecim siue in omni Ecclesia declaratum est, & vsque hodie declaratur.

Hier. in cõment. super Iob. cap. 31. tom. 7. Actor. 2. Actor. 10.

Ita nos disciplinam Patris audire præcepit Christus, vt legem quoque matris nulla ratione dimittamus; quia non sufficit, vt quis se Deum diligere & & eius præceptis obtemperare dicat, si vnitatem Ecclesiæ fraterna charitate non sequitur, nec vetat aliquid matrem ipsam Dei gratiam, qua saluamur, accipere.

Hiero. in illud Prouer. c. 1. Audi fili mi disciplinam Patris tui &c. tõ. 7. Prouer. 1.

Gratias tibi ago Saluator mundi, quòd magnam feciſti Ecclesiam tuam, à quatuor mundi partibus Euangelica prædicatione vocatam, tua passione collectam, tua resurrectione mundatam. In Ecclesia magna, in toto mundo diffusa.

Hiero. in illud Psal. 40. Annuntiaui iustitiã tuã &c. tom. 8. Ecclesia Catholica.

In illa Ecclesia permanendum est, quæ ab Apostolis fundata vsque ad diem hanc durat. Sic vbi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam aliquo nuncupari, vt puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campates; scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam: Ex hoc enim ipso, quod postea instituti

Hier. aduersus Lucifer. pag. 67. Ecclesia Apostolica. Heretici denominãtur à suis præceptoribus.

2.Pet.2. Antichristi Synagoga hæretici sunt.

tuti sunt, eos se esse iudicant, quos futuros Apostolus prænuntiauit. Nec sibi blandiantur, si de scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt; cùm et Diabolus de scripturis aliqua sit locutus, & scripturæ non in legendo, sed in intelligendo consistant.

Matth.19. Hieron. ad Agerochiã siue Gerontiã de monogamia epistola 11. 1.Cor.6. Genes.3. Genes.4. Ecclesia vna. Apocal.2.

Erunt duo in carnem vnam, non in duas nec in tres; propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ; certè non vxoribus: Quod testimonium Paulus edisserens, ad Christum refert & ad Ecclesiam, vt primus Adam in carne, secundus in spiritu monogamus sit. Sit vna Eua mater cunctorum viuentium; & vna Ecclesia parens omnium Christianorum: Sicut illam maledictus Lamech in duas diuisit vxores; sic hanc hæretici in plures Ecclesias lacerant, quæ iuxta Apocalypsin Ioannis, Synagogæ magis Diaboli appellandæ sunt, quàm Christi conciliabula.

Chrys.tom. 1. in Psalm. 147. Matth.16. Psal.2. Actor.4.

Potest de Ecclesia dici anagogicè illud: Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion; quoniam confortauit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te: Eam enim muniit validiùs, quàm Hierusalem, non vectibus & portis, sed cruce circumseptam & renuntiatione propriæ voluntatis, per quam vbique eius excitauit ambitum, cùm dixit: Portæ inferorum non prævalebunt aduersùs eam. In principio itaq; Imperatores & Reges omnes & populi & ciuitates, & Dæmonũ phalanges, & ipsa Diaboli tyrannis & alia innumerabilia inuaserunt Ecclesiam; illa tamen omnia

fracta

fracta & dissoluta sunt & interierunt, ipsa autẽ crenit & in tantam prorecta est altitudinem, vt ipsos etiam cœlos superauerit. Benedixit filiis tuis in te. Quemadmodum cùm dixisset in principio: Crescite & multiplicamini, & replete terram; vniuersam terram sermo persuasit: Ita cùm postea dixisset: Ite & docete omnes gentes; &: Prædicabitur Euangelium hoc in toto mundo; ipsos etiam fines orbis terræ breui momento temporis iussus eius occupauit. Quocirca ipse quoq; dicebat: Si granum frumenti in terram cadens mortuũ non fuerit, ipsum solum manet; sin autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Et rursus: Quando exaltatus fuero, omnes traham ad me ipsum. Atque in principio quidem ex vno multi nati sunt, cùm lege naturæ cresceret multitudo, & ideo res tardiùs processit; tempore autem Apostolorum, non lege naturæ, sed gratia crescebat multitudo: Et ideo vno statim die tria millia, deinde quinq; millia, deinde innumerabiles; deinde vniuersus orbis terræ per pulchram hanc regenerationem edicti, aucti sunt, & multiplicati sunt, & quam acceperant benedictionẽ, factis ipsis ostenderunt: Non enim ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Dei gratia nati sunt. Qui posuit fines tuos pacem. Hoc valde propriè dici potest de Ecclesia: Nam, quod est admirabilius, cùm ea peteretur bello, pace fruebatur; & cùm ei omnes ponerent insidias, in summa securitate maximam capiebat voluptutem; & ideo dixit ipse: Pacem meam relinquo vobis;

Ecclesiæ oppugnatio & incrementum.
Psal. 147.
Genes. 2.
Matth. 28.
Matth. 26.
Rom. 10.
Colos. 1.
Ioan. 12.
Ibidem.
Actor. 3. 5.
Ioan. 1.

Ioan. 14. Pacem meam do vobis. Et adipe frumenti satiat te.
Psal. 147. Potest hoc etiam aliter accipi in Ecclesia de alimento spiritali, quòd nobis scilicet panem vitæ dederit. Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo eius. Quisnã sermo, dic quæso? Qui prolatus per Apostolos quauis penna leuius omnia peruolabat. Quocirca Dauid quoque alicubi hoc significans, dicit: Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa.

Ibidem.

Psal. 76.

Simile physicum. Si quis autem insipiens dubitet, ex iis, quæ fiunt in elementis, sumat probationem, & discat, quomodo ista simul & aceruatim & repentè aduenit, & momento temporis totam terram operit, nõ longo temporis curriculo eius faciem inuadens, sed repentè totam eam complectens. Quoniam ergo erat Propheta, & consentaneum erat futura prædicentem, & per anagogen significantem hæc dicere, par fuit, vt immoraretur in eo, quod dicebatur de elementis. Quod autem dicit, ad eiusmodi: Futurum est, vt vniuersa terra Dei verbo resonet, idque cum maxima celeritate & breuissimo tempore. Deinde ne quis dubitaret, si Iudæi, gens vna, in quam tanto tempore tantum studij & diligentiæ collatum est, non fuit proba; quo modo ij, qui vniuersum orbem terræ habitant, potuerunt breui tempore componi, bonique & moderati effici? Ad confirmandum id, quod dicit, sumit exempla ex elementis, niuem, nebulam, glaciem, quæ breuiter fiunt vno momento temporis.

Psal. 18.

Marc. 16.

Regio Propheta Dauid vocat nomine montis Ec-

clesiam

cleſiam ſimul & inexpugnabilem dogmatum eius traditionem: Quemadmodum enim, montibus licet quis obuallet & obiiciat militum millia decem, et hi quidē intorqueant arcus, iſti euibrent haſtas & eiaculentur, illi genus omne molitionis admoueant & bellica machinamenta, illa vt adſint omnia; nihil noxæ aut detrimenti inuehent ſoliditati montium. Illinc potiùs ſecedere cogentur, conſumpta inaniter ſua fortitudine. Sanè id ipſum contigit ad vnum omnibus, qui oppugnarunt Eccleſiam; hæc quidem inconcuſſa perſtitit; illi è diuerſo deperdita ppria virtute, indecoris infamiæ notā incurrerunt; dum eā feriunt, euaneſcūt; dum iaculantur in eam, imbelles redduntur; dum cædunt flagris, ab his vincuntur, qui malè affecti ſunt: Ita enim modus hic victoriæ ſanè quàm admirabilis eſt; nec hominibus, ſed ſoli Deo (qui poteſt) aſcribendus. Nec admodum eſt mirabile, Eccleſiam viciſſe; ſed quia ſic vicit. Inſectationes perſecutionesq; perpeſſa eſt, innumeris modis contuſa, eſt & minutim diſcerpta; nec tamen inferior euaſit, imò emerſit effuſior; & eos, qui aduerſùs eam talia moliebantur, redigebat in nihilum; tantum erat, vt illi patienter tolerarent, quod & adamas ferro admotus facit, ab ipſo dum feritur tantùm, ſolidam illam vim ferri ipſum percutientis diſſoluit. Stimuli inſuper aduerſùs calcitrones. Ipſi quidem nihilò fiunt hinc obtuſiores; pedes verò calcitrantium cruentant. Sanè hanc ob rem Eccleſiam vocauit montem.

Chryſ. tom. 1. operum in 2. capit. Etaiæ.

Eccleſia quanta vi præpolleat aduerſùs oppugnatores.

Eccleſia quomodo vincat ſuos pſecutores.

Chrys. tom. 1. operum, de verbis Esaiæ: Vidi Dominum. Homel. 4.

Aquàm multis oppugnata est Ecclesia, nec vnq tamen victa. Quot Tyranni, quot Duces, quot Impe. ratores? Augustus, Tyberius, Caius, Claudius, Ner homines literis ornati, potentes, tot modis oppugnarun recentem ac teneram; at non deiecerunt. Quin potiu ij, qui oppugnarunt, silentur obliuioni traditi; illa vero oppugnata cœlum transcendit: Neq, enim illud mihi spectato, quòd in terris sita est Ecclesia; sed quod i cœlo versatur. Vnde hoc dilucidũ est? Nimirum ipse res demonstrant. Oppugnati sunt vndecim discipuli, totus orbis oppugnabat; verùm qui oppugnabantur, vicerunt; qui oppugnabant, sublati sunt. Oues dentêre lupos: Vidisti pastorem oues in medium luporu emittentem, vt ne fuga quidem salutem consequerentur. Quis Pastor hoc fecit? Christus hoc fecit, quòd ni demonstraret, quæ rectè geruntur, non accidere inxta nostram actionum tenorem, sed præter naturam pro-

Ecclesiæ radix in cœlo.

terq, rerum tenorem: Nam Ecclesia radices in cœlo fixas habet potiùs, quàm in terra. Verùm fortassis Ethnicus meam despicit arrogantiam; sed maneat, donec harum rerum probationem attulero, discatq, vim veritatis, quo modo facilius est, Solem extingui, quàm Ecclesiam obscurari. Quis, inquis, ista prædicat? Is qui eam fundauit. Cœlum & terra transibunt; sed verba mea non transibunt. Hæc non modò dixit, sed & compleuit; siquidem latiùs illam fundauit, quàm cœlum: Est enim cœlo honoratior Ecclesia. Quare conditum est cœlum? Propter Ecclesiam: Ecclesia non est

Ecclesiæ cõstantia & perpetuis. Matth. 24.

condita propter cœlum; cœlum conditum est propter hominem; non homo propter cœlum. Id perspicuum est ex his, quæ fecit Christus: Non enim cœli corpus assumpsit, sed hominis.

Vsq; ad consummationem semper necesse est, vt diuersis modis tentetur Ecclesia, donec permundetur. Et ideo Ecclesia Christi nunquam sine tentatione dimissa est: Et primùm quidẽ ventilauerunt Iudæi eã, deinde Gentiles, modò hæretici; postmodùm autẽ perventilabit Antichristus: Sicut enim, quando permodica aura est, non permundatur tota tritici massa; sed leuiores quidem paleæ modica aura iactantur, grauiores autem remanent, similiter remanent & vacua grana. Necesse est ergo, vt maior expectetur ventus, vt & grauiores paleæ & vacua grana iactentur. Sic & quando modica est tentatio, illi proiiciuntur de Ecclesia, qui multum sunt infideles. Ideo necessaria est tentatio maior, vt omnes infideles pleniùs expellantur, vt perpurgetur Ecclesia. Et modò quidem modico flatu tentationis sufflante pessimi homines recedunt; si autem surrexerit maior, sicut erit sub Antichristo, tempestas, etiam illi, qui videntur stabiles, sunt exituri.

Chrys. in 3. cap. Matth. Homel. 3. Tom. 2.

Ecclesiã diuersis modis tentari necesse est.

Chrysos. in Explicationib⁹ variorum locorũ Matt. hom. 14. Tom. 2.

Non cessat impugnari Ecclesia, non cessat insidias pati; sed in nomine Christi semper superat, semper vincit. Et quantum alij insidiantur, tantùm ista dilatatur: Et fluctus quidem illiduntur, sed fundamentum, quod supra petram est, non quassatur.

Ecclesia nõ cessat impugnari & pati insidias; sed in nomine Christi semper superat.

Multum

Chryso. in serm. de Pẽtecoste. Tom. 3.

Multum Deo Ecclesia chara est, nõ muris circumdata, sed fide circumsepta: Propter Ecclesiam nam extensum est cœlum, diffusum est mare, extensus ac terra fundata est, Paradisus plantatus est, mirabi multa facta sunt, pelagus scindebatur, & iterum sa batur; petra findebatur, & iterum findebat de cœl & tanquam pruinosa ponebatur mensa. Propter Ecclesiam Prophetæ, propter Ecclesiam Apostoli: Et qu plura dicam? Propter Ecclesiam vnigenitus filius

Propter Ecclesiã multa facta sũt.

Roman. 8.

Dei homo factus est; sicut dicit Paulus: Qui propr filio non pepercit, vt Ecclesiæ mederetur, sanguine filij effudit propter Ecclesiam: Hic sanguis irrigat Ecclesiam: Et ideo plantaria eius marcescere nõ possu nec amittunt folia arbusta eius, non subiacet necessitati temporis, nec est conditioni obnoxia, vt per æstatem coma foliorum regatur, hyeme amittatur: Non tenetur temporum qualitate, sed Spiritus eam sanctã gubernat gratia; & ideo non senescit, nec contrahitur & multis impugnantibus non opprimitur. Quantis initio impugnârunt Ecclesiam, cùm fidei semina inserentur, & arma contra eam cõmota sunt; sed quantò magis impugnabatur, tantò clarior reddebatur; sanguis quidem propter Dei gratiam & Reges & Duces & milites & vniuersus orbis fide repletus est: Nã in principio, & (vt dicam) in cunabulis Ecclesiæ Reges fuêre impij, Duces insani, populus seditioni deditus. Et edicta iudicium vbiq; dabantur, aræ incendebantur Dæmonibus, fumus & odor pessimus ipsum

Ecclesia in persecutionibꝰ firma, immota & inuicta perstat.

Primitiuæ Ecclesiæ persecutiones.

maculabat aërem: Terra coinquinabatur sanguine, Dæmones debacchabantur, Diabolus dominabatur, pater abdicabat filium, filius inhonorabat patrem. Natura quidem scindebatur; sed pietas non diuidebatur. Vbi sunt nunc, qui audebant Ecclesiæ contraire? Quando nouella erat, in nullo potuit lædi; & nunc quando vsq; ad cœlum peruenit, existimans eam posse superari? Et tunc quidem, cùm vndecim essent Apostoli, nullus eos superare potuit, sed pauci homines totum ceperunt mundum: Et nunc quando terra & mare & orbis terrarum & inhabitabiles regiones, & ciuitates & omnes fines terræ pietate repleti sunt, putas, eam te posse lædere? Sed non poteris: Christus enim propter eam passus est; portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Faciliùs cœlum exterminari potest & terra perire, quàm aliquid mali pati Ecclesia. Quis est, qui hæc dicit? Ipse Christus loquitur? Cœlum & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt: Bene enim verbum Dei ipso cœlo validius est, quia cœlum opus verbi est: Dixit quippe Deus: Fiat cœlum, & verbum in opus apparuit. Matth. 16. Matth. 24. Genes. 1.

Impugnabitur Ecclesia, non tamen vinci poterit; tempestates suscipit, sed non demergitur; iacula in eã mittuntur, sed non perforatur; machimamenta præparantur, sed turris non eliditur. Et quid dico Ecclesiam? Vnum sermonem locutus est Pastor, & sicut turris immobilis perseuerat. Quanti Tyranni verbũ hoc delere conati sunt? Sed non potuerunt: Supra petram

Chrysost. in sermo. de Pentecoste. Tom. 3. Ecclesia firma, constãs & in omnibus persecutionibus inuicta manet semper.

Chryso. in serm. de Pẽtecoste. Tom. 3.

Multum Deo Ecclesia chara est, nõ muris circumdata, sed fide circumsepta: Propter Ecclesiam nam extensum est cœlum, diffusum est mare, extensus est terra fundata est, Paradisus plantatus est, mirabilia multa facta sunt, pelagus scindebatur, & iterum subibatur; petra findebatur, & iterum findebat de cœlo, & tanquam pruinosa ponebatur mensa. Propter Ecclesiam Prophetæ, propter Ecclesiam Apostoli: Et quid plura dicam? Propter Ecclesiam vnigenitus filius Dei homo factus est; sicut dicit Paulus: Qui proprio filio non pepercit, vt Ecclesiæ mederetur, sanguinem filij effudit propter Ecclesiam: Hic sanguis irrigat Ecclesiam: Et ideo plantaria eius marcescere nõ possunt, nec amittunt folia arbusta eius, non subiacet necessitati temporis, nec est conditioni obnoxia, vt per æstatem coma foliorum regatur, hyeme amittatur: Non tenetur temporum qualitate, sed Spiritus eam sancti gubernat gratia; & ideo non senescit, nec contrahitur, & multis impugnantibus non opprimitur. Quantis initio impugnârunt Ecclesiam, cùm fidei semina inserebantur, & arma contra eam cõmota sunt; sed quanto magis impugnabatur, tantò clarior reddebatur; fuerunt quidem propter Dei gratiam & Reges & Duces & milites & vniuersus orbis fide repletus est: Non in principio, & (vt dicam) in cunabulis Ecclesiæ Reges fuêre impij, Duces insani, populus seditioni deditus. Et edicta iudicium vbiq; dabantur, aræ incendebantur Dæmonibus, fumus & odor pessimus ipsum

Propter Ecclesiã multa facta sũt.

Roman. 8.

Ecclesia in persecutionibꝰ firma, immota & inuicta perstat.

Primitiuæ Ecclesię persecutiones.

maca-

maculabat aërem: Terra coinquinabatur sanguine, Dæmones debacchabantur, Diabolus dominabatur, pater abdicabat filium, filius inhonorabat patrem. Natura quidem scindebatur; sed pietas non diuidebatur. Vbi sunt nunc, qui audebant Ecclesiæ contraire? Quando nouella erat, in nullo potuit lædi; & nunc quando vsq; ad cœlum peruenit, existimans eam posse superari? Et tunc quidem, cùm vndecim essent Apostoli, nullus eos superare potuit, sed pauci homines totum ceperunt mundum: Et nunc quando terra & mare & orbis terrarum & inhabitabiles regiones, & ciuitates & omnes fines terræ pietate repleti sunt, putas, eam te posse lædere? Sed non poteris: Christus enim propter eam passus est; portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Faciliùs cœlum exterminari potest & terra perire, quàm aliquid mali pati Ecclesia. Quis est, qui hæc dicit? Ipse Christus loquitur? Cœlum & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt: Bene enim verbum Dei ipso cœlo validius est, quia cœlum opus verbi est: Dixit quippe Deus: Fiat cœlum, & verbum in opus apparuit.

Matth. 16.

Matth. 24.

Genes. 1.

Impugnabitur Ecclesia, non tamen vinci poterit; tempestates suscipit, sed non demergitur; iacula in eã mittuntur, sed non perforatur; machimamenta præparantur, sed turris non eliditur. Et quid dico Ecclesiam? Vnum sermonem locutus est Pastor, & sicut turris immobilis perseuerat. Quanti Tyranni verbũ hoc delere conati sunt? Sed non potuerunt: Supra petram

Chrysost. in sermo. de Pentecoste. Tom. 3. Ecclesia firma, constãs & in omnibus persecutionibus inuicta manet semper.

tram enim fundatum erat. Considera Tyrannos, Reges, gladios acutos, bestiarum dentes, mortem minantes, caminos, sartagines, manus ferreas, & vncos & omnia machinamenta parata, & pharetram quidem suam euacuauit Diabolus; sed nihil læsit Ecclesiam: Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Testatur res ipsa; testatur horum quæ fiunt adstipulatio. Quanti impugnauerunt, & nemo præualuit? Et impugnatores quidem taciturnitati & obliuioni dati sunt: Ecclesia autem quotidie virtutibus augmentatur. Vbi nunc Claudius, vbi Augustus, vbi Nero, vbi Tyberius? Nomina sunt nuda; horum autem nemo, nec vlla horum mentio. Et quia Ecclesiam impugnauerunt, ideo & memoriam perdiderunt; Ecclesia autem clarior resplendet. Vbicunq; ieris ad Indos, ad Mauros, ad Britannos, ad Hispannos, vsq; ad vltimum finem terrarum, inuenies: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: Et vniuersa religione plena: Ante hoc enim vniuersa repleta erant impietate, nunc autem non solùm ciuitates religione florent & fide Christi, sed etiam eremus in nomine Christi gloriatur.

Matth. 16.

Ioan. 1.

Itaq; si Spiritu, qui à capite est, potiri voluerimus, mutuò cohæreamus. Sunt autem duæ corporis Ecclesiastici diuisiones: Vna quidem, quando refrigerata in nobis fuerit charitas: Altera verò, quando in corpus illud ausi fuerimus, quæ nec expiari, nec restitui queat: Nam vtrinq; nos ipsos ipsa corporis plenitudine

Chrys. in 4. ca. ad Ephesios, homel. 11. Tom. 4.

Ecclesiæ duæ diuisiones.

dine priuamus. Si verò qui ad hoc inſtituti ſumus, vt alios ædificemus, corpus iſtud primi ſcindimus, quid illi non accidit? Nihil eſt autem, quod Eccleſiam ita diuellere queat, atq; ambitio illa præſidendi. Nihil ita Deum irritat, ſicut Eccleſiæ diuiſio. Etſi innumera bona operati fuerimus; non minores tamen pœnas dabimus, quàm qui corpus ipſius proſciderunt, ſi plenitudinem & integritatem Eccleſiaſticam diſcerpſerimus: Illud enim lucro quidem factum eſt totius orbis, tametſi non eò animo, ſi reprobos illos reſpexeris. Iſtud verò nihil vſpiam commodi habet, ſed plurimum nocumenti. Iſta mihi non ad Eccleſiæ primores duntaxat dicuntur, ſed & ad ſubditos. Vir quidam ſanctus quippiam dixit, quod audaciam ſapere videtur; attamen dixit. Quid autem eſt iſtud? Peccatum videlicet iſtud ne martyrij quidem ſanguine deleri: Dic enim quæſo quam ob cauſſam martyrium ſubis? An non propter Chriſti gloriam? Quo itaque pacto, qui animam pro Chriſto exponis, Eccleſiam oppugnas, pro qua animam ſuam tradidit Chriſtus? Audi Paulum ipſum: Non ſum, inquit, dignus, vt vocer Apoſtolus; quoniam Eccleſiam Dei perſecutus ſum, ac vaſtaui illam. Non eſt autem hoc damnum eo minus, quod ab hoſtibus eſt, ſed multò etiam maius: Illud enim Eccleſiam illuſtriorem quoque facit; iſtud verò etiam apud inimicos & exteros dedecore afficit, quando & à propriis filiis impugnatur. Videtur enim ipſis magnum eſſe ſeductionis indicium, quod qui in illa

Eccleſiæ diuiſio & ſchiſma.

1. Cor. 15.

illa nati sunt & aliti, arcanaq; illius diligenter edocti, subitò mutati hostiliter in illam afficiuntur. Ista contra eos mihi potissimùm dicũtur, qui se ipsos sine omni discrimine scĩndentibus Ecclesiam committunt: Nam illis, siquidem contraria dogmata habuerint, commisceri non conuenit. Si verò idem cum Ecclesia sentiunt, multò magis fugiendi sunt. Quamobrem? Quoniam videlicet ambitionis morbo laborant. Ignoratis quid illis acciderit, qui Chore, Dathan & Abiron secuti sunt? Num tres illi soli perierunt? An non & qui cum illis faciebant? Quid dicis? Eadem, inquis, fides est, Orthodoxi sunt & ipsi. Qua ergo ratione nobiscum non sunt? Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma. Si quæ illorum sunt, rectè habent; nostra vtique malè habent. Si verò nostra rectè; ergo illorum malè.

Schismaticorũ pœna.

Num. 16.

Ephes. 4.

Chrysost. Tom. 5. in hom. de propria ipsius expulsione. Ecclesia inuincibilis.

Psalm. 103.

Christi Ecclesia nihil fortius; si quis eam impugnare proponit, vires atterat necesse est: Tale est enim velut si cœlo bellum meditetur inferre. Homini si bellum inferas, fortasse vinces, aut fortè vinceris: Ecclesiam vincere nulla vis poterit. Deus est Ecclesia, qui est omnib⁹ fortior. Aut æmulamur Dominum: Numquid fortiores illo sumus? Deus fundauit hoc, quod labefactare conaris. Aut experiri vis potentiam Domini? Ipse est, qui respicit super terram, & facit eam tremere. Et iterũ: Qui iubet, & tremor eius solidatur. Aut non vidisti trementem ciuitatem tuam quietare fecit? Multò magis Ecclesiam suam trementem

potes

poterit cõfirmare: Fortior enim Ecclesia multò, quàm terra, imò & fortior cælo. Cælum & terra transibunt; verba autem mea non transibunt. Quæ verba? Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt in eam. Quòd si non credis verbo & rebus ipsis, operibus crede. Quanti Tyranni aggressi sunt impugnare Ecclesiam Dei; quanta tormenta, quantas cruces adhibuerunt, ignes, fornaces, feras, bestias, gladios intendentes, & nihil agere potuerunt? Vbi nunc sunt illi, qui hæc fecerunt, & vbi illi, qui hæc fortiter pertulerunt? Nunc ij æternis pœnis premuntur; & isti æternis gaudiis eriguntur: Fulget enim Ecclesia super splendorem Solis, & persecutores eius perpetuis tenebris conteguntur. Non legis scriptũ, quia vndecim soli erant, & vinci non potuerunt? Nunc vbi orbis terrarum repletus est piorum multitudine, quo modo poterunt vinci? Cælum & terra transibunt; verba autem mea non transibunt; & meritò: Charior enim Ecclesia Dei, quàm cælum: Non enim Ecclesia propter cælum; sed propter Ecclesiam cælum.

Matth. 24.

Matth. 16. Luc. 21.

Tyrannorũ irriti conatus contra Ecclesiam.

Matth. 24.

Prædixit Petro: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Proinde dic age Iudæe, quid habes quod reprehẽdas aut redarguas ex iis, quæ dicta sunt? Quid habes, quo doceas, hanc prædictionem esse mendacem? An non testimonium cum rebus consentit, etiamsi mille modis ipse contendas in aduersum? Quot enim

Chrysostomo tione 2. contra Iudæos. Tom. 5. Matth. 16.

Ecclesia à persecutionibus non vincitur, nec iis inferior redditur.

bella aduersùs Ecclesiam concitata sunt; quot exercitus instructi; quot arma mota; quod non afflictionum & vindictæ genus excogitatum, sartagines, catapultæ, lebetes, fornaces, lacus & præcipitia, bestiarũ dentes, maria & proscriptiones, aliaq; innumera tormentorum genera, neq; dictis memoranda, neq; factis toleranda? Atq; hæc non tantùm ab extraneis, verùm etiam à nostris domesticis: Nam ciuile quoddam bellum occupârat omnia, vel quouis potiùs ciuili bello perniciosius: Neq; enim ciues modò cum ciuibus, verùm etiam cognati cum cognatis, domestici cum domesticis, amici cum amicis conflictabantur; nihil tamen horum dissoluit Ecclesiam, ac ne inferiorem quidem reddidit. Atq; id sanè mirum & incredibile, quòd hæc in ipsis statim primordiis mota sunt: Nam si tum ruissent hæc acerba, posteaq; iam radices egerat, & per omnes mundi partes plantatum esset Euangeliũ, haud perinde fuisset admirandum, non fuisse subuersam Ecclesiam. Cæterùm cùm in ipso doctrinæ exordio nuper iacto fidei semine, teneris etiamnum auditorum mentibus, tot procellæ bellorum eruperint, res nostras non solùm nulla ex parte fuisse diminutas, verùm etiam multam accessionem adiunctam fuisse; hoc nimirum superat omne miraculum.

Chrysost. tom. 5. in serm. Quòd Christus sit Deus.

Duodecim erant discipuli sequentes ipsum, & Ecclesiam referebant, quamuis nullus tunc eam mente conciperet; siquidem nec nomen Ecclesiæ erat, sed Synagoga. Quid igitur dicit? Orbe ferme totum impe-

impietate detento prædixit: Super petram hanc ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam. Examina, quid hoc ſibi verbum vult; & videbis perſpicuam eius veritatem: Nam non ſolùm hoc mirum eſt, quòd ædificauit eam per totum mundum; ſed quia inuictam fecit, & inuictam licet tot bella inſurgant: Hoc enim eſt, quòd portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam: Pericula, ait, quæ mortem generant; pericula, quæ ad infernum deducunt. Vidiſti prædictionis veritatem? Vidiſti euentus certitudinem ac robur? Vidiſti verba in operibus relucentia, & virtutem abſq; armis omnia facilè cõficientem? Ne ideo, quia paucis dicitur: Ædificabo Eccleſiam; tranſcurras obiter; ſed conſidera & cogita tecum, quid ſit in tam breui tempore omnem ſub Sole terram tantis Eccleſiis impleri, tantas gentes ad fidem tranſferri, populos perſuaderi, vt patrias leges irritent, conſuetudinem ſtabilitam & radicatam reuellant, altaria & templa & ſtatuas & ſacrificia, & profana feſta, & immundum odorem, ſicut ſimum aliquem aboleant; & excitent altaria vbiq; gentium in regione Romanorum, Perſarum, Scytharum, Maurorum, Indorum, & vltra orbem noſtrum: Nam & Britannicæ Inſulæ extra hoc mare ſitæ, & quæ in ipſo Oceano ſunt, virtutem verbi ſenſerunt (ſunt enim etiam illic fundatæ Eccleſiæ & erecta altaria) illius, inquam, verbi, quod tunc dictum, quod & in omnium animabus, inque omnium labiis plantatum. Vnde &

Matth. 16.

Eccleſia toto orbe ædificata, inuicta permanet.

Eccleſiæ & fidei Chriſtianæ propagatio per vniuerſum orbem.

omnis (vt dicitur) terra spinis plena, repurgata, sa
ctusq; purus ager, semina pietatis suscepit.

Chrys. tom. 5. in sermo. Quòd Christus sit Deus. Eccleſię ędificatio.

Quo pacto, & qua ratione discipuli Ecclesiam ædificârunt? Virtute eius, qui iussit: Ille enim præuia omnia faciebat, reddens etiam facilia, quæ dura: Ni enim diuina quædam virtus effecisset, nequaquã hæ vel principium, vel præludium accepissent: Quo em modo ille dixit: Fiat cœlum, & monstrauit opus: Fu detur terra, & illius substantia producta est: Fulge Sol, & indicauit astrum; omniaq; verbo operatus e Eodem modo idem & Ecclesias illas plantauit. E

Genes. 1.

Matth. 16.

verbum hoc: Ædificabo Ecclesiam meam; hæc omn operatum est. Illa verba Dei condiderunt operata admirabilia, & quæ nemo expectasset: Nemo sic cùm dixit: Germinet terra herbã fœni; & omnia m ortus erant, & omnia pratum, terraq; mandatum su cipiens, infinitis ornabatur plantis: Sic & nunc, v dixit: Ædificabo Ecclesiam meam; multa accele tione facta est, etiam contra illam Tyrannis se arma tibus, & militibus arma mouentibus, & populis p valido igne insanientibus, & oblectante consuetu ne, etiam Oratoribus & Sophistis, & diuitibus Principibus insurgentibus, sermo Dei velut ignis v lidus adueniens spinas consumpsit, agros repurga seminauit verbum prædicationis. Et licet hi, qui c diderunt, in carceribus seruarentur, despectui esse amitterent substantias, occiderentur, traderentur ig submergerentur aqua, & omne tormentorum ge

Genes. 1.

Eccleſia toto orbe ędificata, inuicta permanet.

sus

ſuſtinerent, cum ſumma ignominia, & perſecutionem paterentur, vt hoſtes publici; plures tamen ſemper accreſcebant; non ſolùm nihil ex afflictionibus aliorum facti ſegniores, ſed & multò alacriores, & ad pulchram hanc piſcationem aſſiliebant; ſicq; à piſcatoribus capiebantur, non coacti, non vim paſſi; ſed ſponte accurrentes, gratiamq; habentes adducentibus. Et quamuis viderent fluere torrentes ſanguinis credentium; feruentiores tamen reddebantur in fide, & fidentiores. Et nõ diſcipulis ſolùm, ſed & magiſtris vinctis, fugatis, flagellatis, aliaq; mille mala paſſis, diſcipuli plures fiebant, & magis ſtudioſi. Quare Paulus clamat, dicens: Atq; adeò plures fratres freti in Domino vinculis meis, vt abundantiùs audeant impauidè ſermonem loqui. Et alibi iterum: Vos imitatores facti eſtis Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa; quia eadem paſſi eſtis, quæ & nos à cognatis propriis, prohibentib⁹ nos loqui Gentibus, vt ſaluentur. Aliis quoq; ſcribens, ſic dicit: Memores eſtote dierum priſtinorũ, in quibus illuminati graue paſſionum certamen tuliſtis, ſcientes meliorem habere ſubſtantiam in cœlis, & manentem. Vides virtutis excellentiam, quæ tanta operata eſt? Nam qui tanta patiebantur, non ſolùm non ægrè ferebant, vel deficiebant; ſed & gaudebant, geſtiebant, exultabant. Et de diſcipulis quidem dicit, quòd publicationem ſubſtantiæ cum voluptate acceperint; de magiſtris verò, quòd iuerint à conſpectu concilij gaudẽtes, vtpote digni habiti pro nomine Ieſu

Perſecutiones profuerunt Eccleſiæ.

Philip. 1.

1. Theſſa. 2.

Hebr. 10.

Actor. 5. Eccleſiæ filij gaudent in perſecutione.

Coloss. 1. contumeliam pati. At de se ipso ait: Gaudeo in afflictionibus meis, & adimpleo, quod reliquum afflictionũ Christi in carne mea. Et quid miraris, quòd in passionibus gauisus fuit, cùm & moritur⁹ non solùm gaudebat, sed & discipulos ad communionem lætitiæ suæ vocabat, quod sanè excellenter lætantis animæ erat?

Philip. 2. Sic enim ait: Gaudeo & congratulor omnibus vobis, id ipsum etiam vos gaudete & congratulamini mihi. Et quid factũ est dicito, quòd tanto gaudio impletur? Ego enim, ait, immolor, & tempus meæ resolutionis

2. Timot. 4. instat. Sic igitur ædificabant; aliôqui nullus ædificare potest parietem vnũ, quem lapidibus & calce extruit,

Ecclesia persecutione fetẽdo ædificata est. si impediatur & fugetur; illi autem etiam Ecclesiam in toto orbe vbiq; extruxerunt, licet ligarentur, persecutionem ferrent, fugarentur, proscriberentur eorum bona, flagellis cæderentur, occiderentur, comburerentur, submergerentur vnà cum discipulis. Et ædificabant, non lapidibus, sed animabus & institutis; quod planè multò difficilius, quàm lapidibus extruere: Ni enim par est construere sensibilem parietem, & animam tantis temporibus à Dæmonibus irritatæ persuadere, vt ab insania illa desistat, et ad tantam perueniat temperantiam. Nihilominus hoc potuerunt nudi illi, & calceis carentes, & vna veste amicti, perq; vniuersum orbem currentes: Habebant enim adiutricem & commilitantem inuictam virtutem eius, qui dixerat:

Matth. 16. Super petram hanc ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Numera,

quot

quot Tyranni ab illo tempore aduersùs ipsam ĩstruxerunt acies, quot grauissimas ꝑsecutiones mouerunt, quo modo toto priore tempore, quando nouitia erat fides & nuper plantata, teneræq; hominum mentes, gentiles regnabant, Tiberius, Caius, Nero, Vespasianus et Titus, & post illum omnes, vsq; ad beati Constantini tempora, & omnes illi, alij minùs, alij sæuiùs infestabant Ecclesiam, infestabant tamen omnes. Quòd si qui ipsorum visi sunt mansueti, hoc ipsum quòd Reges manifestè in impietate erant, materia aliqua bellorum erat, cùm alij eis adularentur, alij satagerent, vt aduersùs Ecclesiam bella susciperent: Veruntamen insidiæ et machinationes illæ omnes leuiùs quàm araneorum telæ decerptæ sunt. Et ea, quibus nos inuadebant, & quibus insidiabantur, citiùs fumo dissoluta, puluere præterierunt infirmiora: Magnum enim nobis numerum Martyrum implêrunt, immortalesq; illos Ecclesiæ thesauros reliquerunt, & columnas & turres, & eos, qui non solùm viuentes, sed & mortui posteris magnæ vtilitatis materia facti sunt. Vides prædictionis robur? Et portæ inferi nõ prævalebunt aduersùs eam. Ab his & de futuris crede, quòd nullus obsistet: Si enim cùm ex paucis cõstaret, et nouæ sectæ op' esse videretur, nouaq; haberetur doctrina, ac tot bella, tot pugnæ vbiq; cõmitterentur, nõ prævaluerunt, neq; obstiterunt; multò magis cùm vniuersum orbem, & oẽm locum & montes & colles, & valles & terrã & mare & gentes oẽs, quæ sub cælo sunt, cõprehenderit.

Multæ & variæ persecutiones Ecclesiæ.

Matth. 16.

Chrysostomus homel. de Iephthe. tom. 1.

Adhuc istum Iephthen existimo esse Dominum nostrum Iesum Christum, victorem mundi, qui obtulit filiam suam vnicam, ipsam Ecclesiam tempore persecutionis malis Pontificibus, non agnorum, sed luporum, dicente ipso: Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum. Obtulit ergo Ecclesiam per immolationem Martyrum tempore persecutionis, & victima vnica oblata est Deo, vt sacrificium acceptabile esset Patri ex lucris vnigeniti: Offert vnicus vnicam, sponsus sponsam, pater filiam: Quid enim potest inueniri tius integritate & virginitate Ecclesiæ, quæ concipit in corruptione, creat in integritate? Virgo est ista, qui virum non nouit. Plangit autẽ sexaginta diebus virginitatem suã, id est, omnibus diebus suis: Nec enim mittit ad Dominum, qui in ipsa proficiunt, nisi ex magna tribulatione, nisi ex planctu & fletu & lachrymis. Hæc Ecclesia cultoribus suis lætitiam non promittit, neq; in præsenti seculo securitatem; quia rara omnis lætitia periculosa est, omnis securitas casu plena, omnis iucunditas laqueis impeditur.

Ecclesiæ integritas atq; virginitas.

Chrys. tom. 1. in Psal. 9. Eccles. mõs Siõ dicitur. Hebr. 12. Ecclesia firma & stabilis.

Sion Ecclesia anagogicè dicitur: Accessistis enim ad montem Sion, & Ecclesiam primogenitorum. Et meritò mons est Ecclesia, quòd sit firma, & stabilis nec possit conquassari: Quemadmodum enim mons non potest labefactari; ita nec Dei Ecclesia.

Chrys. in 7. cap. Matth. homel. 20. tom. 2.

Ecclesiam, quam Christus vir sapiẽs super petram ædificauit, neq; pluuia mendacis doctrinæ corrumpit neque diabolicus ventus impellit, neq; violentorum

fluminum

fluminum impetus mouet: Nam etsi humiliatur Ecclesia propter tentationem; tamen perire non potest propter fidem Christi. Nec est contrarium, quòd quidam de Ecclesia cadũt: Illi enim nunquam Christiani fuerunt: Sicut enim non omnes, qui sunt in Israël, hi sunt Israëlitæ; sic non omnes, qui Christiani dicuntur, sunt & Christi: Christianorum enim opera sunt aspicienda, non nomina omnia.

Ecclesia nõ potest perire.

2. Tim. 2.

Sicut fuit in diebus Noë, id est, sic erit generalis interitus, sic subitaneus. Sicut tunc omnis creatura deleta est, sola autem arca euasit de trabibus quadratis facta, octo animas baiulans; ita & in consummatione omnes hæreses interibunt: Vna tantummodò arca saluabitur, id est, Ecclesia Christi, de iustis hominibus cõgregata. Sicut tunc, quicquid fuit extra arcam, periit; sic & in fine, quicunque fuerit extra vnam Ecclesiam veritatis, peribit.

Chrysost. in 24. ca. Matt. homel. 50. tom. 2.
Genes. 7.
Extra Eccle siam nõ est salus.

Immotam soliditatem, sublimitatem inexpugnabilem, & inuictam potestatem Ecclesiæ velut ænigmate indicauit appellatione montis: Etenim Propheta alter eos, qui totam spem ac fiduciam suam in Deum proiecerunt, confert monti, perspicuè volens ostendere, talium vim esse inuictam. Res hæc dilucida adeò est, vt nulla deinceps egeat per sermonem interpretatione: Ipsa enim rerum natiua indoles, ad eum modum, vocem edit tuba quauis clariùs resonantem, exhibens omnibus spectandum decus ac splendorẽ Ecclesiæ: Non enim iste Sol tanto splendescit nitore; non item lux ex

Chrys. in 2. caput Esaiæ tom. 1.
Psal. 124.
Ecclesiæ inuicta potestas.

Ecclesia splendet.

ipso emicans illustre adeò iubar effundit; vt res gestæ ab Ecclesia: Etenim domus Dei super montes altissimos collocata est. Quo igitur pacto queat id interpretari Iudæus? Nusquam enim legimus, Iudaicum templum in summis montibus esse exædificatum: Ecclesiæ verò potestas ipsos pertingit cœlos, & tanquam domus supra verticem montium posita omnibus se, exhibet conspicuam. Vsque adeò ipsa, multò etiam ampliùs omnibus inclaruit.

Ecclesia visibilis.

Chrys. in 2. cap. Esaiæ. tom. 1.

Ecclesiæ fortitudo oppugnata quidē est, quàm illud fuit, atrociùs & immaniùs multò; ne sic tamen cessit vnquam se oppugnantium manibus, imò sublimior effecta est & illustrior, cùm hostium insidiis appeteretur. Sanè tunc emicuerunt numerosæ turbæ Martyrum; tunc Confessorum frequens multitudo inclaruit; animæ tum ipsa ferri duritie rigidiores se esse declarabant, eoq; expressiùs astris ipsis suũ diffundebant splendorem. Corpora quidem minutim concidebantur; at mens inuicta manebat, prævalebat & coronabatur. Quis vidit, quis audiuit cædem gestare coronam, iugulationem operantem victoriam? Tum etiam exercitus splendidior euasit, quando visi sunt plures iugulari ab hostibus.

Ecclesiæ Martyrum constantia.

Chrys. in 1. Epistol. ad Corinth. ca. 1. homel. 1. tom. 4.

Licet enim ad Corinthios hæc scribatur epistola, non tamen eorum duntaxat, sed omnium, qui in orbe sunt, fideliũ meminit: Ostendit enim, in vniuerso orbe vnam oportere esse Ecclesiam, quanquam locis diuisi pluribus, & longè magis, quæ est Corinthi: Quæ etsi

locis

locis ſeparatur; Deus tamẽ eam coniungit, cùm omnibus ſit communis. Quamobrem cùm in vnum ipſam contrahat, has addidit particulas, ipſorum & noſtro; longè autem magis hoc, quàm illud proprium: Quemadmodum enim qui eodem in loco ſunt, ſi diuerſos habeant dominos, ipſi quoque differunt, nihilq; locorum ſimilitudine ad concordiam, dominorum differentia, proficiunt: Non poteſtis, inquit, Deo ſeruire et Mammonæ; ſic qui diuerſis locis abſunt, ſi eundem habeant dominum, nihil eis locorum diuerſitas obeſt, cùm ab vno in concordiam trahantur. Nõ igitur dico, inquit, quòd Corinthij cum Corinthiis modò concordetis, ſed & cum vniuerſi orbis hominibus, cùm communem Dominum habeatis.

Eccleſia vna eſt, etſi locis pluribus diuiſa.

Matth. 6.

Chryſoſt. in commenta. ſuper Epiſt. ad Galat. c. 1. Tom. 4.

Contẽplare verò mihi et hîc vehementẽ indignationẽ Apoſtoli. Non enim dixit, dilectis, neq; ſanctificatis, ſed Eccleſiis Galatiæ: Nam hoc erat ægrè affecti animo, ſuumq; dolorem aperientis, quòd eos non à charitate, neq; propriis nominibus appellauit, ſed à ſola cõgregatione, quodq; non addidit, Eccleſiis Dei; ſed ſimpliciter dixit: Eccleſiis Galatiæ. Quanquam et aliòqui ipſa ſtatim præfatione feſtinat illorum diſſidium redigere in concordiã, eaq; gratia Eccleſiæ, id eſt, congregationis vocabulum poſuit, pudorem illis incutiens, & cogens in vnum: Etenim qui diſſecti ſunt in varias partes, nequaq; poſſunt hoc appellari cognomine: Siquidẽ Eccleſiæ nomen, conſenſus concordiæq; nomen eſt.

Eccleſia nomẽ concordiæ.

Chryſ. tõ. 4. in illud Apoſtoli: Cũ aũt ſubiecta fuerint illi &c. 1. Cor. 15.

Quamdiu in mundo hoc erat ſecundùm carnẽ Chriſtus, pro ſalute mundi, humanã implens diſpenſationẽ, perſeque-

persequebãtur illum Iudæi, & ab inimicis veritatis infestabatur Saluator orbis: Et ij, qui beneficiis quotidianis fruebantur, erga fontem beneficiorum erant ingrati. Vbi autem omnem humanam adimpleuit dispensationem per passionem, in cœlestes concessit choros; & corpore quidem translatus est, veritate autem ipsa adimplet omnia. Corpus item, quod induerat, in excelsa receptum, à dextra magnitudinis in sublimibus collocauit, non quasi extraneam, ac peregrinam quandam accepturus dignitatem; sed vt corpus, quod antea mortale erat, hac tanta gloria circumamiciret. Verùm post assumptam carnem, post consummatas passiones, post resurrectionem illam celeberrimam, postque illam in cœlos translationem, cùm ab omni exercitu adoraretur, etiam eorum, qui super cœlos sunt, circumstiparetur, item omnium angelicorum ordinum agminibus, & iam non esset in eorum numero, qui affligebantur, persecutionibusque infestabantur, vbi Paulum furibundum vidit aduersùs Ecclesiam, & aduersùs sanctos furoris sui venenum effundentem, inquit ad eum is, qui passionibus vltrà non erat obnoxius, sed in tam admirabili honore dignaq; gloria versabatur: Saule Saule quare me persequeris?

Actor. 9. Ecclesiam persequitur Saulus.

Et planè non te persequor, qui tuam in cœlis habes sedem. Quid me persequeris? Proprias sibi facit Ecclesiæ passiones: Saul Saul, quid me persequeris? Vides quòd persecutio Ecclesiæ Christo adscribitur, qui Ecclesiæ caput est? Sicut igitur, cùm Ecclesia fert persecutionem,

Ecclesiæ persecutiones sunt persecutiones Christi.

cutionem, Christus eam se ferre dicit; ita et nunc Paulus, cùm Ecclesia subditur, dicit Christum subiici. Argumentum item aliud huius rei, si placet, accipe: In duobus enim tribúsue testibus consistet omne verbum; non quòd voci Dominicæ accedere oporteat testimonium aliud: sed quia Christus, cùm loquitur, apud credulos fidem inuenit, apud infideles nullum persuadet testimonium; vocem dominicam nõ confirmamus, sed insipientia hæreticorum ora obstruimus. Paulus ergo ille à Christo edoctus, quòd persecutio Ecclesiæ in Christum vergeret, cognouit; et quòd consentaneum, quòd, quicquid patitur Ecclesia, in Christum quodammodo refertur. Quare & ipse Regis sui verborum vestigia sequens, in vna Epistolarum dicit: Impleo quæ defuerunt afflictionibus Christi. Et nunc & iterum affligitur Christus, etiamsi in cœlos rediit. At vide quid præterea dicat: Suppleo quæ defuerunt afflictionibus in carne mea pro corpore ipsius, quod est Ecclesia. Vides vt ipsius faciat, quæcunque sunt Ecclesiæ, siue passiones siue honores. Veneratus es Ecclesiam, veneratus es Christum: Insectatus es Ecclesiam, tametsi non opere, proposito tamen Christum insectatus es. Cogita, quantum periculum eorum, qui Ecclesiam mœrore afficiunt; quanta corona eorum, qui Ecclesiam venerantur. Qui vos spernit, me spernit, inquit Seruator. Agnosce Domini vocem, quæ spirituale aliquid in se reconditum & consequens habet.

Deut. 17. 2. Cor. 13.

Colos. 1.

Lucæ 10.

Audi, quòd prædicatio vbique increscat: Postula

à me

Chrysost. 5. in homel. quòd Christus sit Deꝰ.

à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et iterum alicubi: Implebitur omnis terra scientia Domini, sicut aqua multa, quæ operit mare. Et facilitas obedientiæ docetur:

Esa. 11. Psal. 44.

Ecclesia indiscissa semper manebit.

Non docebit, ait, vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, quia omnes cognoscent me, à minimo illorum, vsq; ad maximum illorũ. Indiscissa Ecclesia manifestatur:

Esa. 2.

In nouissimis diebus insignis erit mõs Domini præparatus in vertice montium, et exaltabitur super omnes colles, et venient ad eũ omnes populi et gentes multæ. Et quòd non solùm firma & solida & immobilis, sed quòd & multa orbi pace præsidebit: Et interibũt principatus multorum in ciuitatibus & monarchiæ: Vnũ autem quoddam regnum propagabitur, & abundantius erit pace, non sicut prius: Nam prisca illa regna et dolosi rethores & armati milites parauerunt: Christo autem adueniente, omnia illa dissoluta sunt, & bella in partem seorsum concesserunt.

Chryso. de pœnitentia, homel. 3. tom. 5.

Quod pratum tale, quale Ecclesia? Quis Paradisus talis veluti hic vester cœtus? Non est hic serpens insidians, sed Christus docens: Non Eua ad supplantandum, sed Ecclesia ad dirigendum: Non hîc sunt hortorum frondes, sed spiritus; non hic spinarum sepes, sed vitis fœcunda. Si autem spinam inuenero, in oleam transfero: Non enim naturæ defectus, sed propositi hîc libertas honoratur. Si lupum inuenero, ouem faciam, haud naturam conuertens, sed propositum mutans.

Ecclesia Arca.

Quare

Quare iam non peccauerit, qui arcam Ecclesiam maiorem esse concesserit. Arca quidem animalia susceptit & animalia conseruauit: Ecclesia verò animalia susciens, eadem transformauit; vt puta: Accipiter illuc introiuit, & accipiter exiuit. Introiuit hic quis accipiter, columba exit; introiuit lupus, & ouis egreditur; agnus introiuit, & exit agnus, non transmutata natura, sed malitia exclusa. Genes. 7.

Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus. Venient in nomine sponsi, vt sponsæ castitas tentata probetur: Nam sicut omnis mulier, quamdiu non admonetur à malis hominibus, non bene cognoscitur, vtrùm sit casta; si verò admonita conscientiam vel fidem viro seruauerit, tunc meritò casta laudatur: Sic Ecclesiæ fides non bene cognoscitur, nisi Antichristi venerint ad eam; siue de illis pseudochristis, qui præcesserunt, antequàm tentaretur Ecclesia, hoc conuenit dicere. Chrysost. in 24. c. Matt. homel. 48. tom. 2. Ecclesiæ fides non bene cognoscitur, nisi ad eã priùs Antichristi venerint.

Dico & obtestor, Ecclesiam scindere non minus esse peccatum, quàm in hæresim incidere. Responde quæso. Quid si quis Regi cuidam subditus, nemini quidem præterea addictus fuerit, nec alij se Regi cuipiam tradiderit, huius verò ipsius prehensam purpuram, ab ipsa fibula ad imum vsque totam sciderit, & in multas partes ruperit, an minùs puniendus fuerit, quàm qui ad alium desciuerunt? Quid verò si ad hæc & Regem ipsum apprehenso gutture trucidauerit, corpusque ipsius per singula membra prosciderit? Quam hic, putas, Chrysost. in Epist. Pauli ad Ephesios ca. 4. homel. 12. tom. 4. Ecclesiã scindere, quid sit.

Hila.li.7.de Trinitate.

Ecclesiæ firmitas.

Greg.li.31. Mora.c.12.

In Ecclesia boni & mali.

Hoc Ecclesiæ propriũ est, vt tũ vincat, cùm tegitur, tũ intelligatur, cùm arguitur, tũ obtineat, cũ deseritur.

Quia à bonis malisq; hæc vita cõmuniter ducitur, nunc Ecclesia ex vtrorũq; numero visibiliter congregatur, sed Deo inuisibiliter iudicante discernitur, atq; in exitu suo à reproborũ societate separatur. Modò verò esse in ea nec boni sine malis, nec mali sine bonis possunt: Hoc enim tempore coniuncta vtraq; pars sibi necessariò congruit, vt & mali mutentur per exempla bonorũ, & boni purgentur per tentamenta malorũ.

Greg.li.35. Moralium, capit. 6.

Sacrificium Ecclesię Catholicæ tãtùm Deo acceptum.

Exod.12.

Extra Ecclesiam nõ est verꝰ Dei cultus.

Matth.7.

Matth.20.

Genes.7.

Exod.33.

Veritas ex sola Catho. Ecclesia cõspicitur.

Sola Ecclesia Catholica est, per quam sacrificiũ Dominus libenter accipiat, sola, quæ pro errantibus, fiducialiter intercedat. Vnde etiam de agni hostia Dominꝰ præcepit, dicens: In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foràs: In vna namq; domo agnus comeditur; quia in vna Catholica Ecclesia vera hostia Redẽptoris immolatur. De cuius carnibus diuina lex efferri foràs prohibet; quia dari sanctum canibus vetat. Sola est, in qua opus bonum fructuosè peragitur, vnde et mercedem denarij non, nisi qui intra vineam laborauerant, acceperunt. Sola est, quæ intra se posita valida charitatis cõpage custodit. Vnde & aqua diluuij arcam quidem ad sublimiora sustulit; omnes autẽ quos extra arcã inuenit, extinxit. Sola est, in qua sacra mysteria veraciter contemplemur. Vnde et ad Moysen Dominus dicit: Est locus apud me, & stabis supra petrã. Et paulò pòst: Tollam manum meã, et videbis posteriora mea: Quia enim ex sola Catholica Ecclesia veritas conspicitur, apud se esse loçũ Dominus perhibet, de quo videatur.

Sanctæ

Sancta vniuersalis Ecclesia prædicat, saluari veraciter nisi intra se non posse, asserens, quòd omnes, qui extra ipsam sunt, minimè saluabuntur. Greg. li. 14. Mora. ca. 2. Extra Ecclesiam nemo saluatur.

Testante Apostolo: Sicut vnus Dominus; ita vna fides esse dignoscitur, in qua, tanq; in immobili fundamento, præter quod nemo potest aliud ponere, firmitas Catholicæ Ecclesiæ inuiolata consistit: Inde est, quod beatus Petrus Apostolorũ Princeps pro eximia huius fidei cõfessione, à Domino ac Saluatore nostro audire meruit: Tu es, inquit, Petrus, & sup hanc petrã ædificabo Ecclesiã meã; petrã vtiq; firmitatẽ fidei & Catholicæ vnitatis soliditatẽ manifestè designans: Hæc siquidẽ est inconsutilis tunica Redemptoris nostri, sup quam milites sortiti sunt; sed eã diuidere minimè potuerunt. Contra quam in initio fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania: Astiterũt Reges terræ et Principes conuenerunt in vnũ. Verùm Apostoli Duces Dominici gregis, & eorũ successores Apostolici viri ardore charitatis & zelo rectitudinis succensi, fidẽ defendere, et eã in cordibus aliorũ proprij sanguinis effusione plantare nõ dubitarunt. Demũ cessante persecutorũ rabie, imperauit Dominus ventis, & facta est in Ecclesia tranquillitas magna. Sed quia hostis humani generis semper circuit, quærens, quem deuoret, ad impugnandam synceritatem fidei, fraudulentã hæreticorum fallaciam subinduxit. Contra quos viri Ecclesiarum Pastores viriliter insurgentes, eorum praua dogmata cum ipsorum autoribus condemnarunt. Greg. li. 14. Mora. ca. 2. Extra Ecclesiam nemo saluatur. Ephes. 4. Bernardus Epist. 194. Ecclesiæ Catholicæ firmitas in quo consistit. Matth. 16. Ecclesia vna. Psal. 21. Matth. 27. Psalm. 2. Ecclesia per Doctores plantata & conseruata. Matth. 8. 1. Petri. 5.

CAPVT V.

OBIECTIONES ADVERSARIORUM contra Ecclesiam Christi in genere; & earundem solutiones.

OBIECTIO NOVATORVM.

CATHOLICA *Ecclesia, si de doctrina sermo est, fundatur super doctrina Prophetica & Apostolica, nec tradit vlla dogmata extra eam doctrinã, quæ scriptis Propheticis et Apostolicis cõtinetur: Ita enim scriptum legimus: Superstructi super fundamentũ Apostolorum & Prophetarum* Ephes. 2. *ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Auxilium nactus Dei &c. Papistica autem Ecclesia fundatur super traditionibus et dogmatis extra scripturam: Docent enim, traditiones esse certissimum fidei fundamentum. Quare cùm Papistica Ecclesia sit structura alterius fundamenti, nõ habet commune habitaculum in ædificio Catholicæ Ecclesiæ.*

RESPONSIO CATHOLICA.

Ecclesia verbũ Dei scriptum & traditum recipit.

Qua ratione Catholici, traditiones certissimum esse fidei fundamentum, doceant; ex scriptis eorum plurimis in lucem editis satis constat. Hoc ipsum autem nobis est testimonio, quòd Ecclesia nostra fundatur super doctrina Prophetica & Apostolica, quòd nõ solùm scriptum, verùm etiam traditum Dei verbum recipimus.

pimus: Sic enim nos docuerunt Prophetæ: Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi. Non te prætereat narratio seniorum: Ipsi enim didicerunt à patribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum. Sic nos docuit Apostolus: State, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam. Nouatorum autem hæretica Ecclesia, nõ fundatur super doctrina Prophetica & Apostolica; quandoquidem iuxta doctrinam illius traditiones non recipit. Neque est Ecclesia Catholica, sicut nouatores cauillantur, alieni fundamenti structura: Nos enim aliud fundamentum non ponimus, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus; super hoc superstructi sumus, & superstruimus ipsi, nec ab eo diuelli nos vnquam patiemur.

Deut. 32.
Eccles. 8.
2. Thess. 2.
Fundamẽlitũ Catholicę Ecclesiæ.
1. Cor. 4.

OBIECTIO NOVATORVM.

Catholica Ecclesia agnoscit vnum solum caput æternæ suæ salutis, tam in cœlo, quàm in terra, Dominum nostrum Iesum Christum, & ad hunc solum Seruatorem suum alligata est, atque in hoc solo quærit veram & æternam suam salutem per fidem. Ac vtitur quidem ministris suis, non vt dominentur, sed vt seruiant ipsi; idque non pro eorum arbitrio, sed iuxta regulam à sacra scriptura præscriptam. Solum autem Iesum Christum filium Dei agnoscit Dominum & sponsum suum, & ex eo solo, tam viuens quàm moriens pendet. Hoc testatur Matthæus dicens: Data est mihi omnis potestas tam in cœlo, quàm in terra. Et:

Matth. 28.

Ibidem. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad con-*
Ioan. 10. *summationem seculi. Et Ioannes: Cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequũtur, quia nouerunt vocem eius. Alienum autẽ non sequuntur, sed effugient ab eo; quia non nouerunt vocem alienorum. Itẽ Paulus: An nescitis, quòd corpora vestra sint*
1. Cor. 6.
Ephes. 1. *membra Christi? Et rursus: Omnia subiecit sub pedes eius, & eũ dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementũ eius, qui omnia in omnibus adimplet. Et rursus: Summo angulari lapide Iesu*
Ephes. 2. *Christo, in quo quæcunq; structura coagmentatur, ex-*
Ephes. 5. *crescit in templum sanctũ in Domino. Ac iterũ: Christus est caput Ecclesiæ, & idem est, qui salutẽ dat Ecclesiæ. Ecclesia autẽ Papistica agnoscit in his terris pro capite suo Romanũ Pontificẽ, & est alligata ad Prælatos, qui sunt Romano Pontifici subiecti, quos & dominos suos, nõ seruos agnoscit: Nec pendet ex solo Christo, nec quærit in eo solo salutem per fidem, sed quærit eam etiã in contritione, in ieiunio, in horis Canonicis, et in omnibus suis operibus, quibus confidit se gratiam Dei mereri: Dicunt enim apertè: Ecclesia est humana congregatio, habet Prælatos & superiores suos. Et ad-*
1. Cor. 4. *dunt quidem: Illi sunt ministri Christi, & dispensatores ministeriorum Dei; quæ verba scribit Paul⁹; sed nihil ad Papisticos Prælatos: Mox autem subiungunt: Alligata est iis tota Ecclesia, non minùs quàm quælibet alia respub. suis capitibus & gubernationibus. Ac mox: Sine illis, videlicet, Prælatis (quos ipsi vocant, sed falsò, ministros Christi legitimos) non est Eccle-*

RESPONSIO CATHOLICA.

Nobis propositum est breuibus hîc respondere: Nã si tractanda forent omnia, iustum volumen vix sufficeret. Propterea negas, penès nos esse Catholicã Ecclesiã, quòd agnoscimus in terris pro capite nostro Romanum Pontificem, cùm Ecclesia Catholica solum vnũ caput agnoscat Christum. Quasi verò, qui pro capite Pontificem agnoscit, non agnoscat etiã caput Christum. Dicis etiam de Catholica Ecclesia, quòd solum Christum Dei filiũ agnoscit Dominũ. Num igitur nullus est in terris Dominus agnoscendus, quia solũ Christũ Ecclesia Dominũ agnoscit? Num ideo inuictissimus Princeps Maximilian⁹ Imperator Rex et Dominus noster, aut Serenissimus & Catholicissimus Dux Albertus vtriusq; Bauariæ Domin⁹ esse desinet, quia Christum Regẽ & Dominũ nostrũ esse confitemur? Eiusmodi vocibus, rusticos contra Dominos concitastis, & seruile bellũ in Germania conflastis. Est caput Ecclesiæ Christus; neq; tamen ꝓpterea non est caput Ecclesiæ Põtifex. Est Rex & Dominus noster Christus; neq; tamen propterea nõ erit Cæsar & Domin⁹ noster Maximilianus. Est Domin⁹ Bauariæ, quemadmodũ toti⁹ orbis terrarũ Christ⁹; neq; tamẽ ꝓpterea Princeps Albert⁹ nõ erit vtri⁹q; Bauar. Domin⁹. Quis est, q nesciat, solũ Christũ regere ac regnare in Ecclesia, et impiũ hoc solo illi⁹ uerbo exerceri et administrari? Sed qa uisibili p̃sentia inter nos nõ habitat, vt volũtatẽ suã ore suo corã nobis declaret hcẽm in hoc ministeriũ adhibet, et quasi vicariã operã tm ad eos ius honoremq; suũ transferendo, sed vt suũ

Ecclesia etsi solũ Christum caput agnoscat; non tamen negat Christivicarium Pontificẽ.

Christ⁹ nobiscum agit per suos virios, & Prælatos Ecclesiæ.

tantùm per eos opus agat ipſe, qualiter ad opus quoq
Quomodo Chriſtus & Pontifex ſimul caput Eccleſiæ ſint. faciendum artifex vtitur inſtrumento. Quare manet ipſe caput Eccleſiæ nihilominùs, regit, regnat, & imperium exercet ipſe nihilominùs in Eccleſia; verùm opus hoc ſuum per Pontificem agit miniſtrum ſuum. Non quòd non poſſit id per ſe ipſum ſine alio quoquam aut adminiculo, aut organo præſtare; ſed hoc mihi viſum eſt illi, ſuam erga nos dignationem declarare, cùm ex hominibus ſumeret, qui pro ſe in mundo legationē fungerentur, qui arcanæ ſuæ voluntatis eſſent interpretes, qui perſonam denique ſuam repræſentarent. Deinde viſus eſt hic illi firmiſſimus vnitatis retinendæ nodus, quo Eccleſiam ſuam adſtringeret, ſi vnum aliquem illi præfeciſſet, cuius in ea gubernandā viſibili miniſterio vteretur. Vides, hæretice, nihil detrahi Chriſto capiti, ſi ſubiectū illi Romanum Pontificem caput in terris agnoſcamus? Non magis, quàm ſi caput regni Romanorum Imperatorem & Dominum noſtrum Maximilianum eſſe profiteamur. Non propterea non erit caput; non propterea non erit Rex & Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius, cuius cut Eccleſiæ, ſic & regni caput ſubiectum eſt.

Principes quomodo ſint capita ſuarum ditionum. Nam cùm proprium ſit capitis munus, ſubiecta ſibi membra gubernare, facit hoc ipſe quidem Chriſtus virtute ſua; ſed interea tamen ſicut in Sacramentorum adminiſtratione, ſicut in verbi ſui prædicatione, ſic in Eccleſiæ ſuæ, regnorumque & prouinciarum gubernatione, hominum vti miniſterio dignatur.

Prin-

Principum quidem, Regum & Imperatorum, in regnis & prouinciis moderandis; Romani verò Pontificis in Ecclesia sua gubernanda, quæ si non ex vnius alicuius autoritate pendeat, nec Ecclesia, nec fides vna retineri potest.

Neq; verò inusitatum est hoc in scripturis, quòd capitis nomen hominibus tribuitur. Sic Sauli dixit Samuel: Caput in tribubus Israël factus es. Sic de se Dauid: Constituit me in caput gentium. Sic apud Oseam legimus: Ponent sibimet caput vnum. Sic apud Paulum: Vir caput est mulieris. Quid autem hæretice? cùm semel atq; iterum dixit Apostolus: Vir caput est mulieris; num ideo Christum esse caput mulieris negauit? Minimè gentium; verùm hoc dicere voluit, Christum caput mulieri constituisse virum, vt eam gubernaret. An autẽ ideo non gubernat eam Christ⁹? Imò gubernat, sed per virum, cui vult mulierem esse subiectam. Sic etiam cùm dicitur, Pontifex caput est Ecclesiæ, absit, vt Christum excludamus, qui verè caput existens, verè gubernat Ecclesiam. Sed sicut mulieri virum, sic huic sponsæ suæ caput constituit Petrum & eius successorem, cuius ministerio illã gubernaret, quando dixit: Pasce oues meas. Ipse caput, ipse gubernator est Ecclesiæ suæ, ipse Pastor & Episcopus animarum nostrarum: Sed interea Petrum elegit Petriq; Successorem, cuius in ea pascenda gubernandaq; ministerio vteretur: Quem qui pro capite non cognoscunt, in quot sectas quàm dissectas dissecti sint,

Capitis nomen hominibus tribuitur in scripturis. 1. Regũ. 15. Psalm. 17. Oseæ. 1. 1. Cor. 11. Ephes. 5.

Ioan. 21. 1. Petri. 2. Necessarius Ecclesiæ Pontifex & Pastor supremus.

vides ipse hæretice. Ac nisi te datum iam in reprobum sensum, totum Satanas possideret, non posses non fateri, quòd vna Ecclesia, quim & vna fides apud eos esse nulla ratione potest, apud quos sub inuisibili capite Christo visibile quoq; caput in terris Pontifex vnus non agnoscitur. Nec obscurũ est, quòd idem aliquado Melanthon quoq; vester senserit, cùm ipsa magistra rerum experientia doctus, aliter consentientem in Ecclesia doctrinam vnitatemq; fidei conseruari non posse videret.

Princeps idem & caput Ecclesię Anglicanæ non diu durauit.

Fructus eiꝰ doctrinæ, Principes seculares esse capita Ecclesiæ.

Quid enim? Si quod vos velle videmini, quisq; Rex regno, quisq; Princeps in ditione sua, se caput Ecclesiæ regni ditionisq; suæ constituat, quod post hominum memoriam factum vnquam aut vsquam nescimus, præterquàm hoc infelici seculo nostro in Anglia. Sed quid? Si tale quiddam, peccatis nostris offensus Deus permittat, per Deum immortalem, quale futurum esset monstrũ Ecclesia? Quot capita? Quot fides? Quot confessiones esset habitura? Hæc esset Augustana vel Saxonica potiùs; illa Vuirttembergensis; alia Osiandrina; alia Tigurina; alia Suenckfeldiana; alia Picardina; alia Moncerana sine Menomiana, aut si mauis, Pacimontana; alia Seruetiana confessio; quot Principum voluntates, tot fides, tot confessiones videre licoret; sicut nunc in ista Babylone Germanica, quam ædificauit Lutherus, videmus omnes. Tale monstrum ne ferre cogeremur in Ecclesia, cumprimis

Vtilitas vnius capitis in Ecclesia.

vtile

vtile visum est & necessarium ad conseruandam inea tranquillitatem ordinemq; retinendũ, vt vnum aliquod sub Christo capite caput Ecclesiæ constitueretur, ad quod iuxta traditionem Apostolorum, & si credimus Anacleto, iuxta iussionem ipsius Christi, de caussis difficilioribus referretur, quòd non alia quàm hac ratione, vt vna apud omnes & eadem esset fidei confessio, prouideri posset. Hunc vos ordinem, hæretici, ferre non potestis, quòd eo saluo, saluos esse vos, & errores vestros diu consistere non posse videtis. Quamobrem vt eum euertere queatis, omnes neruos vestros contenditis.

Neq; verò noui quicquam in hoc facitis. Fecerunt hoc etiam ante vos Patres vestri prisci illi Hæretici. Veteres hæ sunt & vsitatæ Satanæ artes; qui sicut à Cypriano scriptum est, ob hoc Ecclesiæ Præpositum infestatione sua persequitur, vt gubernatore sublato, atrociùs atq; violentiùs circa Ecclesiæ naufragia grassetur. Sed quid accidit apud vos hæretici? Principiò nihil aliud, quàm Pontificem Romanum Ecclesiæ caput agnoscere noluistis, & eum reiecistis; num intra fines hos constitit furor vester? Nequaquã, sed idem postea de nunquam satis laudato Imperatore quoque vestro Carolo quinto fecistis. Sicut Ecclesiæ Pontificem, sic illum Imperij caput agnoscere noluistis, & eadem autoritate, qua Pontificem, Imperatorem quoq; vestrum reiecistis, contra quem etiam arma cepistis, & eum iam non Imperatorem, sed Carolum

Cypr. lib. 1. Epist. 3.

Primò Pontificem, deinde Cæsarem sectarij negarunt esse caput.

à Gan-

à Gandauo vísum vobis fuit appellare. Verùm non defuit fideli ministro suo Deus, deq; hostibus Euangelij sui iustas est pœnas persequutus. Sed de iis satis.

Nos verò, vel hoc nomine id quod sumus, dici debere Catholicos censemus, quòd sicut semper à Catholicis fuit factitatum, & Ecclesiæ caput Pontifex Romanus apud nos, & vtriusque Bauariæ Dominus Princeps Albertus, & regni caput Rex à suis quisque agnoscitur. Et est apud nos Ecclesia, sicut per calumniã hoc nobis obiiciunt aduersarij, alligata ad Episcopu suos, qui sunt Romano Pontifici subiecti; quod ante mille trecentos annos, Cypriani quoq; seculo, sic fuisse legimus obseruatum: Sic enim loquitur sanctus ille Martyr post illa verba: Loquitur illic Petrus, super quem ædificanda fuit Ecclesia, docens, quia etsi contumax & superba obedire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen Christianorum non recedit, & illi sunt Ecclesia, & plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse, & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt, cùm Ecclesia, quæ Catholica & vna est, scissa non sit, neq; diuisa, sed sit vtique connexa, & cohærentium sibi inuicem Sacerdotum glutino copulata. Vides, quemadmodum hic ad Episcopos Ecclesiam alligauerit, & qui cum Episcopo non sint, eos in Ecclesia esse negauerit?

Ecclesia ad Episcopos alligata.

Cypr. lib. 4. Epist. 9.

Est

Eſt autem hoc moribus receptum in Eccleſia, Patrum vt nomen Epiſcopis tribuatur, qui quantò magis Eccleſiæ ſeruiunt vtilitati, tantò minùs pro ſeruis agnoſcuntur; quin eos pij Dominorum appellatione dignantur, de quibus per os Prophetæ loquutum aliquando Dominum eſſe ſciunt: Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram; verùm ſic tamen, vt interea meminerint Epiſcopi, quod ſcriptum eſt ab eo, quem primum in terris Epiſcopum Dominus inſtituit; non vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.

Epiſcopi recte etiã Patres dicuntur. Pſalm. 44. 1. Petri. 5.

Pendet autem Eccleſia noſtra ex ſolo Chriſto; quærit in eo ſolo ſalutem per fidem, ſed non per veſtram illam ſpecialem, charitatecq́; deſtitutam, ſed per eam, de qua Paulus loquitur, fidem, quæ per charitatem operatur. Per hanc fidem, qua fit, vt conteramur in corde noſtro, vt conuertamur ad Dominum in ieiunio, & fletu, & planctu, vt accedentes ad thronum eius gratiæ, ſupplices miſericordiam eius imploremus, per fidem hanc quærit ſalutem in ſolo Chriſto. Neque confidit, ſe primam gratiã vllis operibus mereri poſſe: Nam ſi gratia, iam non ex operibus. Et eſt hoc vulgatiſſimum etiam eorum Doctorum, quos vocant Scholaſticos, axioma, quòd grimam gratiam nemo meretur. Cæterùm gratiã pro gratia ſe conſequi poſſe confidit, hoc eſt, pro operibus in gratia factis ſperat adipiſci ſe poſſe vitam æternam, quam & ipſam gratiam vocat Paulus; non quia meritis non datur, inquit Augu-

Quomodo Eccleſia ex ſolo Chriſto per fidẽ pendeat. Galat. 5. Ioël. 2. Hebr. 4. Roman. 11. Meritum operum. Ioan. 1. Roman. 6.

Augustinus, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Data sunt autem gratis: Nam primam gratiam, qua fit, vt mereri possimus vitam æternam, nullis meritis assequi licet. Talẽ Ecclesiam, cuius nos esse membra profitemur, & præ nobis ferimus, etiam tu hæretice Catholicam esse negare non posses, nisi malitia cor tuum excæcasset, vt auribus audias, & non intelligas, videns videas, & non videas. Sed quid habes, quæso, quod arrodas in Catholicorum verbis?

Matth. 13.

Ecclesia hominum cõgregatio.

An hoc, quòd hominum congregationem esse dicunt Ecclesiam? Certè non est Angelorum, & multò minùs quadrupedum. An quod addunt: Habet Prælatos & superiores suos? Quin tu cum Paulo iurgari potiùs, qui dixit: Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios Pastores & Doctores. Iam verò illa, quæ sequuntur: Hi sunt ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, re vera sicut dicis, nihil ad vestros hæreticos, sed permultum faciunt ad nostros Prælatos Catholicos, quibus verè sentiunt Catholici alligatam esse totam Ecclesiam non minùs, quàm aliam quamuis rempublicam suis capitibus & gubernatoribus. Eadem est sententia sanctissimi quoque Martyris illius Cypriani, qui & hoc in eadem illa scribit Epistola, quòd sine Prælatis, hoc est, Episcopis, quos Catholici veri vocant ministros Christi legitimos, nõ est Ecclesia. Re vera dissipationẽ, vel ruinam potiùs & exitium Ecclesiæ molitur, quisquis ordinem hunc vel abolere studet,

Ephes. 4.

Cypr. lib. 4. Epistol. 9.

Sine Episcopis non est Ecclesia.

studet, vel quasi minùs necessarium eleuat: Neque enim vel Solis lumen ac calor, vel cibus ac potus, tam sunt præsenti vitæ fouendæ ac sustinendæ necessaria, quàm est conseruandæ in terris Ecclesiæ Apostolicum & pastorale munus.

OBIECTIO NOVATORVM III.

Papistarum Ecclesia pleraq; asserit, quæ euertunt fidem orthodoxam & Catholicam, vt quòd damnant articulum de remissione peccatorum, in quo dicimus fide accipi remissionem peccatorum. Manifestus item error est, quòd docent aduersarij, mereri homines remissionem peccatorum dilectione erga Deum ante gratiam: Nam hoc quoque tollere est fundamentum, hoc est, Christum. Item quid opus erit fide, si Sacramenta ex opere operato sine bono motu vtentis iustificant? Ergo apud eos non est vera Christi Ecclesia. Mendacium.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quòd isti dicunt, Catholicos docuisse homines mereri remissionem peccatorum dilectione erga Deum ante gratiam, impudentissimum est mendacium. Aut, vt aliquid eis concedamus, loquũtur de vera dilectione Dei, qua Deus diligitur super omnia & de merito condigni, & gratia gratũ faciente; hoc modo nemo Catholicorũ sensit hominem mereri remissionẽ peccatorũ de condigno per dilectionẽ Dei ante gratiæ gratum facientis infusionem: Omnes enim cõcorditer Academiæ docent, hominem nunq; verè diligere Deum super oĩa, nisi Quomodo nemo mereatur remissionem peccatorũ secundùm Catholicos.

nisi detur ei gratia gratum faciens & Spiritus sanctus,
Roman. 5. *qui cùm datur, diffunditur charitas in cordibus nostris; tantum abest vt dicant ante eius infusionem per charitatem hominem mereri remissionem peccatorum de condigno. Si sic Catholicos sentire asserunt, mentiuntur. Aut loquuntur de dilectione, qua per informem fidem Deum agnoscentes, ita eum amant, vt tamẽ se ipsos magis & voluptatulas diligant. Hac dilectione negant Theologi hominem mereri remissionem peccatorum de condigno; de congruo tamen eos eam mereri fatentur, si ex hac informi fide peccator*
Meritum congrui. *pœnitens gratiam & misericordiam petat & quærat. Quandoquidem pœnitentia, orationes, & alia opera, quæ ex hac dilectione Dei profluunt, inefficaciora sunt, quàm quæ tam magna operentur. Congruit tamen diuinæ bonitati, vt ex tali amore pœnitentem, orantem, & gratiam quærentem misericorditer adiuuet. Non repetam etiam alia, ne crambe sæpius posita probo lectori mortem pariat. Tantùm mendacia demonstrasse sat fuerit, ne nostris etiamnum fucum faciant.*

Sacramẽta an ex opere opato sine bono motu vtentis iustificent.

Rursum mentiũtur, docuisse Catholicos, quòd Sacramẽta ex ope operato sine bono motu accipientis iustificent: Omnes enim vno sensu fidem requirunt & displicentiam peccatorum propositumq́, vitam corrigendi. Requirunt etiam omnes, vt remoueantur obices & impedimenta, quæ non remouentur nisi fide & bono motu accipientis; hoc est, nemo iustificatur, nisi

ex fide

ex fide doleat se peccasse, & vitam velit emendare. Quando verò hoc ex se non potest, per Sacramenta gratiam quærit & accipit. Qui non credit, neq; secum firmiter in animo statuit prioris vitæ in peccatis exactæ, modum ponere, maximum obuoluit gratiæ impedimentum.

Et quod principe loco confutatum oportuit, videlicet Catholicos damnare articulum de remissione peccatorum, in quo dixerunt, fide accipi remissionem peccatorum, mendacium est effrontissimorum hominum: Nunquã enim damnarunt articulum de remissione peccatorum Catholici, sed confidenter ipsum prædicant; neq; negant, fide accipi remissionem peccatorum, sed sola fide asserunt neminem remissionem peccatorum consequi. Fidei addunt dilectionem aliaq; sancta eius monilia, vt efficax sit ad operandum iustificationem.

Catholici an negent fide accipi remissionẽ peccatorũ.

OBIECTIO NOVATORVM IIII.

Papistæ non sunt fideles; ergo non sunt in Ecclesiæ. Quæ consequentia facilè inde probatur, quia negant & impugnant officia & virtutes passionis Christi, dum docent purgatorium, missas pro defunctis, inuocationem Sanctorum, bona opera, dimidiatum Sacramentum, transubstantiationem, & id genus alia.

RESPONSIO CATHOLICA.

Dic mihi ô hæretice, quæ officia, quas virtutes passionis Christi negant tibi, imò verò oppugnant etiã, vt tu ais, Papistæ? An quia sacrificium offerunt pro

defunctis, bonis operibus tanquam meritoriis studeant, Synaxim Laicalem celebrant sub altera tantummodò specie, quemq; sumunt in Eucharistia, eundem etiam vt Deum adorant? At hæc ipsa, si nescis, sunt & fuerunt in vsu Catholicæ Ecclesiæ tanto tempore, vt minimum dicam, vt initij eius nulla extet memoria, tanto consensu omnium gentium ac populorum, qui manent in vnitate Catholica, vt nefas sit inquirere in ea, & qui inquisierit, consensu ac iudicio eiusdem Ecclesiæ pro hæretico aut schismatico habeatur. Nisi fortè Ecclesia, quæ hodie est, quæq; tot spatiis annorum ad nos vsq; perducta est, aut non est Catholica, aut si Catholica est, corpus Christi tamen, & columna ac firmamentum veritatis non est? Tu igitur ostende, vbi sit, aut vbi latuerit tantis temporibus Catholica, si hæc non est, quam hodie & tenemus nos, & maiores nostri sine intermissione tot annorum curriculis tenuerunt? Aut, si potes, doce, vbi interrupta, quò translata, quomodo extincta fuerit? Non loquor hic de sola interiore illa, quæ electorum Dei est, & soli Deo, vbi & in qua parte mundi rarior aut frequentior sit cognita; sed simul de externa ista & visibili congregatione, quæ in vsu & tractatione Sacramentorum constituta, nec ignorari à quoquam, nec dissimulari potest, quæ certè cùm vnica & indiuidua sit, interiorem illam intra sese vt palea triticum complectens, cumq; omnium locorum, temporum ac personarum vna eademq; sit, vsq; ad fines orbis terrarum porre-

Dogmata, quæ ab hæreticis oppugnantur, recepta sunt ab Ecclesia Catholica.

Ecclesia Catholica & vna.

porrecta, quàm longè scilicet ac latè patet Baptismus & fides Christi, quomodo potest non Catholica esse, Catholica, inquam, & esse & dici?

Hæc cùm ita sint, cùm ea, quæ tu damnas, in vniuersa Catholica (quæ Spiritu sancto ad salutem omnium gubernatur) tanto tempore recepta, approbata, vsitata fuerint, nec gens vlla intra vnitatem eiusdem constituta, extet hodie, aut tanto temporum discursu, imò ab Apostolis vsq;, quod multis argumentis probari potest, fuerit in illa, quæ non tenuerit vsum eundem, eaque ipsa, quæ tu condemnas, non sanctè ac religiosè coluerit; quid dicere potes, quò minùs stetur iudicio & consensui Ecclesiæ, quæ cùm ducatur à Spiritu sancto ad ea, quæ ad promouendam pietatem salutemq; nostram pertinent, quid habes, quod rectè ac piè sequaris, si te ab huius magisterio ac disciplina separaueris?

Omniáne dogmata Ecclesiæ sint expressa in scripturis.

Sed negas tamen ista scripturis expressa esse, vel ex eisdem probari posse. Neque ego hic quæro, expressa sint, nécne; sed illud tantùm, an Ecclesiæ consensu introducta, recepta, approbata fuerint: Nisi fortè errare, vt iam dixi, ac falli posse Ecclesiam putas? Quod si ita est, frustra sponsa & corpus Christi appellatur: Siquidem sponsa aberrare à sponso ac falli, corpus autem sine capite ac Spiritu suo esse potest. Sed quia scripturam requiris à me, tu vicissim ostende mihi, vbi hoc ipsum scriptum sit, sine scriptura nihil recipiendum esse, nihil ratum ac firmum habendum,

dum, etiamsi consonet veritati, nec pugnet cum verbo Dei, nisi expressum sit voce ac literis scripturæ. An verò satis est dicere ac scribere talia, ac defendere etiam conari, nullum cultum sine expresso mandato Dei exhibendum, nullas traditiones in Ecclesia recipiendas esse, nisi exemplo, aut expresso scripturæ testimonio sint commendatæ? Nego iterum tibi blatero, nego talem assertionem veram esse; tu ostende & proba mihi expresso scripturæ testimonio, tu inquam, qui in rebus istis, quæ vel ad cultum Dei, vel ad diiudicationem religionis pertinent, non nisi expressam scripturam à me requiris. Quid hîc alligabis mihi? Ne
Deut. 5. declinaueris, neq, ad dextram neque ad sinistram &c.
Deut. 6. Sed quid additur ibidem? Ne eas post Deos alienos, & colas eos. Vides hîc, cur nolit deflecti ad dextram vel ad sinistram? Quid simile est in caussa nostra. At ego memini, hunc locum ab initio dissensionis huius frequenter, sed frustra tamen vsurpatum fuisse. Quare & citò exoleuit: Nihil enim aliud ibidem præcipitur, nisi vt populus caueat à cultu idolorum, ad quem aliôqui ex Ægypto reuersus propensior erat. Ostende igitur tu mihi, & proba, verum esse axioma vestrum, quo statuitis, nullum cultum Dei, nullas traditiones, nisi ad extremum & corporalem vsum (sicut Apologia Cõfessionis habet) pertinentes, recipiendas esse, nisi verbo Dei sint expressæ. Quod si verum est, facessant infinitæ traditiones, & quidem saluberrimæ, partim ab Apostolis ipsis, partim à Patribus conditæ; qui-

quibus sublatis, quis non videt lumen ingens tolli de Ecclesia, regulam disciplinæ, ordinem ministerij, ritum ceremoniarum, doctrinã fidei, tractationem Sacramentorum, totiusq; cultus diuini integritatem in caliginem simul erroremq; deuolui? Nisi fortè friuola erant illa, neq; vsui Ecclesiastico necessaria, quæ post reuelatũ Euangelium mox Apostoli ipsi, deinde eorundem successores, vel ordinauerunt, vel ex longa obseruatione retinuerunt in Ecclesia, vt de circumcisione, de paruulorum Baptismo, de ordine ministrorum, de paschate & ieiunio, de non iterando Baptismate, de ritu ac forma baptizandi, de catechumenis, de Eucharistia & Synaxi, de vno non sine aqua in calice offerendo, aliisq; infinitis, de quibus ferè omnibus quamuis scriptura expressa nulla extaret, postulante tamen vel vsu rerum vel necessitate, non dubitauerunt Patres statuere ea et tradere Ecclesiis, nec minùs rata fuerunt, quàm si literis Euangelicis expressa fuissent.

Traditiones Apostolorũ in Ecclesia sine scriptura receptæ.

Sed mitto ista, inquis, quæ virtuti passionis Christi non detrahunt, illa dico, quæ introducta à Rom. Pontificibus contra expressum verbum Dei, derogant meritis Christi, aut certè dignitatem illorum obscurant. Audio veterator, & hoc ipsum est, quod à te expectabam: Sed illud scire debes, me illud ipsum, quod narras, haud segniùs curare, vt recipiatur in Ecclesia nihil, vt ne feratur quidem vlla ratione, quod obscuret honorem Deo debitum, quod virtuti ac meritis passionis Christi deroget: Deinde illud etiam, & quidem

In Ecclesia nihil recipitur, q derogat meritis Christi.

libentiùs quàm tu recipio, nihil retinendum ac ne admittendum quidem esse, quod verbo Dei contrarium sit, aut, quod cum sententia eiusdem, hoc est, cum diuina voluntate vllo modo pugnare deprehendatur. Sed quod ad causſam nostram attinet, nego vera esse, quæ tu obiicis; nego ea, quæ in vsu Ecclesiæ sunt & fuerunt tanto temporum decursu, si rite gerantur; nego, inquam, talia esse, vt derogent meritis Christi, obscurent virtutem passionis ipsius, verbo ac voluntati Dei vlla ex parte repugnent. Verùm quia ista omnia & singula vix iusto volumine pro dignitate tractari & explicari possunt, hîc pedem retrahere cogimur, lectorem veritatis Catholicæ studiosum ad eos autores, qui hæc ex professo tractarunt, remittentes.

OBIECTIO NOVATORVM V.

Papistica Ecclesia, quæ nomen & autoritatem Ecclesiæ hoc tempore sibi vendicare non veretur, perparum in iis, quæ ad salutem nostram pertinent, docendis, officio suo functa est: Iam inde enim à quadringentis & ampliùs annis, sicuti nemo negare potest, ignotus penè orbi Christiano Dei & hominum mediator Christus fuit, eiusque beneficia obscurata & Euangelium abseonsum, ac, vt paucis omnia complectar, quidnis aliud potiùs, quàm Christus in Ecclesia fuit annuntiatus. Verùm iis tandem quadragintis annis, per Lutherum aliosque eius sequaces & discipulos, mentibus hominum Euangelij noua lux affulsit. Vnde consequitur, Papisticam Ecclesiam, quæ

Chri-

Christum eiusque meritum, in quo cardo salutis nostræ versatur, tanto tempore tacuit, nequaquam Ecclesiam Christi esse dici, aut haberi debere.

RESPONSIO CATHOLICA.

Obiectio hæc, vel calumnia potiùs impudentissima hæreticorum nostri temporis, qua plurimis simplicibus & incautis turpissimè imposuêre hactenus, non poterit rectiùs dilui, quàm si eos ipsos Theologos differentes audiamus, qui eo tempore, quo, iuxta calumniatorum istorum opinionem, Christus mediator Dei & hominum, toti orbi Christiano fuit incognitus, beneficia eius obscurata, & vniuersum Euangelij lumen extinctum, hoc est à centum, ducentis, trecentis & quadringentis annis vixerunt: docuerunt & scripserunt: Si, inquam, hos ipsos audiamus, eorumq; libros, quos posteritati reliquerunt, de ista calumnia cõsulamus: Inde enim rectissimè ac sine errore, de ipsis iudicare & censuram ferre poterimus, quid de Christo & meritis eius senserint, aut non senserint.

Meritum Christi semper in Ecclesia Catholica prædicatum fuisse, legitimis testibꝰ probatur.

Quoniam verò inter Scholasticos, qui de merito Christi prorsus conticuisse dicuntur, præcipuus est Petrus Lombardus, quem & Magistrum Sententiarum vocant, & ante annos 428. id est, anno à Christo nato 1137. vixit & scripsit, hunc ipsum, Deo auspice, primùm proferemus. In hunc autem modum copiosè satis de hac re scripsit: Christus per mortis ac passionis tolerantiam meruit nobis aditum Paradisi & redemptionem à peccato, à pe-

Mag. Sent. l. 1°

à Diabolo, & per mortem eius hæc nos adepti ſumus; ſcilicet redemptionem & filiorum gloriæ adoptionem: Ipſe enim moriendo factus eſt hoſtia noſtræ liberationis. Ecce, auditores, hæc iam olim ante annos quadringentos ſcripſit Petrus Lombardus, primus inter eos, qui accuſantur, quaſi meritum Chriſti non docuerint. Quid autem? Iuréne an iniuria crimînis huius inſimulatur? Verùm audiamus latiùs eundem ipſum eodem in loco per modum interrogationis differentem: Quomodo per mortem nos à Diabolo & à peccato redemit, & aditum gloriæ aperuit? Reſpondet: Deus decreuerat in myſterio, propter primum peccatum nõ intromitti hominem in Paradiſum, hoc eſt, ad Dei contemplationem non admitti, niſi in vno homine tanta exiſteret humilitas, quæ omnibus ſuis proficere poſſet; ſicut in primo homine tanta fuit ſuperba, qua omnibus ſuis nocuit. Non eſt autem inuentus inter homines aliquis, quo id poſſet impleri, niſi Leo de tribu Iuda, qui aperuit librum, & ſoluit ſignacula eius, implendo in ſe omnem iuſtitiam, id eſt, conſummatiſſimam humilitatem, qua maior eſſe non poteſt: Nam omnes alij homines debitores erant, & vix vnicuique ſua virtus ſufficiebat & humilitas. Nullus ergo eorum hoſtiam poterat offerre ſufficientem reconciliationi noſtræ. Sed Chriſtus homo, ſufficiens & perfecta hoſtia, qui multò ampliùs eſt humiliatus, amaritudinem mortis guſtando, quàm ille Adam ſuperbiit, per ligni vetitum, noxia delectatione perfruendo.

Ambroſ. in com. ſuper 5. capit. ad Rom. ſuper illud: Qui eſt forma futuri.

)ca. 5. n. 5. h. 3.

Si ergo

Siergo illius ſuperbia omnium extitit ruina, ipſum de Paradiſo mittens foràs aliisque occludens ianuam, multò magis Chriſti humilitas, qua mortem guſtauit, ingreſſum regni cœleſtis omnibus ſuis, impleto Dei decreto, aperire ualuit, atque decreti delere chirographum: Tantum enim fuit peccatum noſtrum, ut ſaluari non poſſemus, niſi unigenitus Dei filius pro nobis moreretur, debitoribus mortis. Quod non ita intelligendum eſt, quaſi non alio modo ſaluare nos potuerit quàm per mortem ſuam; ſed quia per aliam hoſtiam non potuit nobis aperiri aditus regni & fieri ſalus, niſi per mortem unigeniti, cuius tanta fuit, ut dictum eſt, humilitas & patientia, ut eius merito pateret credentibus in eum aditus regni. Eodemq; in libro, paulò pòſt D. Auguſtini & Gregorij ſententias adducit, iiſdem copioſè docens, non ſolùm nunc poſt aduentum Meſſiæ, uerùm etiam antè, in ueteri Teſtamẽto nullum mortalium abſque fide Mediatoris Chriſti, ſaluatum.

Mag. ſent li. 3. diſt. 25. Aug. lib. de correpț. & gratia cap. 7. in princ. Item li. 2. de nupț. & concor. c. 2. Gregorius hom. 17.

Qua igitur fronte, quo ore dicendum eſt, eiuſmodi Doctores Chriſtum inter Deum & homines Mediatorem ignorâſſe, beneficia eius obſcurâſſe, peccatorum ueniam æternamque ſalutem, per paſſionis & mortis ipſius meritum quærendam, non docuiſſe? Ecce, hîc conſiſtit Petrus ille Lombardus, parens & fons Theologiæ Scholaſticæ, tam præclarè de rebus hiſce diſſerens, ut uix præclariùs diſſeri poſſit, luculenter & apertè proloquens, Chriſtum, ſua paſſione & morte,

nos à peccato, in quod prolapsi eramus, à pœna, quam ob peccatum luere debebamus, à potestate Diaboli, cuius serui eramus, potenter liberasse.

Imò & plus adiiciens, ait, neminem mortalium hoc opus humanæ redemptionis potuisse perficere, sed in miseriis & calamitatibus, quibus primus ille parens noster Adam non se solummodò, sed filios atque adeò posteritatem suam vniuersam, id est, totum genus humanum, immerserat, emori & deperire oportuisse, nisi Christus Iesus venisset, passus pro nobis & mortuus fuisset, atq; ita iram Dei Patris placasset, præclusumq; regni cœlestis aditum reserâsset.

Solus Christus redemptor & liberator noster esse potuit.

Mirabor, si non hoc sit meritum Christi docere. Imò qua ratione melius & magnificentius de eo sermocinari potuisset? Indicat enim lapsum hominis, & quo pacto huic ex gratia Dei per meritum Christi succursum sit, quo denique modo vnusquilibet huius meriti se participem reddere debet. Equidē scire nequeo, quid vltrà docere debuerit.

Porrò ne quis obiiciat fortasse, Petrum quidem Lombardum, qui Scholasticorum sit antiquissimus, potuisse olim in hanc sententiam, vti modò dictum, de merito Christi sensisse ac docuisse, sed qui ipsum secuti sint, & ab hinc annis centum, ducentis, trecentis & quadringentis vixerint, eos demum à regia via declinâsse, Euangelium non syncerè prædicasse, Christi meritum conticuisse &c.

Hæc quidem dictu non sunt difficilia; veritatem autem

autem ſcire deſideranti, teſtium dicta fuerint conſideranda. Nullum porrò certius ac fide dignius teſtimonium habere poterimus, quàm ſi libros ipſorum, quibus doctrinam ſuam concrediderunt, conſulamus, ac tum demum verè cenſeamus, quid de merito Chriſti docuerint, aut ſecus.

Primus igitur ediſſere nobis ſanctiſſime, doctiſſime generoſiſſimeq; Thoma de Aquino, qui ante annos 296. vixiſti, plurimisq; vtiliſſimis libris fidem Chriſtianam aſſeruiſti, quid de Chriſti merito ſenſiſti ac docuiſti? Neq; enim deſunt hac noſtra tempeſtate, qui te tuosq; ſucceſſores apertè inſimulant, totoq; orbe traducunt, quaſi Chriſtum Ieſum Mediatorem inter Deum & homines non agnoueris, nec docueris peccatorum remiſſionem æternamq; ſalutem in paſſionis & mortis ipſius merito quærendam. Age igitur hîc partes tuas, vereq; nobis enarres, quid hoc de themate ſenſeris ac docueris, vt, quid ſequendum hîc ſtatuendúmue nobis ſit, nouerimus. Tho. Aquinas an meritum Chriſti docuerit.

Fieri quidem nequit, vt ipſemet beatus Thomas ore proprio nobiſcum ſermocinetur; quandoquidẽ ante tot annos ex hoc ſeculo migrauit in æternã illam beatitudinem translatus. Nihilo ſecius loquitur nobiſcum & viuit in monumentis, quæ poſteritati tranſmiſit, ſuamque ſententiam ac doctrinam tam luculenter in iiſdem declarat, vt meritò à ſubdola iſtac accuſatione quaſi meritum Chriſti non docuerit, ab omnibus pacis ac pietatis amantibus, ſit abſoluendus.

Ille,

Doctrina Thomæ de Aquino, qui ante annos 296. vixit, de merito Christi.

Tho. par. 3. q. 48. ar. 2.

Ille, inquit, propriè satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id, quod æquè vel magis diligit quàm oderit offensam. Christus autem ex charitate & obedientia patiendo, magis Deo aliquid exhibuit, quàm exigeret recompensatio totius offensæ humani generis. Primò quidem propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur. Secundò propter dignitatem vitæ suæ, quam pro satisfactione ponebat, quæ erat vita Dei & hominis: Tertiò propter generalitatem passionis & magnitudinem doloris assumpti, vt suprà dictum est. Et ideo passio Christi non solùm sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis; secundùm illud Ioannis: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiã pro totius mundi. Gratia tibi, ô beatissime Thoma, quòd vsque adeò nulla ex parte obmutescens, tuam de merito Christi doctrinam tam rotundè protuliſti. Eam nisi luculenta, euidentia & expressa sancti Doctoris verba in promptu forent, quibus apertè fatetur pulchreque explorat, passionem Christi non tantùm sufficientem fuisse, verùm etiam superabundantem satisfactionem pro peccatis humani generis, inuenirentur tam impudentes, qui & ipsum simulque & vniuersum Papatum (vt appellant) hoc nomine suggillare nõ erubescerent, quasi de merito Christi, nec cognitum quippiam aut traditum fuisset.

Passio Christi superabũdãs satisfactio est pro peccatis nostris.

Ioan. 2.

Tibi verò, ô Christe Iesu, vnice Redemptor & Seruator noster, quanta possumus deuotione, gratias agimus,

agimus, quòd iuxta promissionem tuam, Ecclesiæ Doctoribus, Spiritum sanctum, qui Spiritus est veritatis, tam fideliter misisti, qui perpetuò ipsos edocuit, atque mentes ipsorum illustrauit, vt per ipsos doctrina Euangelij ac de merito tuo, tam pura synceráque permanserit, totáque seculis ad nos vsque impolluta seruata sit, vt te vnicum Seruatorem nostrum, vnicum Redemptorem, & beatitudinis autorem agnoscamus & profiteamur, doceamus, prædicemus & laudemus. Nec solidiorem in afflictionibus consolationem habemus, nec aliud in angustiis refugium: Aduersùs mortem, dum iugulum petit; aduersùs infernum, fauces suas immani rictu aduersùm nos diducentem; aduersùs peccata, solicitantia nos ad desperationem; aduersùs Diabolum, impetum in nos molientem, nullum aliud clypeum, nullum fortiùs præsidium habemus, quàm sacratissimæ passionis & mortis tuæ meritum. In illo confidimus, illi nitimur, in illud fiduciam nostram collocamus; quo sublato, disertè profitemur in multifariis peccatis nostris necessariò nos in desperationem et exitium pro lapsuros. Nunc porrò his non vsque adeò solicitamur; quandoquidem Ecclesiæ Doctores, diuinarum scripturarum testimoniis, tam constanter nos perpetuò docuerunt, sacratissimam passionem tuam, non solùm sufficientem, verùm etiam superabundantem esse pro peccatis totius generis humani. Cæterùm nunc porrò audiamus, quid aliis in locis Thomas noster de Christi merito docuerit; ne fortè quispiam existimet,

Meritum Christi præsidiū est aduersùs hostes nostros.

ſtimet, adductam ſententiam per incuriam excidiſſe ipſi, alibi verò longè diuerſum ſentire.

Thom. par. 3. q. 48. art. 4. de merito Chriſti.

Per peccatū, inquit, dupliciter homo obligatus erat. Primò quidem ſeruitute peccati, quia qui facit peccatum ſeruus eſt peccati, vt dicitur apud Ioannem. Et Petrus ſcribit: A quo quis ſuperatus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. Quia igitur Diabolus hominem ſuperauerat, inducendo eum ad peccatum, homo ſeruituti Diaboli addictus erat. Secundò quātum ad reatum pœnæ, qua homo erat obligatus, ſecūdùm Dei iuſtitiam. Igitur quia paſſio Chriſti fuit ſufficiens & ſuperabundans ſatisfactio pro peccato & pro reatu pœnæ generis humani, eius paſſio fuit quaſi quoddam pretium, per quod liberati ſumus ab vtraq; obligatione.

Ioan. 8. 2. Ioan. 2.

Paſſio Chriſti liberauit nos à peccato & pœna.

Equidem exiſtimo & hîc D. Thomam ſuo honori ſatisfeciſſe, quòd expreſsè profeſſus eſt, per paſſionem Chriſti, nos à peccato & ſimul à reatu pœnæ liberatos, prout hanc ſuam ſententiam non longè pòſt, fuſiùs declarat: Per paſſionem Chriſti, inquit, liberati ſumus à reatu pœnæ dupliciter: Vno modo, directè, in quantum ſcilicet paſſio Chriſti fuit ſufficiens & ſuperabundans ſatisfactio pro peccatis totius generis humani; exhibita autem ſatisfactione ſufficienti tollitur reatus pœnæ. Alio modo indirectè, in quantum ſcilicet paſſio Chriſti eſt cauſſa remiſſionis peccati, in quo fundatur reatus pœnæ. Et ſubſequenti articulo quinto: Prohibebantur inquit, homines ab ingreſſu regni cœleſtis propter peccatū; quia, ſicut dicitur ab Eſaia, via illa ſancta vocatur, & non tranſibit per illam pollutus. Eſt

Thom. ibi. q. 49. art. 3. de merito Chriſti.

Paſſio Chriſti quomodo nos liberârit à reatu pœnæ.

Thom. ibi. art. 5.

Eſt autem duplex peccatum impediens ab ingreſſu regni cœleſtis; vnum quidem commune totius naturæ humanæ, quod eſt peccatum primi parentis, & per hoc peccatum præcludebatur homini aditus regni cœleſtis. Vnde legitur in Geneſi; quòd poſt peccatum primi parentis collocauit Deus Cherubin et flammeum gladiũ atq; verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.

Duplex hominis peccatum.

Geneſ. 3.

Aliud autẽ eſt peccatũ ſpeciale vniuſcunq; perſonæ, quod per proprium actum cõmittitur vniuſcuiuſq; hominis. Per paſsionem autem Chriſti liberati ſumus nõ ſolùm à peccato communi totius humanæ naturæ, & quantũ ad culpam, et quantum ad reatum pœnæ, ipſo ſoluẽte pretium pro nobis; ſed etiam à peccatis propriis ſingulorum, qui communicant eius paſsioni per fidem, & charitatem et fidei Sacramenta. Et ideo per paſsionem Chriſti aperta eſt nobis ianua regni cœleſtis.

Paſsio Chriſti ab originali et actuali peccato nos liberauit.

Ecce, docet hîc expreſsè Chriſtum non pro peccato duntaxat originali, verùm etiã pro quibuslibet actualibus peccatis, idq; non pro culpa tantùm, ſed etiam pro pœna ſatisfeciſſe. Qua igitur fronte huiuſmodi opinionem in animum admittere ſuſtines, ne dicã ore proferre de tam orthodoxo Doctore, quaſi meritum Chriſti non docuerit? Vtique docuit, & apprimè prædicauit, vbicunq; dicendi tulit materia.

Nimis autem prolixum fuerit, ſi vniuerſa, quæ in hanc ſententiam diſſeruit, proferre inſtituamus; quocirca adductis in præſentiarum acquieſcemus, bonã in ſpem erecti, quemlibet veritatis amantẽ, non illibenter agnitu-

agnituru*m*, Thomam Christianè, Catholicè & ver*è* Euangelicè de Christi Domini merito docuisse et scripsisse, illosque, qui diuersum ipsi tribuunt, id per iniuriam facere.

Porrò nemini Christiano hîc ambigendum fuerit, quin eo pacto, quo D. Thomas de Aquino de merito Christi sensit ac docuit, eodem quoque, reliqui omnes Doctores, Scriptores, Professores, Franciſci, Dominicani, Carthusiani, cæterorumque ordinum Theologi, vbicunque demum locorum vixerunt, senserint, docuerint, prædicauerint, & libris etiamnum extantibus mandauerint.

Pet. Aliacus in Psal. 30. de merito Christi.

Petrus Aliacus, qui ante annos centum quadraginta floruit, explanans illud Regij Prophetæ: Domine in tua iustitia libera me; hanc sententiam subiungit.

Si ergo attendis ad iustitiam meam, damnas me; ideo in iustitia mea non liberas: Nam iustitia hominis est, qua suis viribus putat se iustificari, non credens gratis saluari. Absit à me Domine, absit à me hæc iustitia, obsecro, heu veriùs iniustitia, sæuissima contra te arma ferens. Sit in me potiùs illa humilis confessio: Gratia Dei sum id, quod sum. Quare gratia? Quia gratis data. Quare gratis data? Quia merita mea non præcesserunt, sed beneficia tua præuenerunt. Nec inuenit in me gratia tua merita beatorum, quæ coronet, sed demerita malorum, quæ damnet. In hac ergo iustitia tua, in hac gratia mihi gratis data, libera me: Quia

Gratia gratis data.

1. Cor. 15.

hæc sola liberat, dum iustificat impium à sua impietate, & iniustum à sua iniquitate conuertit. Hæc Petrus Aliacus. Quis igitur tam perfrictæ frontis, qui asserere audeat, ante annos plùs minùs centum quinquaginta, nihil de gratia meritoque Christi, nihil neque rectè Euangelioue consentaneum aliquid de iustificatione hominis à nostris eductum fuisse?

Gerson de cõsol. Theolo. li. 1. Prosa. 4. par. 3. Gersonis, q ante annos 140. vixit, doctrina de merito Christi.

Ioannes Gerson eodem prorsus tempore floruit, & similiter de Christi Domini merito sensit multisque in locis scripsit: Spes, inquit, ad certam beatitudinis expectationem sic se habet: Ponit sibi per fidem, quòd est aliqua talis beatitudo; iungit, quòd ad illam pura liberalitate & gratia Deus ab æterno quosdam prædestinat & eligit: Addit, quòd ad consecutionem huiusmodi finalis beatitudinis ordinauit media conuenientia, variis modis, sine numero: Inter quæ medium præcipuum est gratia, quæ ideo dicitur vita æterna, quia pignus est vel arrha.

Gratia præcipuũ medium cõsequẽdæ beatitudinis.

Gratia Dei quibus obtingat.

Hanc autem gratiam nulli dedit, neq; daturus est, nisi per medium Mediatoris Dei & hominum, quam gratiam pro omnibus meruit ad sufficientiam, sed non ad efficaciam, nisi incorporatis sibi per fidem habitualem, vt in paruulis, vel actualem & habitualem, quæ per dilectionem perseueranter operatur, quæ fides minùs explicata in Prophetis tempore legis scriptæ, quàm in Apostolis tempore gratiæ.

Ecce, hunc in modum olim Scholastici Doctores de gratia Christi & Mediatoris officio docuerunt &

Gerſon in ſer. de verb. Dom. Venite omnes, & par. 2. de merito Chriſti.

ſcripſerunt. Quin imò idem hic Gerſon aliis in locis ſuã hac de re ſententiam luculentiùs declarauit: Si obſtet, inquit, antiquus ille aduerſarius & calumniabitur, iniuſtum eſſe, vt alienis preciibus & non propriis operibus quiſquam ſaluetur; ad verbum iſtud, fateor, expaueſcerem, niſi magna mea merita recognoſcerem. Habeo autem duo merita magna & valida, & meritò pro his ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vſq; ad domum Dei.

Pſal. 41.

Et primum quidem eſt Domini mei paſſio: Secundum verò meum & ipſius operatio, etiamſi minimum quid operatus fuero; etiamſi vel vnum in fine vitæ gemitũ edidero: Quacunq; inquit, hora peccator ingemuerit, ſaluus erit. Primũ opus operatus eſt Dominus meus pro me & ſine me; & quia merito eius ipſe non eguit, mihi dedit. Secundum opus operatur mecum & in me, & eius meritum mihi totum dat, ac pro eo & præmium dabit. Atq; ita verum eſt, quod electi Dei dicunt: Omnia enim opera noſtra operatus es in nobis.

Ezech. 18.

Eſa. 16.

Primum meritum ianuam mihi regni cœleſtis refert. Secundũ in beatitudine ſedem collocat. De primo ſcriptum eſt: Occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnũ & Sacercdotes, et regnabunt ſuper terram, terram vtiq; viuentium. Itẽ, Chriſtus pro peccatis noſtris mortuꝰ eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo &c. Hactenus Gerſon.

Eſa. 26. Apoc. 15.

1. Pet. 2.

Durãdi, qui ante annos 247. vixit,

Durãdus de S. Portiano, haud minimus inter Scholaſticos, prout nec recentioribus accenſendus, quandoquidem

quidem centum & ſeptem annis ante Gerſonem & Aliacum docuit, poſteaquàm fuſè & copioſè de merito Chriſti diſſeruit, demum hanc præclaram & conſolationis plenam confeſſionem ſubiungit: Per paſſionem Chriſti liberamur à peccato, quoad culpam, & quoad pœnam, omnes quidem ſecundùm ſufficientiã, ſed non quoad efficientiam. Et quia ingreſſum regni cœlorum nihil prohibet niſi peccatũ, propter quod dicitur claudi hominibus ianua regni cœlorum; ideo ſicut per paſſionem Chriſti liberamur ab omni peccato, ſic per eandem dicitur nobis aperiri ianua regni cœlorum, quod figuratum fuit in lege veteri; quia ſine ſanguine non fiebat remiſſio peccatorum, nec erat ingreſſus in Sancta Sanctorum, vt dicit Apoſtolus.

doctrina de merito Chriſti.

Durand. li. 3. diſt. 19. q. 2. de merito Chriſti.

Paſsio Chriſti aperit ianuam regni cœlorum. Hebr. 9.

Ex huius Scholaſtici Doctoris verbis meritò quiuis mortalium conſolationem hauriret, ne in peccatis ſuis, quantumuis enormibus, diffideret; quandoquidem Chriſtus abunde pro iiſdem ſatisfecit, dummodò volet ipſe, hoc eſt, ſatisfactione huius ſe participem faciat.

Nunc porrò inſtitutum noſtrum proſequentes, audiamus, quid cæteri Scholæ Doctores latiùs in hãc ſententiam ſcripſerint.

Albertus Magnus perpetuũ Sueuiæ ac totius Germaniæ decus, qui ante annos 305. id eſt, poſt Chriſti natalẽ anno 1260. fuit Epiſcopus Ratiſponenſis, paſſim in libris ſuis tam præclarè ſcribit de merito Chriſti, vt vix ſatis quiſpiam effari poſsit; exponens inter cætera,

Alberti Magni, qui ante años 305. vixit, doctrina de merito Chriſti.

Alb. Magn⁹ super Magi. sentent. li. 3. distin. 18. & 19. vbique.

omnes homines, nemine excepto, per lapsum Adæ vsq; adeò corruptos ac perditos, vt nemo illorum aut sibi aut alteri opitulari potuerit, donec tandẽ Christus Iesus, Deus simul & homo, è cœlis descendens, passione et morte sua pro peccatis nostris satisfaceret, & ex potestate Diaboli et inferni faucibus redimeret, cœlestisq; regni ianuam patefaceret.

Ambrosij Spieræ, qui ante annos 79. floruit, confessio de merito Christi.

Atq; vt ex multis Postillarum, vt vocant, Sermonumq; scriptoribus vnũ duntaxat adducam; extat inter reliquos Ambrosius Spiera Tarvesinus, Carmelita, Theologꝰ, qui ante annos 79. vixit, hoc est, eo ipso tẽpore, quo de præsentibus religionis controversijs altum adhuc apud omnes fuit silẽtium. Hic sermones quadragesimales conscripsit, in quibus nõnullas ex reliquis caussis adducit, cur fieri non potuerit, vt humana natura seipsam ex seruitute & miseria, in quam ab Adamo demersa fuit, asserere nequiuerit:

Ambr. Spiera lib. serm. quadragesimal. de florib. sapient. ser. 3. fo. 16.

Interpres vlus est hîc suis verbis, quòd autoris huius copiã habere nequiuerit. 1. Tim. 1.

Si enim semetipsam iuuare potuisset, inquit, consequens esset, frustra mortuum esse Christum, quod esse non potest. Cur veniat medicus, si neminẽ inueniat, cui medeatur? Interroga Paulum Apostolum; hic dicet, cur in hunc mundum venerit Christus, nempe, vt peccatores saluos faceret.

In hanc sententiam vir integerrimus in eadem Concione quadragesimali loquitur de merito Christi, idq; adeò clarè ac luculenter, vt quisquam alius. Postremò parabolam ex Luca adducit de homine, qui ab Hierusalẽ descendebat in Hierichò, explicans eandem

ꝓ uc. 10.

hoc

hoc modo, vt homo ille designet vniuersum genus humanum, quod ab Hierusalem, quod translatum sonat, visio pacis, id est, ex Paradiso, in quo à Deo positũ erat, in Hiericho, quod Lunam significat, hoc est, in hunc mundum (eò quòd non secus ac Luna mutetur) per præcepti diuini transgressionem descenderit, atq; istic in latrones, id est, Diabolum, qui in scripturis latro appellatur, inciderit, qui ipsum vulnerârit, id est, in intellectu, volũtate & memoria, atq; adeò in corpore & anima miserè corruperit, & innocentiæ vestem ademerit, vnà cum aliis dotibus, quibus à Deo conditore suo exornatus erat. Ioan. 8.

Ac descendisse quidem eadem via Sacerdotem & Leuitam, id est, legem Mosaicã & sacrificium Aaronicum; verùm non potuisse perdito homini mederi, quòd infirma nimis essent, & præstando iuuamini non sufficerent. Tandem venisse Samaritanum, qui sit Christus Iesus, hunc spõtanea quadam commiseratione deplorati miserandiq; hominis misertũ, tametsi de ipso Christo id meritus non esset, vulnera ipsius alligasse, id est, peccata eius in carne sua tulisse, atq; ita eum curasse, vt alacer, sanus et integer diuino conspectui sisteretur, coram quo antè reprobus fuerat. Christus Samaritanus.

Eundem existimo vel cuilibet necessariò fatendum hunc antiquum ac penè contemptum Papisticumq; Doctorem (cuius libri, iis in locis, vbi velut gnostici nihil nõ scire se arbitrãtur, folliculis seminumq; tunicis, et id genus vsibus nescio quibus, destinãtur) officio

ſuo non defuiſſe, ac de creatione, lapſu & redemptione hominis Chriſtianè et orthodoxè ſenſiſſe ac ſcripſiſſe.

Iam porrò cæteri omnes Poſtillarum, vt vocant, ſermonumq; ſcriptores & Scholæ Doctores, quotquot abhinc omnis retro 400. vixerunt, quocunq; demum nomine appellentur, nihil quicquam ab illorum, quos iam citauimus, ſententia ac doctrina diſſenſerũt, quorum, quia penè infinitus eſt numerus, eoq; fieri nequit, vt omnium illorum ſententias adducamus, finem hic faciemus, & pro Colophone vnicũ duntaxat Gabrielẽ Biel, qui & Germanus fuit, nec vſq; adeò diu ante hãc religionis perturbationem, nimirum ante annos 116. vixit, audiem°, quidnã de Chriſti merito ille ſenſerit, & in Academia Tubingenſi, ſynpatriotas & conterraneos noſtros docuerit. Hæc autem ſunt eius verba:

Gabrielis Biel, qui anze 116. annos Tubingę Profeſſor extitit, doctrina & cõfeſsio de meritoChriſti.

Per peccatũ primi hominis Deus toti humano generi offenſus fuit, homo cecidit in reatum ſeu debitum mortis æternæ, & per hoc in poteſtatem Diaboli tanquam tortoris pœnam infligentis.

Gabriel Biel ſuper Magiſt. ſen. li. 3. diſt. 19. quæſt. vnica circa finem.

Hoc debitum in quantam obligat hominem ad pœnam luẽdam dicitur chirographum decreti: Quia ſicut chirographum teſtimonium eſt vel certitudo quædam debiti; ita obligatio, qua homo debitor eſt mortis æternæ ex diuino decreto (quia certa eſt) metaphoricè dicitur chirographum decreti.

Coloſſ. 2.

Nunc autẽ remiſſo debito, quod eſt ordinatio hominis ad pœnam propter peccatum contractum vel cõmiſſum, liberatus eſt homo à culpa, à pœna, à poteſtate

Diaboli

Diaboli et ab obligatione chirographi decreti; quia remisso debito, iã nõ est ordinatus ad pœnã, sed assumptus per gratiã ad Dei amicitiã, et per hoc nõ habet culpam nec obligatur ad pœnam, & per consequens nec sub potestate Diaboli, nec est sub obligatione chirographi.

Per passionem Christi fit remissio culpę & pœnæ peccati.

Fit autem hæc remissio per passionem Christi; quia ordinauit diuina sapientia hominem lapsum non ordinare ad vitam, et ita nec remittere culpam nec pœnam, nisi ab aliquo innocente obsequium ita gratum offerretur, quantum culpa displicens & ingrata.

Christus ergo secundùm hominem ex summa charitate voluntariè mori eligens, ad gloriam Dei, obsequiũ tale obtulit: Nam plus placuit Deo hæc voluntas hominis Christi ex tanta charitate elicita, quàm omniũ hominum displicuêre peccata nedum præsentia, præterita & futura; sed etiam possibilia. Ideo propter opus tam acceptabile Christi, quod pro reconciliatione hominis Trinitati obtulit, Trinitas omnibus Christo incorporatis, peccata & peccati reatum remisit, ac ordinatos priùs ad pœnam rursus ordinauit ad gloriam; & per hoc ab omnibus prædictis liberauit.

In Ducatu Vvirtembergensi meritum Christi ante 100. annos à Papisticis Doctoribꝰ fuit prædicatũ.

Ecce, hæc iam olim ante annos 116. Gabriel Biel Academiæ Tubingensis Ducatus Vuirtembergensis Professor, idq; non in adducto dũtaxat loco, verùm insuper in aliis pluribꝰ, de Christi Domini merito docuit et scripsit; nec dubium est, quin ipsius discipuli, quibus passim per eius loci regiones docendi concionandiq; munus id temporis commissum est, non aliter populum docuerint, quàm à præceptore suo acceperint.

Cuius igitur est vesaniæ, toto orbe declamare, Euãgeliũ multis abhinc annis sub scamnis occultatũ fuisse, beneficia Christi obscurata, Mediatorẽ Dei & hominum vniuersæ ditioni Christianæ iam vltra quadringentos annos ignotũ fuisse, nihil minùs quàm Christũ in Ecclesiis annuntiatum. O crassam & impudentem calumniã. Discant tandem erubescere aduersùs euidentissimam, clarissimam expressissimamq; veritatem, tam aperta & vel externis sensibus obuia mendacia malitiosè profundere.

Catholica doctrina de merito Christi.

Videantur omnes omnium Pontificum Canones: Expendantur omnium probatorum vniuersaliumque Cõciliorum decreta: Examinetur vniuersa Catholicæ Christi Ecclesiæ doctrina; quo pacto ea perpetuò et passim à maioribus nostris vno consensu seruata sit, atq; ad nos vsq; deriuata: Lustrentur exactè omnium probatorum Theologorum libri, quotquot annis abhinc retro quadringentis scripserũt, & comperiemus omnes in vniuersum, quotquot sunt, id in omnibus lucubrationibus suis præcipuè tractasse, quomodo tam grauiter lapsus sit homo, & per solum Christum Redemptorem nostrum erectus & restitutus.

Quid de illis, qui aliter de merito Christi senserint, statuendum sit.

Porrò si fortè nonnulli inuenirentur, qui ex errore aut præpostero zelo ab hoc scopo aberrauerint, & vel citra vel vltra modum senserint; eiusmodi tamen exorbitantes sententias nullius Pontificum approbauit, nullum Concilium ratas habuit, nunquam ab Ecclesia Catholica inter fidei dogmata receptæ sunt; sed huius aut istius errores & opiniones priuatæ fuerunt, quæ

corrigendæ

corrigendæ fuerint, non autem vniuerſa doctrina erroris inſimulanda: Vix enim fieri poteſt, vt tanto tempore, in tanta Catholicæ Eccleſiæ amplitudine, non etiam alicubi zizania cum tritico ſuccreſcant. Matth. 13.

Verùm enimuerò quantum ad ipſam doctrinam attinet, vti ea à Pontificibus, ab Oecumenicis Conciliis, à Catholica Eccleſia, à receptis Eccleſiæ Patrib⁹ et Scholæ Doctoribus (vt eos appellant) docta, prædicata & ſcriptis tradita eſt, & ab omnib⁹ bonis et piis Chriſtiique & Catholicæ religionis amantibus perpetuò & paſſim vnanimiter obſeruata; coràm hîc conſiſtens ego iterum atq; iterum diſertè et palàm pronuntio, vt quiuis comprehendere & intelligere queat, eam ipſam puram, ſynceram, incontamina tam, atque vt ſummatim dicam, nõ aliam fuiſſe, quàm nunc à nobis dictum eſt; nimirum quærere nos peccatorum remiſſionem, reconciliationem cum Deo, et regni cœleſtis hæreditatem in ſolo paſſionis & mortis Chriſti Ieſu merito. Præſertim verò, quando eô deuẽtum eſt, vt hinc migrandum ſit, multis in locis memorati Scholæ Doctores expreſsè docuerunt & ſcripſerunt, eiuſmodi hominem, in funebri grabato & extremo ſpiritu conſtitutum, ad ſolum hoc ſæpe nobis & reuerenter commemoratum Chriſti meritum confugere debere, atq; in illud ſpem & fiduciam omnem collocare; quod vel ex ſolo Gerſone, ſuprà etiã adducto, perſpicuum eſſe poteſt. Qui cùm à Dæmonibus ad deſperationem ſolicitaretur, reſpondit: Non opus eſt, vt mihi mea peccata commemoretis, inferen-

Summa doctrinæ Catholicæ de merito Chriſti.

Imminente morte, in ſolum Chriſti meritum fiducia collocanda.

Gerſon tomo de mendicit. ſpiritual. part. 2.

tes hinc me cœleſtibus præmiis eſſe penitùs indignum: Id enim ſcio, ſed ſcio, quòd pius ille meus Pater Ieſus Chriſtus meum debitum ſoluit, & mea omnia, quotiescunq; mihi diſplicuerint, deleuit peccata, mihiq́ue ſuo pretioſiſſimo ſanguine cœleſte regnum lucrifecit & emit, & hoc titulo & nullo alio poſſeſſionem huius regni præſtolor, cœleſtiumq́; bonorum retributionem peto ſub titulo & in ſpe glorioſi mei Redemptoris Ieſu Chriſti.

Anſel. Archiep. Cantuariēſis in interrogat. infirmis proponen.

Hæc quidem Gerſon de ſua duntaxat perſona pronuntiauit; verùm Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui ante Gerſonem vixit, interrogationes quaſdam conſcripſit, infirmis in extremis conſtitutis proponendas, vbi ſanè ſatis euidenter declarat, quem in ſcopum ducenda ſit ipſorum fiducia, nempe non in aliud quicquam, quàm in mortem, in paſſionem et meritum Chriſti Domini.

Agonizantes in quo debeant fiduciam ſuā collocare.

Inter has interrogationes agonizantibus proponendas, hæc eſt poſtrema: Credis te non poſſe ſaluari, niſi per mortē Chriſti? Reſpondet infirmus: Etiam. Tum illi dicitur: Agè ergo, dum ſuperest in te anima, in hac ſola morte fiduciam tuam conſtitue, in nulla alia re fiduciam habe, huic morti te totum committe, hac ſola te totum contege, totum immiſce te in hac morte, totum confige (his enim verbis vtitur Anſelmus) & mox ſubnectit: Et ſi Dominus Deus voluerit te iudicare, dic: Domine, mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti obiicio inter me & tuum iudicium, aliter tecum

non contendo. Et si tibi dixerit, quia peccatores; dic: Domine, mortẽ Domini nostri Iesu Christi pono inter te & peccata mea. Si dixerit tibi, quòd meruisti damnationem; dic: Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi obtendo inter te & mala merita mea, ipsiusque meritum offero pro merito, quod ego debuissem habere, nec habeo. Si dixerit tibi, quòd tibi est iratus; dic: Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi oppono inter me & iram tuam.

Ecce, hæc Anselmus ante annos 485. scripsit, iisdemq; docuit, qua fiducia Christianus felicitatem desiderans, nisi debeat, vbi ad animæ & corporis dissolutionem deuentum fuerit.

Iam si cuipiam adducta testimonia nondum satis faciant, & nihilo seciùs quàm antè declamitare pergat, aliquot retro seculis in Papatu nihil de merito Christi doctum fuisse; hunc equidem (si veritatem liberè fateri debeam) existimauero non solùm non legisse receptorum Theologorum, qui antehac scripserunt, libros, sed nec sæpenumero in Christi fidelium Ecclesias pedem intulisse. Aliòqui fieri non posset, quin multas isthic Iesu Christi Mediatoris imagines conspexisset, vnumquemlibet admonentes, omnem spem & fiduciam in hunc vnicum Mediatorem collocandam. Qua ipsa tamen de materia, si quis pleniorem explicationem desideret, is legat concionem meam de merito Christi, editam Coloniæ ad interstignium Monocerotis Anno 67.

Imagines Christi crucifixi passim in Ecclesiis Catholicis.

OBIE-

OBIECTIO NOVATORVM VI.

Cùm omnes dies æquales sint, & Apostolus Paulus
Galat. 4. *ad Galatas scribens, obseruationem dierum apertè reprehendat his verbis: Dies obseruatis & menses & tempora & annos. Papistica Ecclesia pro Iudaica potiùs Synagoga, quàm vera Christi Ecclesia habenda erit, vtpote quæ Iudaicas quasdam obseruationes amplexa videatur, dum annum vertentem ita distribuit, dies vt certi, planè Iudæorum more, constituantur, quibus iam de ista, iam de alia re festa magna celebritate peraguntur.*

RESPONSIO CATHOLICA.

Obiectum est etiam ante mille ducentos annos Catholicis, quòd nunc ab iis, qui pridem sopitas hæreses
Galat. 4. *suscitauerunt, obiici nobis audimus: Dies obseruatis*
Epiph. hæres. 75. Hieron. aduersùs Vigilantium. *& menses, & tempora, & annos: Sed iis iam pridem & ab Epiphanio Græco, & ab Hieronymo Latino responsum est, satis vt esse confutati videantur. Neque enim existimandum est, ignorasse matrem Ecclesiam, vel nunc etiam ignorare, quòd omnes dies æquales sint, quodq; non die Paraseues crucifigitur, neque die Dominico resurgit Christus, quodque nullus dies atq; adeò nulla sit hora, qua non rectè passionis illius & resurrectionis ac aliorum quorumcunq; beneficiorum fiat recordatio. Quamobrem receptus Ecclesiæ mos, quo singulis Christi beneficiis recolendis certos dies instituit, nihil habet cum Iudæorum superstitione commune: Nam illis non est fas quouis tempore iei-*

Dies omnes an æquales sint.

Inter Christianos & Iudaicos festos dies discrimen.

iunare,

nare, agnum immolare, Pentecosten agere, tabernacula figere; nobis verò quotidie ieiunare, quotidie agnum immaculatum & offerre Deo Patri, & oblatum manducare; quotidie licet simul omnia Christi beneficia repræsentare. Quoniam verò seculi curis nimiò plùs pleriq; omnes immersi sumus, neq; aut orationibus, aut gratiarum actionibus, Deiq; beneficiis recolendis, perinde vt oporteret, vacamus; quid faciet sitiens nostræ salutis mater Ecclesia? Permitteretne tantorum Christi beneficiorum interire memoriam? Quæ quamuis in Ecclesiis prædicantur è superiore loco; tamen verbi Dei semen à spinis non rarò suffocatur. Non potuerunt hoc ferre plena charitatis illius erga nos viscera, cùm præsertim salutem in eò nostram agi videret. Matth. 13.

Cùm itaq; cerneret, adduci nõ posse liberos suos, vt quotidie ieiunarent, quotidie orarent, quotidie Christi corporis & sanguinis communionem perciperent, ac in iugi beneficiorum eius meditatione versarentur, fecit illa, Deo & piorum omnium consensu approbante; fecit autem sancti Spiritus docta magisterio, certos vt dies instituerent, qui præ cæteris tantorum commemoratione beneficiorum essent insignes, quibus ad officium fideles reuocarentur, ac munere suo curis aliis vacui diligentiùs fungerentur; non aliud spectans hac dierum præscriptione, quàm vt & admonerentur eorum, quæ Deus, pro sua ineffabili bonitate, tam plena manu conferre dignatus est, & sepositum tamen tempus ali-

Causſa, ob quá Ecclesia Christiana totfestos dies instituit & celebrat.

pus aliquod haberent, quo diligentiùs eorum contem-
1. Cor. in. 9. plationi vacare liceret. Sic illa, à Paulo edocta, omni-
Hebr. 5. bus omnia facta est, vt omnes lucrifaceret, & qui non
possent adhuc solidum cibum capere, quòd is perfecto-
1. Corin. 1. rum est, eos minimè negligendos, verùm tanquam
paruulis lac eis potum dandum esse putauit.

Quò manifestius autem fiat omnibus, quòd Ecclesia
nullum nouit dierum discrimen, vel ex tremendo sa-
Missæ ratio. crificio, quam Missam vocamus, cuiuis id colligere li-
Ecclesia cebit, in qua natiuitatis, passionis, mortis, resurrectio-
Christiana quo modo nis, in cœlum ascensionis & Spiritus sancti missionis
non nouerit dierum beneficia, nullo non die, simul omnia celebrantur per
discrimen. totum terrarum orbem, quàm latè patet Christiana re-
ligio, nulla prorsus varietate: Etsi enim verba muta-
ri videmus, idq; in iis tantùm, quibus ad sacrificium hæc
mentes præparentur, cuius generis sunt Introitus, Col-
lecta, Epistola, Graduale, Euangelium, Offerenda,
Communio; significationes tamen manent eædē. Quæ
verò liturgiæ potissima pars est, & in quo vis tota
consistit, Canon idem perpetuò legitur; vbi ad eundē
semper modum præcipuorum Christi beneficiorum si-
mul omnium fit commemoratio, nihil vt ab Euange-
lio Missa differre videatur; quin ipsum potiùs Euan-
gelium & breuis quædam credendorum omnium nos-
tam explicatio, quàm quasi sub oculos subiectio, ac fi-
delium ad recolendū præcipuè passionis illud immen-
sum beneficium sit excitatio: Quod ita repræsentatum
Cypr. lib. 2. in hoc sacro, vt rectè à Cypriano dictum sit, passionem
Epist. 3. esse Domini, sacrificium quod offerimus.

Ex

Ex iis itaq; quæ peraguntur in hoc sacro, facilè cuiuis perspicuum esse potest, quòd quotidie Christi natalem, quotidie Parasceuen, quotidie Pascha, quotidie in cœlũ ascensionem, quotidie Pentecosten celebrat Ecclesia. Sed quoniam hæc non ita attenduntur ab omnibus, rudioribus præsertim, qui minores etiã vocantur, ad eorũ quoq; captum cõmunis nostra mater Ecclesia demittere se dignata est, certis diebus instituẽdis, quibus eorũ attentionem excitaret. Quare nihil est, quòd nobis Iudaismũ quisquã obiiciat, qui nõ aliud hac dierũ obseruatione, quàm Christi beneficiorũ conseruare memoriam, & ea rudibus etiam inculcare conamur, nemo vt sit, qui ignorantiam prætendere queat.

OBIECTIO NOVATORVM VII.

Lutherani vera habent Sacramenta, vera quatuor Euangelia, vnius veri Dei cultum, verum Christiani signaculum, vera altaris sacrificia. Ergo etiam apud eos est vera Ecclesia.

RESPONSIO CATHOLICA.

Nõ idcirco apud hæreticos & schismaticos, aut alios quoslibet sese ab Ecclesia Petri separantes, arbitrandũ est veram esse Ecclesiam, quòd vera habeant Sacramenta, vera quatuor Euangelia, vnius veri Dei cultum, verum Christiani signaculum, vera altaris sacrificia: Nam & in his, qui sunt extra Ecclesiam, possunt omnia illa esse vera; ipsa tamen nequaquam prodesse possunt vllis extra Ecclesiam permanentibus: Extra Ecclesiam nulli prodest etiã verum sacrificiũ.

Non oportet ibi esse Ecclesiam, vbi est vnius Dei veri cultus, vbi sunt Sacramẽta, vbi quatuor Euangelia.

Extra Ecclesiã Sacramẽta & alia etiam non prosunt.

Olim

Olim prohibuit Deus fieri ſacrificium extra tabernaculum, cui poſtea templum ſucceſsit in Hieruſalem, & in vtroq; Eccleſia Chriſti intelligitur figurata; vt ſciamus, extra ſocietatem Eccleſiæ non eſſe locum veri ſacrificij. Verùm nunc ſicut in omni loco & gente poteſt ſancta eſſe Eccleſia; ita & in omni loco poſſumus vera habere altaria, verumq; offerre ſacrificium in ſocietate Eccleſiæ permanentes. Cùm factus eſt Emanuel Dei filius, huius templum ſimul omnes, & ſinguli templa (*vt inquit Apoſtolus*) *ſumus ſancti Spiritus. Cùm habemus ad illum corda ſurſum, eius altaria ſunt corda noſtra, ei ſacrificamus hoſtiam humilitatis & laudis in ara cordis igne feruidæ charitatis; quamuis ſit rationabili lege ab Eccleſia conſtitutum vnicum illud magnum ſacrificium, Chriſtum per vniuerſum orbem quotidie in Eccleſia pro viuis & mortuis ſacramentaliter celebratum, non debere fieri, niſi in locis Deo dedicatis, & à miniſtris ad officium id celebrandum conſecratis: Quemadmodum olim in veteri lege Dathan & Abyron ſua autoritate arripientes thuribula, Deo vero obtulerunt ſacrificia, ſed non ob id recte ſacrificauerunt; ita & extra Petri cathedram & Apoſtolicam Eccleſiam, quamuis interdum à quibusdam verus colatur Deus, habeantur & nonnunquã vera Sacramenta, vera altaris ſacrificia; extra tamen hanc Eccleſiam, neq; ſalubriter, neq; vtiliter hæc habentur. Baptiſma* (*inquit Auguſtinus*) *apud hæreticos & ſchiſmaticos manet ratum, & ab ipſis miniſtratum, ſuum,*

1. Corin. 6.

Num. 16.

Augu. in Epiſt. 48. ad Vincẽtium & in lib. cõtra Donatiſt. & Parmenianũ.

suum operatur effectum in eo, qui aut ignoranter, aut ex necessitate quadam ab illis recepit. si illam retineat Ecclesiam, quam Cyprianus non deseruit, qui errore quodam deceptus, hæreticorum & schismaticorum Sacramenta esse irrita & inania non pertinaciter censuit. Vera igitur Catholica Ecclesia est, nõ extra quam non colitur verus Deus, non extra quam non habentur vera Dei Euangelia, vera Sacramenta, vera altaris sacrificia; sed extra quam neq. salubriter colitur vnus verus Deus, neq. salubriter & vtiliter habentur vera Euangelia & Sacramenta. Et ita quemadmodum non omnes fiunt salui, qui secundùm visibilem quandam Sacramentorum formã in Ecclesia colligati, præstant se cæteris secundùm conuersationem corporalem similes in ritibus & ceremoniis, veluti qui sunt palmites arescentes, putridi, non adhærentes viti & capiti suo Christo, non manentes socij pinguedinis oliuæ; ita extra hanc Ecclesiam nemo (quantumlibet laudabiliter se viuere existimet) saluus fieri potest.

Extra Ecclesiam nihil prodest.

OBIECTIO NOVATORVM VIII.

Doctrina Christi & Apostolorum in Canonicis libris sufficiens esse videtur ad salutem: Neque enim aliud Christus suæ iniunxit Ecclesiæ in Apostolorum collegio designatæ, quàm vt Euangelium prædicarent omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Hoc est, qui crediderit Christi Euangelio, & baptizatus in nouitate vitæ perseuerauerit, saluus erit. Si doctrina Euangelij sufficiat cuilibet ad salu-

Mar. 16.

tem; continet ergo omnia dogmata, ad salutem hominum necessaria. Non videntur igitur necessaria, vel Ecclesiæ, vel Conciliorum, vel sanctorum Patrum dogmata: Neq; videbitur hæreticum reiicere, quicquid ex illis pro fide & moribus adducitur, si non in Canonicis libris habeatur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Marc. vlt. Christus non iussit suis Apostolis, vt Euangelium scriberent omni creaturæ; neq; item dixit, vt in scripturis ederent omnia, quæcunq; mandauerat illis; sed voluit, quòd Euangelium prædicarent omni creaturæ, & docerent omnia, quæcunque mandauerat illis.

Christus non scribere sed prædicare iussit Euangeliũ. Et ita ex verbo Christi non oportet consequens esse, quòd doctrina in quatuor Euangeliis palàm, dilucidè & sufficienter expressa, doceat omnia, quæ Christus mandauerat; sed quòd Apostoli docuerint omnia, quæcunque Christus mandauerat illis. Priusquàm scriberetur Euangeliũ Ioannis, iam longè antea erant scripta cætera tria Euangelia, ex quibus non tam dilucidè ac euidenter quàm ex Euangelio Ioannis demonstratur, quòd Christus factus homo fuerit verus Deus, vnus cum Patre & Spiritu sancto.

Ioan. 1.

Deinde concedamus, quòd doctrina Christi & Apostolorum in libris Canonicis expressa sufficienter nos doceat, continens omnia dogmata ad salutem humani generis necessaria; non tamen inde consequens est, aut apocrypha, aut superflua esse sanctorum Patrum

trum scripta: Nam & Satanas humani generis inimicus, se transfigurans in Angelum lucis, huiusmodi dogmata sacrarum scripturarum in sententias ab intentione diuini Spiritus alienas deprauat: Ipse enim dum apertis incursionibus non potuit populo Christiano persuadere, scripturas sacras aut esse falsas, aut confictas, mox incepit vti insidiis, proponens sententias falsas & impias tanquam intellectas in scripturis Canonicis, ex eisdem testimonia aliorsum, quàm sint dicta, detorquens. Huiusmodi iaculo & aggressus est ipsum Christum dicens: Si filius Dei es, mitte te deorsum: Scriptum est enim: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te omnibus viis tuis. Serpens dum apertis (inquit Cyprianus) persequutionibus homines à Christo non potest auertere, nouam excogitat fraudem, constituens hæreticos & schismaticos sub prætextu Christiani nominis, qui cùm se iactitant seruare quatuor Euangelia, cæteraq; Canonicas scripturas, & credere Christo; non tamen verè credunt Christo, sed Diabolo, qui se Christum fingit. Habet Diabolus iacula multa, quibus interficiat innocentum corda; sed huiusmodi iaculum est omnium periculosissimum longè & pernicioſissimum. Hæretici igitur quia ex eisdem scripturis sententias præsumunt accipere, alienas à religione Christiana; idcirco Christus iam in cœlum ascensurus, non reliquit nos orphanos, mittens Spiritum veritatis, qui manens nobiscum vsque in consummationem seculi,

2. Cor. 11. Satanas scripturæ testimoniis abutitur ad decipiēdos homines.

Matth. 4. Luc. 4.

Cyprianus.

Ecclesiæ & Patrum decreta, cur non sint superflua.

Ioan. 14. 15

Matth. 28. *non sinit nos in Ecclesia permanentes errare in his, quæ ad salutem sunt necessaria, per saluberrima Ecclesiæ Concilia, per doctrinas sanctorum Patrum secundùm successionis seriem tradens earundem scripturarum verum sensum. Et ita inde consequens non est, sanctorum Patrum & Ecclesiæ dogmata esse aut superflua, aut apocrypha, aut extra autoritatem reiicienda Canonicam: Neque enim solas sententias in libris Canonicis euidenter expressas debemus recipere vt Canonicas; verùm etiam eas, quæ ex scripturis ipsis per necessariam consequentiam sunt demonstratæ; & eas item, quas vel Ecclesia, vel generale Concilium, vel tota Ecclesiasticorum Patrum Schola docuit in eisdem scripturis Canonicis intellectas; easque rursus, quæ & si non videantur aut explicitè aut implicitè in eisdem scripturis designatæ; tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, & in toto terrarum orbe semper custoditæ obseruantur, non nisi ab ipsis Apostolis traditæ & emanatæ creduntur. Et huius quoque tertij generis esse habenda, vt diuinas, semper ab initio tradiderunt Ecclesiastici Patres, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, & ipsa quoque docet scriptura Canonica, saltem tacitè, dum præcipit, vt Apostolos & Ecclesiam audiamus. Proinde quamuis* Matth. 18. *Apostoli nulla nobis scripta reliquissent; tamen oporteret nos Ecclesiam audire Apostolicam. Tali argumento vsi sunt iam olim contra hæreticos, Ire-*

Quænam extra euidentē scripturam recipi debeāt.

næus,

næus, Tertullianus, Hieronymus & Augustinus &c.

OBIECTIO NOVATORVM IX.

Apostolus Paulus docet, non aliud esse prædicandũ, quàm Euangelij doctrinã semel acceptam. Sed licet nos (inquit) aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit, sicut prædiximus vobis; & nunc iterum dico: Si quis euãgelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit. Galat. 1.

Itẽ in Deuteronomio ait Deus ad populũ per Moysen: Et nunc Israël audi p̃cepta et iudicia, quæ ego doceo te. Non addetis ad verbum, quod ego vobis loquor, nec auferetis ex eo. Et rursus: Quod ego præcipio tibi, hoc tantùm fac, nec addas quicquam, nec minuas. Deut. 12. Deut. 12.

Ex quibus consequens videtur, nullam veritatem Canonicam quærendam esse in decretis Ecclesiæ, & libris sanctorum Patrum extra scripturam sacram constitutis.

RESPONSIO CATHOLICA.

Verbum illud S. Apostoli omnino est alienum, ad id concludendum, quod in argumento infertur, quòd videlicet nihil aliud sit euangelizandũ, præterquàm quod in quatuor Euangeliis sit scriptum. Aliud significamus, dicentes: Euangelizate supra quàm quod accepistis. Aliud autem dicentes: Euangelizate supra quàm quod scriptũ est in Euangeliis. Cùm Apostolus Epistolam illam ex Epheso ad Galatas scriberet, nondũ erant scripta sancta quatuor Euangelia. Manifestum

An nihil liceat euãgelizare, præterquàm quod expressè scriptum est in quatuor Euangeliis.

est, nondum Ioannis scriptum fuisse Euangelium, & forsitan neque Marci, neque Lucæ Euangelia adhuc erant edita. Aliud est Euangelium, aliud scriptura Euangelij. Vides ergo, quàm alienum sit à mente Apostoli intelligere sententiam eius, ac si vellet dicere, anathema esse, quisquis euangelizauerit præterquàm quod scriptum est in quatuor Euangeliis, aut in libris Canonicis nondum editis, cùm hoc dicere Euangeliis.

Verus sensus verborum Pauli: Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euãgelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Galat. 1.

Primum editum est Euangelium Matthæi; sed nonnulla in illo sunt prætermissa, quæ suppleuit Lucas. Vnde sententia illa Pauli ex Epheso ad Galatas scripta stans integra suo erat in vigore, editis iam Euangeliis per Euangelistas Matthæum, Marcum, & Lucam. Nunquid ergo post illos Euangelista Ioannes scribens Euangelium, & multa adiiciens, quæ in suprà dictis tribus Euangeliis scripta non erant, iuxta sententiam S. Pauli tunc scriptam, anathema erat euangelizans, præterquàm quod euangelizatum erat in Euangeliis antea scriptis? Absit. Vnde sicut postremus in suo Euangelio multa expressit Ioannes, quæ illi prætermiserunt; ita post quatuor Euangelistas Paulus, Petrus, Iacobus & Ioannes in suis Epistolis nonnulla palàm & dilucidè expressérunt; quæ tamen in sacrosanctis quatuor Euangeliis non sic palàm euidenter declarantur. Demum secundùm doctrinam omnium Ecclesiasticorum Patrum, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Hieronymi, Ambrosij, Augustini,

guſtini, antiquus Eccleſiæ ſtatus ex Apoſtolica traditione ducens originem nonnulla docet, quæ in Canonicis libris expreſsè & palàm non inueniuntur. Videsergo, quòd longè à vero intellectu detorquent aduerſarij doctrinam Apoſtoli Pauli.

Sed iam videamus, quo nam pacto ad illud argumentum hæreticorum reſpondeat Auguſtinus; docẽs aliud eſſe hoc, quod dicimus euangelizare plus quàm accepiſtis; aliud euangelizare præterquàm quod accepiſtis. Euangelizare præterquàm quod accepiſtis, eſt tranſgredi fidei regulam, & recedere de via Euangelij ſemel per Apoſtolos prædicata. Non ait Apoſtolus: Plus quàm accepiſtis, ſed præterquàm quod accepiſtis: Nam ſi illud diceret, ſibi ipſi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes, vt ſuppleret, quæ aliorum fidei defuerant. Qui ſupplet, non, quod inerat, tollit, ſed vel, quod minus erat, addit, vel, quod implicitũ erat, explicat, vel, quod tectum erat, detegit & reuelat. Vnusquisq; ſermo diuinæ ſcripturæ ſimilis eſt, inquit Origenes, alicui ſeminũ, cuius natura hæc eſt, vt cùm iactum fuerit in terram, generat & vel in ſpicam, vel in aliam quampiam ſui generis ſpeciem multipliciter diffunditur, et tanto cumulatiùs, quanto peritus agricola, vel plus laboris impenderit, vel beneficium fœcundiori terræ indulſerit. Sic ſermo vnusquisq; diuinæ ſcripturæ breuis quidẽ videtur & exiguus, qui ſi Spiritũ Dei habeat, colonũ qui excolat, & ſpiritualiter retractet, in publicũ plures ſalutares parit ſententias, quæ intus erant.

Aug. tracta. 98. ſuper Ioannem.

Euangelizare præterquàm quod accepiſtis. Galat. 1. 1. Theſſa. 3.

Origenes.

Ad scripturas veteris testamenti in eodem secundo argumento citatas, videlicet ad verbum Dei in Deuteronomio dicentis. Audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te, non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Et: Quod ego præcipio tibi, hoc tantùm facite, nec addas quicquam nec minuas. Dicimus, huiusmodi scripturas esse omnino alienas ad concludendum id, quod infertur. Neminem credo tam stupidi esse ingenij, vt credat, ex verbis illis Iudæorum populo olim dictis, consequens esse, nos duntaxat oportere & facere, quæ Deus illic præcepit, & habere pro sacris Dei verbis, quæ illic locutus est. Aliqui deberemus nunc paruulos circumcidere, offerre vitulos, agnos & arietes, celebrare neomenias & sabbatha. Quid ergo hoc, quòd nihil addendum erat verbis Dei super iudiciis & ceremoniis olim dictis veteris legis populo, attinet ad concludendum, omnia quæ locutus est Deus per Christum aut per Apostolos, aut per semetipsum, scripta esse in quatuor Euangeliis? Vides, quàm absurda sit consequentia. Olim præceperat populo veteris legis, verbis Christi neque addere quicquam, neque auferre; ergo omnia, quæ iam locutus est Deus per Christum & Apostolos, scripta sunt in Euangeliis, & in Apostolorum scripturis. Certò scimus, quòd olim non licuit addere quicquam verbis Dei nec auferre ab eis, ita vt nec nunc licet: Nam qui verbum Dei addit, qui dicit, Deum aut dixisse, aut præcepisse, quod neque dixerat, neque præceperat.

Deut. 4. Verbo Dei quomodo nihil liceat addere. Deut. 12.

Ad verbum Dei addere, vel ab eo auferre quid sit.

A ve-

A verbo Dei aufert, qui aut sententias subtrahit, aut docet, Deum neque dixisse neque præcepisse, quæ aut dixerat, aut præceperat; quemadmodũ faciunt hæretici scripturam sacram falsis interpretationibus depravantes. Quis non impudentissimum & mendacem argueret eum, qui hoc pacto verbis Dei aut adiiceret aliquid, aut auferret ab eis? Neque Apostoli, neque Ecclesia, neque Pontifices, neque Ecclesiastici Patres hoc pacto aliquid adiecerunt aut verbis aut præceptis, quæ vel per semetipsum, vel per Apostolos loquutus est Dominus.

Sed quemadmodum apud veteris legis populum erant constituti Pontifices, Sacerdotes, iudices, legisperiti, quorum officium erat populum in his, quæ ad Deum sunt, gubernare, ius decernere, declarare, legẽ Dei explicare, certum reddere, si quid ambiguũ emersit. Erant & Duces & Principes, quorum officium erat populum in pace & tranquillitate dirigere secundùm Dei & naturæ leges, & ex potestate illis data, nonnulla etiam pro lucro & custodia pacis ac reipublicæ ad communem vtilitatem populo imponere, nec tamen hoc facientes addebant aliquid Dei verbis aut præceptis, cùm hæc naturali iure comitentur potestatem præsidendi, quod & ipse Dei spiritus in scripturis illorum non tacuit. Vnde & in lege, cùm pater secundùm ius suum paternum aliquid imperabat filio, tenebatur filius obtemperare, ad quod aliôqui non tenebatur; & tamen non inde consequens est, vel patrem sic

Ecclesia filiis suis præcipiens, aut leges præscribens non propterea addit aliquid verbo Dei.

Apud Synagogę prælatos erat facultas statuẽdi leges.

Exod. 12. Deut. 17.

iubendo aliquid addere, aut verbis Dei, aut præceptis illius, vel filium sic obtemperando agere contra verbum Dei, dicentis: *Quod ego præcipio tibi, hoc tantùm facito.* Ita & nunc apud Ecclesiam Christianam, Deo iubente, sunt constituti Pontifices, Prælati et potestates, per quos Deus suam gubernari vult Ecclesiam, qui tametsi secundùm potestatem eis datam, pro lucro & custodia fidei ac pacis, aut iubeant, aut statuã quicquam, & id quidem secundùm mutationem humanorum morum & temporis conditiones mutabiles & variabiles; non ob id dicuntur aliquid addere aut verbis Dei, aut præceptis, sed vtuntur officio & potestate data.

Deut. 12.

OBIECTIO NOVATORVM X.

Ecclesia est societas hominum, qui & falli & fallere possunt, dicente scriptura: Omnis homo mendax, Deus autem verax; ergo quicquid Ecclesia docet, potest haberi tanquam incertum, seu suspectum, si non verbo Dei seu scriptura sacra fuerit comprobatum.

Rom. 3. Psal. 115.

RESPONSIO CATHOLICA.

Homines quando nõ possunt fallere neque falli.

Homines ex se possunt & falli & fallere, sed per Spiritum sanctum loquentes, neque fallunt neque falluntur vnquam. Omnis homo ex se mendax; Deus autem, qui in homine & in Ecclesia loquitur, veracem mittens Ecclesiæ paracletum Spiritum veritatis, vt maneat cum eadem Ecclesia vsque in consummationem seculi. Vnde et simili argumento concluderetur, Apostolorum & Prophetarum Ecclesiam in docendo aut scribendo

Psal. 115. Ioan. 14. Matth. 28.

scribendo doctrinam fidei Christianæ, potuisse errare, vel eorum doctrinam tanquam incertam; posse propterea haberi à nobis suspectam, tanquam editam aut scriptam per homines, qui falli potuerunt.

CAPVT VI.

OBIECTIONES ADVERSARIORUM contra hanc Catholicorum doctrinam, quòd Ecclesia sit visibilis, & earundem solutiones.

OBIECTIO NOVATORVM I.

An Ecclesia sit visibilis.

PAPISTÆ faciunt Ecclesiam visibilem & sensibus corporeis perspectam; delendus erit igitur illis articulus Symboli Apostolici: Credo Ecclesiam sanctam Catholicam; & erit sic reponendus: Video & sentio Ecclesiam sanctam Catholicam. Probatio eorum est: Fides non est de cognitis per sensum: Quod enim videt quis, non credit.

RESPONSIO CATHOLICA.

Pulchra similitudo.

Hic error facilè confutatur: Quia enim secundùm esse proprium Ecclesia est invisibilis, inferunt, ipsam esse simpliciter invisibilem. Quæ illatio planè eodem modo procedit, ac si quis ita argumentaretur: Homo est secundùm animam invisibilis, ergo est simpliciter invisibilis. Quam consequentiam non valere, quilibet intelligit.

intelligit: Nam à parte ad totum negatiuè probatio non valet. Sed & Thomas vidit, & palpauit Christum post resurrectionẽ, nihilominus audiuit ab ipso: Quia vidisti me Thoma, credidisti. Illi equidem duo actus scilicet videre & credere ad diuersa referuntur obiecta; vidit nempe Christum hominem, quem verum Deum credidit, & confessus est dicens: Dominus meus & Deus meus; sic in proposito, esse Ecclesiæ sanctæ, est spirituale & gratuitum, quod non est visibile: Quo non obsistente, ipsa habens illud esse, visibilis est, quia in carne habitat visibili.

Ioan. 20. Quomodo quis videat & credat simul.

Si verò quia video Ecclesiam, ideo non possum eam credere sanctam & Catholicam: Si quia video illam, delendus mihi est articulus: Credo Ecclesiã; deleatur igitur hæreticis & omnibus, etiam iuxta hunc eorum sensum, ille alter: Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum: Vident enim illi, & videmus nos Baptismum, resque est exterior sensibus exposita: Deleatur Petro, Andreæ, Ioanni, cæterisque Apostolis, & cunctis, qui Christum in corpore videbant, alter articulus: Credo in Iesum Christum, filium Dei, vnicum Dominum nostrum: Viderant enim Christũ.

An, quia Ecclesia videtur, propterea non creditur.

Si quoque Romanorum Corinthiorumque non erant Ecclesiæ Dei; visibiles enim erant, ad quas Apostolus loquebatur, quibus scribebat; delenda igitur tibi sunt illa verba: Paulus Apostolus &c. Et: Qui mecum sunt fratres, Ecclesiis Galatiæ; & illud eiusdem loci: Eram autem ignotus facie Ecclesiis Iudææ, quæ

2. Cor. 1. Ephe. 1. &c. Galat. 1. Ecclesia & videtur & creditur.

eram

erant in Christo: Nam Ecclesiæ istæ visibiles erant, videbantque alios, quibus ideo Paulus ignotus erat facie, quia non adierat illa loca post suam conuersionẽ. Dele in quam hæc omnia, & dic, illos tunc non credidisse sanctam Ecclesiam Catholicam; & vide, an non apertè contra te dixeris, & contra tuas Ecclesias, quas vocas: Ego enim, quam video Ecclesiam, credo sanctam esse, & Catholicam; tu verò, non videri, fateris, Ecclesiam, atque ideo ei non credere conuinceris: Nec enim aliquam visibilem societatem hominum credis Ecclesiam; quare nec vllam humano more constantem. Ex quo sequitur, quòd aut non credas, aut ea fides euanida sit & nulla, in nullumq; vsum, cùm nullum iudicem, nullum Pastorem certum habeat, quam credis, Ecclesia. Quare ei denuntiari non valet frater peccans, nec in aliquo eius aut expectari aut agnosci iudicium.

Vana fides nouatorum de inuisibili Ecclesia.

Imò illud verbum Euangelij deleatur, quod Christus Thomæ inquit: Quia vidisti me Thoma, credidisti; si quia vidit, non potuit credere; negemusq; fidem Thomæ et reliquorum Apostolorum de Christo, quem viderunt. Quòd si in hoc loco hæreticus dixerit cum Beato Gregorio: Thomas aliud vidit aliud credidit, hominem vidit, Deum credidit, & ita cæteri Apostoli viderunt Christum hominem, crediderunt Messiam, crediderunt eum esse, quem scripsit Moyses in lege & Prophetæ, crediderunt Dei filium. Similiter videmus Baptisma; videmus exteriùs admoueri

Ioan. 20.

Thomas & vidit & credidit.

aquam

aquam corpori: Credimus, id fieri in remissionem peccatorum; idem nos dicimus de Ecclesia; videmus congregationem baptizatorum in fidei confessione, videmus Christianum populum, Christi ministros, videmus Ecclesiam; credimus verò illam, quam videmus, congregationem esse veram Ecclesiam Dei, Sanctam esse, Catholicam esse & Apostolicam. Hoc non aduertisse, summa est incogitantia; aduertisse verò & tacuisse, intolerabilis impostura.

Quomodo Ecclesiã simul videamus & credamus.

Non igitur propterea delebimus illum articulum Symboli: Credo sanctam Ecclesiam; & loco illius dicemus: Video et sentio; sicut perquàm acutè sibi argumentari videntur hæretici: Nam etsi videmus Ecclesiam, quam credimus; interea tamen multa complectitur hic articulus, quæ credimus & non videmus.

2. Tim. 2. Qui sint electi in hoc cœtu vocatorum, quem Græci vocant Ecclesiã, nec videmus, nec agnoscimus: Nam solus Dominus nouit, qui sunt eius; credimus nihilominus firmiter, quòd non alibi sint electi, quàm in isto cœtu vocatorum. Deinde credimus, hanc Ecclesiam

1. Tim. 3. regi Spiritu sancto, quam etiam ob causſam errare non posse; credimus, eam esse columnam & firmamentum veritatis; credimus, extra eam non magis quenquam saluum fieri posse, quàm qui fuerunt olim extra

Genes. 7. Arcam Noë; credimus, vera esse omnia, quæ in scripturis omnibus Canonicis ab illa receptis scripta continentur, iuxta sensum, quem ipsa nobis adfert. Hæc & alia pleraque credimus, quæ tamen neque videmus neque sentimus.

sentimus. Quare nihil est, quòd propterea Symbolum esse mutãdum censeat nouator, quòd aspectabilem esse dicimus Ecclesiã, quæ non sine caussa Catholica vocatur; cùm præsertim nihil impediat, quò minùs etiã ea, quæ videntur, rectè credi dicantur: Sicut dicit vnusquisque oculis suis se credidisse; quemadmodum latiùs idem etiam prosequitur Augustinus. Aug. tract. 79. in Ioannem.

OBIECTIO NOVATORVM II.

An Ecclesia sit localis & temporalis.

Ecclesia Catholica simpliciter nec localis est nec tẽporalis, sed abstrahit à loco & tempore. Mirum est ergo, quomodo Papistæ eam faciant visibilem.

RESPONSIO CATHOLICA.

Si Ecclesia non est localis, membra eius non habebunt corpora: siquidem omne Ens corporale requirit locum naturaliter; nec oportet fingere miraculum, si necessitas id non exigat. Idem dicendum de tempore, cùm nõ sit in æternitate, quamdiu militat in mortali corpore: Errores autẽ isti, vt paucis omnia cõplectamur, ex eo pullulãt, quòd assertores eorum, distinctiones refutãt: Aliud quippe est loqui de Ecclesia in Spiritu et secundùm spiritũ, quod est proprium ipsius esse, et in quo propria opera operatur; aliud secũdùm carnem, in qua habitat & militat. Si quæras, vbi ergo est Ecclesia, si localis est? Respondeo, cùm Ecclesia sit fideliũ collectio in vnitatẽ nõ loci, sed fidei & charitatis, et fideles esse possunt in omni terra habitabili: Sequitur, quòd Ecclesia Catholica pro tempore existens, erit in omni terra ab omnibus suis membris habitata, et hoc in generali.

Aliud est loqui de Ecclesia in Spiritu, et aliud secundũ carnem.

Vbi sit Ecclesia.

Cæterùm

Cæterum Ecclesia particularis est in loco determinato & particulari, vbi est fidelium particularis cœtus, qui dubio procul incurrit in oculos & visibilis est.

OBIECTIO NOVATORVM III.

An Ecclesia sit spiritualis tãtùm, & inuisibilis.

Ecclesia Dei in solo Spiritu consistit, quia non visibiliter cognoscitur, sed creditur tantum: Ergo Ecclesia est occulta & latens.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ecclesia Dei quamuis sit in Spiritu, quia Spiritu Christi regitur, est tamen palàm cognita; quippe dum ipsa eisdem Sacramentis, eodem verbo Dei, iisdem ministris & ceremoniis dignoscitur, manifestumque est hanc non in occultis angulis latitare, vel certis locis deligatam, sed per totum orbem terrarum diffusam ac dispersam esse: Nam si Ecclesia esset occulta & latitans, quomodo posset ei dici aut quomodo ipsa audire posset,

Matth. 18.

cùm Christus præcipiat, dicendum esse Ecclesiæ, si frater noster peccans nos nõ vult audire; & si Ecclesiam non velit audire, quòd sit habendus sicut Ethnicus.

Rationes efficaces, quibus probatur Ecclesiã esse visibilẽ.

Si etiam ad hoc à Deo ædificata est, vt homines ei timeat & vniat, vt ad eam congregentur et cõfluant, quibus curæ est, Deo gratos probatosque esse. Si Ecclesia est hominum, atque ideo humana societas, licet potiori virtute, fide scilicet & charitate, à Deo instituta constans: Si denique coire debent homines in hanc societatem, vt grata sint Deo eorum obsequia, quomodo id fieri potest, nisi se agnoscant? aut quomodo se

agnoscent

agnoscent, nisi sibi inuicem suos animos manifestent? Hoc verò qua ratione fieri valet, nisi visibilibus externisque signis? Non est Ecclesia hæc Angelorum, non spirituum duntaxat; sed hominum corporium sese adiungentium, inuicemque conuenientium in fidem, cultumque Dei, secundùm gradus functionesque diuersas, tanquam diuersa membra; vt alij suscipiant, alij tradant diuina, alij regant, regãtur alij; quæ omnia obsecro quomodo fieri possunt, nisi se mutuò videre et alloqui possint?

Ecclesia Dei ante Christum & post visibilis fuit & est.

Nunquid Ecclesia illa prior antiqui populi inuisibilis erat? Nunquid non perspecta, & cognita eis ipsis, qui ad eam pertinebant? Abrahæ familia, Iacob filij & nepotes, omnesque propagati ex eis in Ægypto, & in deserto peregrinantes, & in terra promissa constituti, Sacerdotes, ministri, templum, sacrificia; lexq; ipsa, quibus omnibus constabat illa Ecclesia, nónne cognita erant etiam sensibus? Accedamus ad Euangelium ipsum, & primordia Ecclesiæ: Discipuli illi, qui congregati erant foribus clausis, cùm ipsa die Resurrectionis ad eos venit Iesus, cum quibus quia non erat Thomas, non vidit ipsum; putas non erant vera Christi Ecclesia? Putas, non visibile & manifestum erat, eos esse Christi discipulos? Illi verò cẽtum viginti, qui post ascensionem Christi reuersi sunt, & ascenderunt in cœnaculum, eranteq; perseuerantes in oratione, quorum omnium primi Apostoli descripti sunt, in quos venit Spiritus sanctus, an non sese videbant, & cor-

Ioan. 20.

Primitiua Ecclesia visibilis erat.

Actor. 1.

pore etiam conueniebant secum? Nonne corda fatebantur sibi abscondita esse, cùm dicerent: Tu Deus, qui nosti corda omnium, ostende, quem elegeris ex his? Et tamen eos esse Ecclesiam illam, quam Christus reliquerat, sensibus ipsis manifestum erat. Quid de illis tribus millibus, qui die Pentecostes baptizati sunt, de quibus dictum est, quòd erant pariter, & habebant omnia communia, quorum numerum Deus quotidie augebat, dicemus? De omnibus deniq;, qui primò Hierosolymis sub Apostolis crediderunt? De quibus dicitur, quòd facta est persequutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Samariæ, & Iudeæ, propter Apostolos, quid sentiendum? Nonne omnes hi, qui Ecclesia dicuntur, erant visibiles, & visibiliter se vniebant, et ipsis ac cæteris omnibus constabat, quòd priori illi congregationi accesserat? Illa etiam, de qua dicitur: Ecclesia quidem per totam Iudæam & Samariam habebat pacem, & ædificabatur, ambulans in timore Domini, nonne visibilis erat? Et ne plura dicamus, Ecclesiæ omnes, quibus Apostolus scribit sic eas compellans: Ecclesiæ quæ est Corinthi; Ecclesiæ Thessalonicensiũ, de quibus ait: Volo in Ecclesia quinq; verba loqui; atq; ita constat, eas veras fuisse Christi Ecclesias, nonne fuisse visibiles, certum est, ad quas scribere & loqui Apostolus poterant, ipsæq; sibi inuicem communicare? Eccesias, & visibiles, imò vnam semper visibilem, Patriarchis & Apostolis agnitã, ipsos cognoscentem,

Actor. 2.

Apostolica Ecclesia visibilis.

Actorum 8.

Actorum 9.

1. Cor. 12.

cunct

cuius consuetudinẽ Paulus contentiosis obiicit; quando verò hæc, rogo, facta est inuisibilis? Quando sic mutata fuit, multò certè insensibiliùs et inuisibiliùs, quàm eam inuisibilem dicunt sectarij? Aut quomodo iam fideles conueniemus, quomodo constituemus Ecclesiam, quomodo illi nos adiungemus, quæ est omnino abscondita à sensibus? 1. Cor. 11.

Ecclesia quomodo diuina & humana.

Verùm non est abscondita, sed societas humana ratione viaq; humana cõgregata, in qua, etsi diuina multa sunt, gratia scilicet Dei, virtutes, et veræ felicitatis intentio, finis scilicet, et via, merita & præmia, ipsa tamen humana societas, more humano adunatur, visibili scilicet & sensibus ipsis perspecto: Sicut enim cùm Deus nobis loquitur in scriptura sua, loquitur quidem diuina, quæ excedũt omnem humani iudicij modum, sed loquitur idiomate & verbis humanis, eadem ratione significantibus, eademq; ratione exponendis, qua exponuntur nostra, ideoq; nonnunquam ambigua sunt ex collatione aliorum locorũ, atq; contextu explicanda: Ita in congreganda Ecclesia vtitur humanis sensibilibusq; signis, quibus conueniunt homines, sibiq; vt homines noti in cultu vero Dei veri versantur. Sed addit ipse multa verè diuina priuilegia & dona.

OBIECTIO NOVATORVM IIII.

An Ecclesia visibilis sit.

Ecclesiã non oportet digito demonstrari: quin nulla apparente forma consistere in occulto potest. Frustra autem eius iudicium expectes, quam, quæ sit, penitùs ignores. In populo Iudæorum certè sic sæpe Ecclesia

deformata est, vt nulla eius species extaret: Quã enim
3. Reg. 19. *putamus formam eminuisse, cùm Helias solùm se relictum deploraret? Quam, cum populus ille apud Babylonios, Persas Ægyptiosq; dispersus sine sacerdotio, sine templo, sine sceptro, gentibus ac diis alienis in terra aliena seruiret? A Christi ergo aduentu deformis etiã latere Ecclesia poterit, bellisq;, seditionibus & hæresibus ita opprimi, vt nulla parte refulgeat.*

RESPONSIO CATHOLICA.

Aug. de vnitate Ecclesiæ ca. 14. *Ecclesiam occultã esse posse, Donatistæ etiam olim posuêre: Quibus tamen Augustinus occurrit in hæc verba: Non est Ecclesia nobis operta; quia non est sub*
Matth. 5. *modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Et de illa dictum est: Non potest ciuitas abscondi super montẽ posita. Donatistis operta est etc. Tantum Augustinus.*

Heliæ tempore an Ecclesia fuerit occulta. *Primum autem illud falsum est, veterem populum aliquando nullam Ecclesiæ speciem habuisse. Nam*
3. Reg. 19. *cùm se solum relictum quereretur Helias, septem milia virorum scriptura commemorat genua sua nõ curuasse ante Baal; quibus sanè illud perspectum & exploratum erat, non fidem & vnitatem, sed regnum esse diuisum, extareq; proinde in Hierusalem templum Dei, summum Sacerdotem, veram de lege ac religione doctrinam. Eiusmodi Tobias erat, qui, cùm tribu-*
Tob. 1. *les reliqui irent ad vitulos aureos, quos fecerat Hieroboam, ipse pergebat ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël, decimas fideliter offe-*

rens,

rens, & cætera his similia secundùm legem Dei puerulus etiam obseruans;

Deinde non sequitur, si populus ille ita vacillauit, vt penè cecidisse videatur; si ita dispersus est, vt propemodum formam & speciem amiserit, Christi quoq; Ecclesiam vsq; adeò obscurari, vt nulla eius species effulgeat: Plebs enim illa vetus, vt quæ cassura esset, ruinam sæpe minabatur. Et quoniam futurũ erat, vt illi reipublicæ tanquam sempiterna nox esset offusa; nihil mirum, si sensim obscurata est & euanuit: Quid autem, si quandoq; etiam vix apparuit, cui tam parua lux tenuisq; noctis splendor affulsit? nempe lucerna lucens in caliginoso loco. 2. Pet. 1.

Alia ratio Ecclesiæ Christianę, quàm Synagogę Iudęorum.

OBIECTIO NOVATORVM V.

Suo iam seculo Hilarius latentẽ Ecclesiam potiùs credebat, quàm cernebat. Adeò Arriana factio omnia miscuerat: Malè, inquit, vos parietum amor cepit; malè Ecclesiam Dei in tectis ædificiisq; veneramini; malè sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est, in iis Antichristum esse sessurum? Montes mihi & syluæ & lacus & carceres & voragines sunt tutiores: In his enim Prophetæ aut manentes aut demersi prophetabant. Quibus ille verbis modestè ac verecundè significat, Ecclesiam Christi non in Episcopis, non in sacerdotibus, non in templis, non in populi frequentia, sed in piis esse quærendam; qui interdum Prophetarum more, vel in agro locisque desertis errant, vel in syluis abstrusi sunt, in speluncis & in cauernis terræ. Hebr. 11.

An Ecclesia sit visibilis. Hila. contr. Auxẽtium. Hilarij tempore Ecclesia in Eremo & solitudinibus. 2. Thess. 2.

Caput VI. Solutiones obiectionum

RESPONSIO CATHOLICA.

Hilarij autoritatẽ, qua nos hæretici noſtri temporis vrgendos exiſtimant, Vincentius Auguſtino quondam oppoſuit; ſed hic loca omnia, quæ ille ex Hilario collegerat, tanquàm meras calumnias contudit & obtriuit ferè in hæc verba: Eccleſia aliquãdo obſcuratur quidem multitudine ſcandalorum; ſed etiam tunc in ſuis firmiſſimis eminet. Aliquando tentationum fluctibus operitur atq; turbatur; & tale tunc erat tempus, de quo ſcripſit Hilarius, vnde putaſti inſidiandum contra teſtimonia tot diuina, & cætera? Potes hoc modo dicere nec Eccleſias Galatiæ tunc fuiſſe, quando dicebat Apoſtolus: O ſtulti Galatæ, quis vos faſcinauit? Sic enim calumniaris docto viro, qui tardicordes & timidos grauiter increpabat: Quis enim neſcit, illo tempore obſcuris verbis multos parui ſenſus fuiſſe deluſos, vt putarent hoc credi ab Arrianis, quod etiam ipſi credebant; alios autem timore ceſſiſſe & ſimulatè conſenſiſſe. Quanquam et illi, qui tunc firmiſſimi fuerunt, et verba hæreticorum inſidioſa intelligere potuerunt, pauci quidem erant in comparatione cæterorum; ſed tamen etiam ipſi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant. Hilarius ergo decẽ prouinciarũ Aſianarum, aut zizania, non triticum arguebat, aut ipſum etiam triticum, quod defectu quodã periclitabatur, quantò vehementius, tantò vtilius arguẽdum putabat: Habent enim etiam ſcripturæ canonicæ hunc arguendi morem, vt tanquam omnibus dicatur, & ad quoſdã verbum perueniat. Hactenus Auguſt. Ac

Hilarius in epiſt. ad Vincent. nu. 48.

Galat. 3. Hilarij tempore, an Arrianiſmꝰ totam Eccleſiam occuparit.

Ac Hieronymus: Ingemuit totus orbis, inquit, & Arrianum se esse miratus est. Periclitabatur nauicula Apostolorum, vrgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil iam supererat spei. Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia moritur, trãquillitas redit. Manifestiùs dicam, omnes Episcopi, qui de propriis sedibus fuerant exterminati, ad Ecclesias redeunt. Tunc triumphatorem suum Athanasium Ægyptus excepit; tunc Hilarium de prælio reuertentem Galliarum Ecclesia complexa est; tunc ad reditum Eusebij lugubres vestes Italia mutauit. Hæc Hieronymus multaq; alia, quæ breuitatis studio prætereo. Sed hæc satis sunt, vt omnes intelligant, nauem Ecclesiæ in alto hæresum, seditionum discordiarumq; procellis fluitãtem, fuisse iactatam quidem ac penè opertam fluctibus; sed nõ fuisse tamen in tanta etiã tempestate demersam: Quin in suis licet paucis fortissimis eminuit, qui quò magis in remigando laborârunt, eò aspectabiliores clarioresque fuerunt. Nec hoc loco opus est Ecclesiæ Romanæ fidem lucemque proferre, quæ nunquam omnino ipsa latuit, sed toti semper orbi manifesta fuit.

Hier. aduersum Luciferia.

Matth. 8.

Arrianismo non totam Ecclesiã occupauit.

Matth. 8. Ecclesia Romana nunquã fuit occulta.

OBIECTIO NOVATORVM XI.

Etiamsi antehac Ecclesia dilucidè clareq; resplenduisset; quî scimus tamẽ, an posthac veram semper genuinamq; formam sit habitura? Nimirum enim si præteritis seculis, ita Dominus populi sui facinora vindicauit, vt eum & absurdissimis mendaciis ludi, & altissimis tenebris offundi passus sit; cur nõ timeamus,

An Ecclesia sit visibilis.

An propter peccata nostra Deus patiatur Ecclesiam Christianam obscurari.

Ecclesiam Christi etiamnũ cæca nocte crassaq; caligine adeò occultari & circũfundi posse, vt nulla eius vera facies effulgeat? Quasi verò iã nulla sint Domini iudicia, vt eodẽ pœnæ genere mundum hodie puniat, quo populi veteris ingratitudinẽ aliquando vltus est: Nẽpe vt Pastores atq; oues stupore ac cæcitate percutiat, Ecclesiæq; suæ exteriorẽ notitiam ab hominum aspectu

Hiere. 7. *auferat. Nec est quod gloriemur in verbis illis: Templum Domini, templum Domini est: Translata enim Samaria est; & cùm Hierusalẽ externis laruis inhærens templũ, ceremonias, Sacerdotiũ, Sacramenta, scripturasq; iactaret; & ipsa quoq; trãslata est. Ita, quod de orientali Ecclesia accidit, idem occidentali accidere poterit, vt forma eius, vel in fumos abeat, vel certè omnino delitescat. Ecquis autẽ fidem fecit, aut peccata nostra quàm illorum esse leuiora, aut Deũ in nos, quẽadmodũ in illos, non esse animaduersurũ? Præsertim*

2. Thess. 2. *cùm non obscurè vaticinetur Apostolus, venturam in*

Ecclesiæ defectio. *Ecclesia defectionẽ; quæ vtiq; venire non potest, dum vera Ecclesiæ forma et facies extiterit. Qualis autem hæc illo erit tẽpore, de quo Dominus ait: Veruntamen, filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?*

Luc. 18. *Qualis, inquam, erit, cùm deficient hostia et sacrificiũ?*

Daniel 9. *Qualis demũ cùm, vt Ioannes scribit, putei fumus Solẽ et aërem obscurabit? Qua ex re nihil sanè aliud intelligitur, quàm Ecclesiã vsq; adeo nostra hac ætate obscurandã, vt nisi in tenebris inueniri nõ queat. Quid autem externã Ecclesiæ faciem fulgoremq; defendimus,*

Psalt 44. *cùm omnis gloria filiæ regis ab intus?* RE-

RESPONSIO CATHOLICA.

In hoc argumento hæretici & multum operæ ac verborum sumunt, & vano se labore frangunt. Poterant breuiùs ac faciliùs dicere, quoniam Synagoga extincta omnino & deleta est, Ecclesiam quoq; Christi funditus esse delendam. At discessio, quam prædixit Apostolus, venire non potest, dum vera Ecclesiæ facies extiterit. Id hæretici dicunt; non probant. Itaq; falsum est. Quin posteaquàm Germania non solùm à Romano Pontifice, sed à Romano eodemq; suo Imperatore maiore ex parte defecit; illa fortassis Pauli prædictio impleta est, instantq; proinde Antichristi infelicissima tempora. At, filius hominis veniens, fidem non inueniet in terra. Sed huic argumento respondet Hieronymus, illam hîc fidem nominari, de qua Dominus aiebat: Fides tua te saluam fecit. Et alibi de Centurione: Non inueni tantam fidem in Israël. Et rursum ad Apostolos: Quid timidi estis modicæ fidei? Nec non & in alio loco: Si habueritis fidem, sicut granum Sinapis, &c. Nec enim Centurio, aut illa muliercula in Trinitatis Sacramenta crediderant; sed simplicitas mentis & deuota Deo suo anima commendata est. Hæc est fides, quam rarò inuentam Dominus pronuntiauit. Hæc est fides, quæ etiam apud eos, qui bene credunt, difficilè perfecta inuenitur. Eodem quoq; modo Augustinus respondet, Dominum de perfecta fide loqui; quæ ita difficilis est in hominibus, vt in ipsis admirabilibus sanctis inueniatur aliquid, vbi trepidauerint.

2. Thessa. 2.

Luc. 18.

Hieronym. In dialogo aduersùm Luciferianos.

Filius hominis veniens quam fidē non sit inuenturus.

Luc. 9.

Matth. 8.

Matth. 17.

Augustinus De vnit. Eccles. cap. 13.

ucrint. Addit rursum, propter iniquorum abundantiam & paucitatem bonorum, quæ illa potissimùm ætate erit, Dominum ita loquutum: Propterea enim
Lucæ. 18. non dixit: Filius hominis veniens non inueniet fidem in terra; sed quasi dubitans: Putásne, ait, inueniet fidem? Non quòd ille cuncta sciens de aliqua re dubitaret, sed vt sua dubitatione figuraret nostram; quia propter multa scandala circa finem seculi pullulantia, hoc erat infirmitas humana dictura.

Illorum autem error eripiendus est, qui vanissimis argumentis adducti sunt, vt putarent fidem in solo vno manere posse: Cùm enim Ecclesiæ nomen collectiuum sit, si vnus tantùm crederet, non crederet
Matth. vlti. Ecclesia. Adde quòd Dominus per Matthæum dicit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad con-
Ioan. 14. 16 summationem seculi: Vobiscum ait. Et per Ioannem, cùm pollicetur Spiritum veritatis fidelibus sempiternum, pluribus illum pollicetur; non tantùm vni. Adde etiam, quòd corpus non est vnum membrum, sed
1. Cor. 12. multa, vt Apostolus ad Corinthios docet. Sed corpus
Ephes. 4. Christi, vt idem ad Ephesios ostendit, vsque in finem permanebit: Non ergo vnquam multi fideles in Ecclesia deerunt. Præterea triticum simul cum zizaniis
Matth. 13. in agro, bonique pisces cum malis in reti, vsque ad con-
Dan. 9. summationem seculi durabunt. Non ergo solùm in vno manebit fides.

Fides Christiana, an in vnosolo manere possit.

Hostia & sacrificium quando deficient.

Sed deficiet hostia & sacrificium. Equidem hæc

Danie-

Danielis vaticinationem non ad finem seculi, sed ad Synagogæ consummationẽ existimo referendã. Quod si quis ad tempus Antichristi referre velit, cum hoc ego non magnoperè contenderim; modò sic interpretetur, vt propter crudelissimi Tyranni sæuitiam, Sacerdotes à publico & solenni sacrificio desistant.

Quod verò ex Apocalypsi Ioannis obiicitur, quoniam valde obscurum est, nihil contra nos habet ad faciendam fidem virium. Tametsi hoc oraculum in Luthero fateor esse completum, cui data est clauis putei abyssi, vt errores penitùs demersos atq; defessos eruendo, tanta caligine orbem obduceret, vt vel lucem ipsam tenebris circumfudisse videretur. Sed affulget adhuc Ecclesiæ lumen his, qui oculos habent ad videndum: Nam Lutherani cæci sunt & duces cæcorum. Apocal. 9. Putei fumo quando Solem & aërẽ obscurabit.

Si autem omnis gloria filiæ Regis ab intus, nihilq; in ea externi splendoris est; quî fieri potest, vt illa cohæreant: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate? Item: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona; &: Non potest ciuitas abscondi super montem posita, neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant, cæteraq; similia, quæ sunt, ne longum faciam, prætereunda. Planũ est igitur in sponsa Christi, in qua nihil fictum, nihil fucatum, nihil simulatum est, sed omnia vera, syncera, solida, omnem etiã extremã gloriã ab interiore virtute et splendore procedere. An vllus sit externus splendor Ecclesiæ. Psalm. 44. Matth. 5. Ibidem.

OB-

OBIECTIO NOVATORVM VII.

An Ecclesia sit visibilis.

Ecclesia ex solo prædestinatorum numero constituitur; soli autem Deo notus est numerus electorum in superna felicitate locandus: Ecclesia igitur nobis abdita omnino & incognita est. Priorem illam propositionem, in qua difficultas tota inest, probat Augustinus ex eo, quòd Petrus arcam Ecclesiæ typum esse dixit, in qua octo animæ saluæ factæ sunt per aquam.

Aug. libr. 5. cont. Donat. cap. 17.

1. Petri. 3.

Non ergo nisi ij, qui seruantur, intra arcam esse existimandi sunt. Nam Christus non est alterius Ecclesiæ caput, nisi eius, cuius Saluator est, & quam sibi exhibet gloriosam, vt ad Ephesios docet Apostolus. Si ergo, qui nec salui & glorioſi futuri sunt, non sunt eius Ecclesiæ partes, cuius Christus caput est.

Ephes. 5.

Deinde, è filiis Dei Ecclesia conficitur, vtpote cùm non aliorum sit Ecclesia mater, ac eorum, quorum Deus Pater est. Hos autem verè filios Dei esse liquet, qui paternam hæreditatem percepturi sunt. Si filij, inquit, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Roman. 8.

Ouile item Christi non nisi ex Christi ouibus constituitur; at oues Christi illæ modò sunt, de quibus ipse ait: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.

Ioan. 10.

Ioannes deniq; Euangelista de quibusdam, qui ab Ecclesia exiisse videbantur, cùm re vera nunquam fuissent in Ecclesia: Ex nobis, ait, prodierunt; sed non erant ex nobis. Quid ita? Quia si fuissent, inquit, ex nobis,

1. Ioan. 2.

nobis, permansissent vtique nobiscum. Non igitur ex Ecclesia sunt, nisi qui in susceptæ gratia permanent. Atq; hunc locum, quoniam in promptu erat, Augustinus de prædestinatis intelligit, scilicet Hieronymum secutus in dialogo aduersùm Luciferanos.

De pœni. d. 4. cap. si ex bono. Aug. in lib. de corre. & gra. ca. 9. & de bono pseu. cap. 8.

RESPONSIO CATHOLICA.

In arca solos eos fuisse obiiciunt nouatores, qui salui facti sunt; arcam autem Ecclesiæ imaginem extitisse; & vera est obiectio. At ne quis in hunc errorem incideret, vt putaret omnes, qui per Baptismum in Ecclesiam transeunt, esse saluos, idcirco Petrus cautè & sapienter adiecit: Quod & vos nunc similis formæ saluos facit Baptisma; non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio etc. Alioqui etiam, vt Hieronymus aduersùm Luciferianos ait, vt in arca omnium animalium genera, ita & in Ecclesia vniuersarum gentium & morum homines sunt. Vt ibi pardus & hædi, lupus & agni; ita & hic iusti & peccatores, id est, vasa aurea & argentea cum ligneis & fictilibus commorantur. Arca igitur in eo potissimùm Ecclesiæ typus est, quòd extra eam nullus seruatus est; non in eo, quòd omnes intra illam facti sunt salui. Sed arcæ Sacramenta è Hieronymo in dialogo illo petantur. Nos pergamus ad reliqua.

Gen. 6.

An omnia membra Ecclesiæ saluanda sint.

2. Tim. 2.

Hieron. in dialog. aduers. Luciferianos.

Christus, aiunt, non est alterius Ecclesiæ caput, nisi eius cuius Saluator est. Hoc primum non est adeò expeditum: Est enim caput Angelorum Christus; nec constat tamen, an eorum sit propriè Seruator. Certè ego

Christus quomodo sit Ecclesiæ Saluator.

ego non puto; quamuis contrà sit à nonnullis disputatum. De qua re non est hîc locus disserendi. Deinde, ea connexio infirma est: Christus est Ecclesiæ Sa-
1. Timot. 5. uator, ergo omnes, qui sunt in Ecclesia seruat: Est enim Saluator omnium hominum, maximè fidelium, nec omnes tamen re ipsa saluos facit. Atq; vt Christus corpus suum, quod est Ecclesia, seruet; seruet, inquam, rei efficientia & exitu; adhuc non sequitur eum omnes, qui sunt in Ecclesia, seruare. Tum quoniam clarum & manifestum est, quædam de Ecclesia verè dici, quæ ei non omnium, sed quarundam partium ratione conueniunt; tum quoniam totius partiumq; vocabula latiùs fusa sunt, quàm voces corporis atque membrorum: Ita non fit, vt, si corpus Christi omniaque eius membra seruantur, partes Ecclesiæ
Ephes. 5. Christus quomodo exhibeat sibi Ecclesiã gloriosam. seruentur omnes. Nec verò Paulus ait, Christum exhibere sibi gloriosam Ecclesiã; solùm astruit, se ipsum tradidisse, vt eam exhiberet gloriosam. Quemadmodum autem ille mortuus est, vt omnes viueremus, sic viuunt omnes tamen; sic se tradidit pro Ecclesia, vt eam mundaret & glorificaret; nec tamen omnes, qui in Ecclesia sunt, mundantur & glorificantur. Tametsi verè Ecclesiam suam sibi exhibet gloriosam; sed non in omnibus partibus, nec in hoc fortasse tempore.

Ioan. 11. An omnes filij Dei hæreditatẽ regni cœlestis cõsequãtur. Porrò id quod sequitur facilimum est: Nam, quamquam filij Dei aliquando secundùm prædestinationem nominentur; at propria eademque frequens denominatio à præsenti iustitia fit. Videmus autem, ve-

ri-

rè filios exhæreditari, ac iustè aliquando quidem. Nõ itaq; colligitur. Filius est, igitur percipiet hæreditatem; nisi illud simul ponas, & ius, quod accepit, non amisit. Quoniam autem filius Dei non semper probus intelligitur, sed is quoque interdum, qui paterna bona prodegerit; etiam hoc distinguendum puto, Ecclesiam è Dei solùm filiis constare: Nam si filios voces, qui per Baptismum sunt Christo & Ecclesiæ geniti, id nos asserimus. Sed in his sunt improbi quidam & stulti filij, quos patris matrisq; cura parturire iterum gestit, donec formetur in eis Christus. Sin filios Dei iuxta frequentiorem scripturæ vsum eos tantùm appelles, qui probi & sapientes sunt; certè Ecclesia non ex his modò constituitur, sed ex illis etiam, qui paternæ & probitatis & sapientiæ effigiem eluerunt: Nam & in hos nomen filij quandoque diffunditur: Nonne, inquit, ipse est pater tuus? At generatio peruersa erat & infideles filij. Item: Filios enutriui & exaltaui; ipsi autem spreuerunt me. Item: Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras. Item: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quod de sanctis Ecclesiæ viris dictum esse, omnes Christi fideles agnoscunt. Vnde autem appellat spinas, nisi, vt Augustinus ait, propter malignitatem morum? Et easdem vnde filias, nisi propter communionem Sacramentorum? Bona ergo filia in medio malarum est, in eademque paterna domo.

Filij Dei qui dicantur.

Ecclesia ex quibus filiis Dei cõstet.

Deut. 32.

Esai. 1.

Hiere. 3.

Ibidem.

Cant. 2.

Aug. de vni. Eccles. c. 13.

Sed

Sed ouile Christi non nisi ex Christi ouibus constituitur. Quid tum? Quasi non alias pecudes habeat pastor. Habet sanè capras, habet & hædos. Pastori itaq; nõ modò ouile est, sed & caprile & hædile. Hædi porrò & agni in Dei cognitione intelligentiaque discreti sunt, in hominum scientia & cogitatione confusi.

In ouili Ecclesiæ, non solùm oues, sed etiã capræ, hædi, & aliæ pecudes.

Dum hic viuitur, diuersi licet greges, in vnatumen congregatione sunt, adeoq; permixti, vt segregari non possint, donec ille veniat, qui separabit eos ab

Matth. 25.

inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis; & statuet quidem oues à dextris, hædos autem à sinistris. Sed vt argumento huic Scholæ more pressiùs distinctiusq; respondeam, illud considerandum censeo, quod

Ioan. 10.

vt nomen ouis non in eo solùm loco, sed in sacris scriptoris literis pro bonis ac iustis accipitur; sic ouile Ecclesiam in bonis iustisq; designat. Quales sunt voces aliæ non nullæ, vt exempli causſa, amica, columba, immaculata, hortus conclusus, fons signatus, Paradisus cum pomorum fructibus, quæ nimirum voces Ecclesiæ, non

Cant. 4.

propter iustos, vel etiam propter electos tribuuntur. Quocirca non fit, vt si in ouili non sunt nisi oues, in Ecclesia non sint hædi, quos sponsa pascere iussa est, quos ad eos ab agnis Pastor ille summus segregauerit. Nomen etiam ouis malos nonnunquam in Ecclesia significat, nedum probos: Hinc enim illa sunt: Erraui sicut

Ouis bonos & malos significat.
Psal. 118.
Esai. 53.
Psal. 48.
Psal. 73.
Matth. 18.

ouis, quæ perierat; & omnes nos quasi oues erraui-
Et: Sicut oues in inferno positi sunt. Et: Iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ. Et in Euangelio

erra-

errantem legimus: Et oues, quæ perierunt, domus Israel. Atq; cùm Dominus Petro commisit oues, si nomen hoc pro solis bonis vsurpatum censeamus, verendum est vtiq; ne mali à Petri cura existiment se exemptos. Sanè verò quicunq; fidei Sacramentum habent, Petro intelliguntur esse commissi; nec ab eo modò requirendum, si gregem bonorum pauerit; sed illa etiã, an quod infirmum fuit, consolidârit, & quod ægrotum sanârit, & quod confractum alligârit, & quod abiectum reduxerit, & quod perierat, requisierit. In quem sensum ouile Christi non est angustiꝰ, quàm Ecclesia; sed perinde vt illa, cum sanis morbosas etiam oues continet. Dominus autem apud Ioannem in illum alterum sensum vocem ouis vsurpauit.

Luc. 15. Matth. 10. & 15.

Ezech. 34. Matth. 10.

Ioan. 10.

Iam, quod in hoc principali argumento demum obiicitur, id in promptu est refellere: Nam si ex discipulis Pseudophetæ exierunt, intus ergo prius domiq; erant: nec enim aliter exire potuissent. At non erant, inquit, ex nobis. Hoc duobus modis exponitur: Initio significat Ioannes fictos illos & simulatos Christi discipulos fuisse; qui quasi amici ad tempus & socij mensæ, in die necessitatis recesserint: Inter nos versabantur ait, eandem nobiscum mensam, cæteraq; omnino Sacramenta habebant communia; sed simulatio virtutis erat venditatio, ostentatio; ideoq;, quoniam nõ erant ex animo & verè nostri, non erant ex nobis: Nã si fuissent tales, quales nos sumus, ex animo Christiani, permansissent vtique nobiscum. Deinde de vi-

Ex nobis prodierunt sed non erãt ex nobis.

1. Ioan. 2. An deficientes ab Ecclesia fuerint in Ecclesia. Eccles. 7.

1. Ioan. 2. ris fortè Apostolicis loquitur, cùm ait: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: Nonnulli siquidem statim à principio nascentis Ecclesiæ, nomine se Apostolorum 2. Cor. 11. venditarunt, cùm non essent Apostoli Christi veri, sed Pseudoapostoli. Quòd igitur dicit, tale est: Ex nobis exierunt, hoc est, à nostra schola & societate; sed non erant ex nobis, id est, non verè erant Apostoli: Si enim ij fuissent, nobiscum profectò permansissent: Veri enim Apostoli, quos ad Euangelij munus delegit Christus, non tum hoc, tum illud, sed idem dicebant semper, eratq; illis constans ac perpetua ratio & veritatis & vitæ. Hoc enim ad autoritatem Euangelij pertinebat, vt eius primi administri, quibus 2. Corin. 2. 3. 11. scilicet illud est creditum, odorem saporemq; Christi semper & in omni loco seruarent. Contrà verò operarij subdoli, quamuis aliquando se transfigurassent 2. Cor. 11. in Apostolos Christi; sed insipientia tandem eorũ ma- 2. Tim. 3. nifesta erat omnibus, et finis secundùm opera ipsorum. Quanquam si de prædestinatis, vt Hieronymo et Augustino visum est, Ioãnes loqueretur; nihil adhuc hæretici conficerẽt: Nam quæ rerũ consequentia est: Nõ sunt ex nobis, id est, non sunt ex electis; non igitur sunt in domo Dei, quæ est Ecclesia? Quasi verò in domo D i non sint cum vasis electis in honorem, vasa etiam non electa, nempe in contumeliam.

OBIECTIO NOVATORVM VIII.

Veram Christi Ecclesiam perfectam esse & immaculatam oportet: Tota enim pulchra est et macula non est in

est in ea. Et rursum: Vna, ait, est columba mea, perfecta mea. Et Apostolus quoque ipse sine macula eam ac ruga describit. Et Esaias, non adijciet, inquit, vt per transeat per te incircumcisus & immundus. Cant. 4. Cant. 6. Ephes. 5. Esai. 52.

Ecclesiam verò immaculatam censere, cuius membra nonnihil impuritatis habeant omnia, quàm inane ac fabulosum est? Nulla igitur eiusmodi nunc temporis extat Ecclesia. Illo solùm tempore extitisse videtur, cùm verè à Ioanne scriptum est: Omnis, qui peccat, non cognouit eum. Et omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli. Quòd si vniuersos, qui Ecclesiasticæ societatis participes sunt, necesse est sine peccato & macula existere; aut nulli profectò sunt, aut occulti nobis & incogniti sunt. Quod Apostolus videtur affirmare, cùm Ecclesiam Christi à Synagoga discernens, non eam sensilem & tractatam, sed spirituale intractatamq; describit, nempe ex solis perfectis prædestinatisq; constantem: Non accessistis, ait, ad tractabilem montem, & accensibilem ignem; sed ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cœlestem & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis, & spiritus iustorum perfectorum. 1. Ioan. 3. Hebr. 12.

Ecclesia Christi quo modo perfecta, immaculata, tota pulchra & in ea macula non sit.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quod ad testimonia ex Canticis adducta attinet, admonere operæ pretium est, per figuratam dictionem multa, quæ parti conueniunt, in totum solere transferri.

ferri. Id nobis in vsu est, cum persæpe aliàs, tum magis, cùm de ciuitate, populo, regno omniq; omnino cœtu loquimur, de quibus ea in vniuersum dicimus, in qua non omnes reipub. partes, sed interdum paucæ etiam concurrunt: Populum enim robustum, gentem bellicosam appellamus, non quòd omnes in ea republica aut robusti, aut bellicosi sint, sed quòd viri ex ea ad rem bellicam selecti eiusmodi soleant esse: Nec enim aliter de humana republica, ac de humano corpore loquitur. Dicitur autem homo agere vel pati, quæ manus pesque vel agit vel etiam patitur. Dicitur mundus immundusque, si facies aut munda aut immunda sit; eodemque omnino modo similiter in reliquis. Inde adeo venit, vt vocabula, quæ quibusdam Ecclesiæ partibus conuenire videmus, Ecclesiæ ipsi attribuantur. Ad hanc enim legem Ecclesia dicitur amica, pulchra, immaculata, sancta, videlicet ratione bonorum; hortus conclusus, fons signatus, ratione electorum. Quæ cùm prima atque optima pars sint Ecclesiæ Christianæ imò verò regni cœlorum cùm sint Principes, quamuis in terrena republica despicatissimi ac contemptissimi verè ac iure ea, quæ in eos conueniunt, in totam Ecclesiam transferuntur. Quoniam, vt ex Aristotele etiam constat, id ciuitas aut esse, aut facere dicitur, quod in ea primarij & optimates aut esse dicuntur, aut facere. Neque hoc loco, vbi à Lutheranis vel maxime petimur, Lutheri testimonium negligendum est, qui intelligant hi, rem esse tam apertam atque dilucidam

Ecclesiæ ipsi tribuuntur, quæ tamen partibus Ecclesiæ tantum conueniunt.

vt eam ne Lutherus ipse quidem negare potuerit. Is igitur, cùm in concione quadam ad populum explicaret, quemadmodum Ecclesia sancta diceretur per Synechdochen, docet Matthæum scripsisse, latrones blasphemasse, cùm vnum eorum id fecisse Lucas scribat. Sic vnus & idem populus, vt ait, arguitur in Prophetis, cùm multi sint inter eos boni; rursus laudatur, cùm multi inter eos sint mali. Et pulcherrimæ charitatis ea est figura, quæ communia faciat omnia bona; communia item omnia mala: Vt alter alterius onera portet, & sic impleat legem Christi. Sic ciuitas vel regio vel domus fecisse aut passa esse dicitur, quòd aliquot in ea fecerunt aut passi sunt. Hactenus Lutherus. Hîc ego hæreticos vniuersos appello, vt iam vel ipsi sint iudices, num pudenter nobis opponant, Ecclesiam esse hortum conclusum, fontem signatum, puteum aquæ viuæ, Paradisum cum pomorum fructibus sanctam, pulchram, perfectam, sine macula & ruga, gloriosam; vt in ea nullum præscitum, nullum infirmum, nullum improbum esse conficiant, ac insuper inde colligant, nullam eiusmodi nunc temporis extare Ecclesiam.

Lutheri testimonium quomodo Ecclesia sancta dicatur. Galat. 6. Cant. 4.

Illud autem, quod ex Apostolo obiectum est, D. Augustinus ita interpretatur, vt Ecclesiam describat Apostolus, non quæ iam sit, sed quæ præparatur, vt sit, quando apparebit etiam gloriosa. Et in libro de perfectione iustitiæ: Cùm enim, ait, non tantùm Apostolus dixerit, vt exhiberet sibi Ecclesiam non habe-

Aug. libr. 2. ca. 18. retractationum.

Ecclesia quando gloriosa fit futura.

Ephes. 5. *habentem maculam aut rugam, sed addiderit gloriosam; satis significauit, quãdo erit sine macula, aut aliquid huiusmodi, tunc vtiq;, quando gloriosa: Non enim modò in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permistione hominum pessimorum, in tantis opprobriis impiorum, dicendum est, eam esse gloriosam: Nam si Dominus ipse non fuit glorificatus, nisi resurrectionis gloria, quomodo dicenda est, ante resurrectionem suam, Ecclesia eius esse gloriosa? Mundat ergo eam lauacro aquæ, abluens peccata præterita, deinde perficiens eius sanitates, facit eam occurrere in illam gloriosam sine macula & ruga. Hactenus Augustinus. Cuius sententiæ fuit non solùm D. Thomas, sed etiam Hieronymus ac Bernardus. In quem omnino sensum Esaiæ testimonium idem Augustinus interpretatus est, in libro contra Donatistas post collatione capite 8. Quanquam altera est eius loci commodior intelligentia, vt incircumcisus & barbarus populus non sit Ecclesiam Dei oppressurus, quemadmodum opprimit, qui pede calcat. Item alibi docet, distinguenda esse tempora Ecclesiæ, & pro diuersitate varia scripturæ loca, quæ partim Ecclesiæ puritatem, partim malorum permixtionem annuntiant, esse concilianda. Memini me tamen sic Pauli verba aliquando exponere, vt ad efficientiam Baptismi etiam præsentem illa omnia referantur: Quòd enim ait, vt eã sibi exhiberet sine maculã, hoc planum & expeditum est; cùm sine controuersia omnes omnino maculas Baptisma deleat. Quis ver-*

Ioan. 7. Ecclesia quomodo sine macula & ruga.

Thom. 3. p. q. 8. ar. 3. ad 1. Hieron. In Hiere. ca. 31. Bern. in festũ omnium sancto. hom. 3.

Esai. 52.

Ephes. 5.

verò subiungit, sine ruga, id certũ est ad Baptismi nouitatem attinere, qui veterem hominẽ sustulit et absumpsit: Renouatur quippe, vt aquilæ, iuuentº nostra per lauacrũ regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè, &c. At, quomodo Ecclesia per Baptismũ gloriosa? Nempe tunc gloriosa sponsa sponso suo exhibetur, cùm illi virgo genere ac virtute clara, pulchra, munda, veste pretiosa, auro gemmisq; ornata exhibetur: non autem Regina illa, quæ astitit à dextris Regis in vestitu deaurato circũdata varietate, nõ Hester regio fulgens habitu & circundata gloria sua, nõ in omni gloria sua Salomon ita glorioſi descripti sunt, quin glorioſior Ecclesia sua Christo sit recens Baptismi initiata Sacramento: Nec enim minùs in Ecclesiam, quàm in Synagogam illa quadrant: Laui te aqua & emundaui sanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo. Et vestiui te discoloribus, & calciaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & indui te subtilibus. Et ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuũ: Et dedi in aurem super os tuum, & circulos auribus tuis & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro & argento, &c. Quæ singulatim in Baptismi efficientia explanare, erat facile id quidem, sed huius temporis non est. Non ergo cogimur ad futurum tempus ea effecta referre, quæ in pſenti Baptismº Ecclesiæ præstat: Omnia siquidem illa in duo hæc Apostolus cõtulit, vt Ecclesia sit sancta & immaculata: Vt exhi-

Psalm. 102. Tit. 3. Psalm. 44. Ecclesia quãdo glorioſa. Hest. 15. Matth. 6. Ezech. 16.

beret, inquit, sibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata. Qualem certè nunc etiam credimus eſſe; non in omni ſua parte quidem: nam id, quemadmodum antè diximus, non eſt neceſſe; ſed in multis membris, quorum ſanctitas & puritas facit, vt Eccleſia ipſa ſancta verè, immaculataq; dicatur.

Ad Eccleſiã in præſenti hocomnino referre videntur Fabianꝰ Papa epiſto. 3. ad Hilarium, Gelaſius in decreto de Apocryphis Cõc. Tolet. 6. c. 1. Sixtꝰ 3. epi. vnic. c. 5. Hiero. in epiſt. ad Epheſ. c. 5. de perfe. inſtit cõt. Celeſtin.

In quibus Eccleſia immaculata ſit.

Sanè in paruulis adultisq;, nunc primùm per Baptiſmum lotis, nulla prorſus quæſtio eſt, quin Eccleſia ſancta & immaculata ſit. Sed eſſe ſine macula, vt Auguſtinus docuit, non abundè etiam ille dicitur, qui & criminibus caret damnabilibus, & ipſa peccata venialia non negligit mundare eleemoſynis: Hi enim immaculatos ſcriptura voeat: Ero, ait, immaculatus cum eo. Quomodo? Obſeruabo me ab iniquitate mea. Item: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: Non enim, qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt. In his ergo, qui adhuc quitate & crimine mundi ſunt, ſunt autem plurima Eccleſia immaculata eſt, quamuis impuritatis nihil, hoc eſt, culpæ venialis ex leui inconſtantiq; natura contrahant omnes.

Pſal. 17. Pſal. 118.

Secundùm hanc interpretationẽ, quæ mihi, et vobis & ſententiæ Pauli magis cõſentanea videtur, tet, Eccleſiam etiam num extare, in quibuſdam membris quidem prorſus immaculatam, hoc eſt, omni omnino macula; in quibuſdam verò ita pura vt quiddam maculæ, leuis illius tamen, poſſit habe-

Sic

Sic in quibusdam columba est, in quibusdam perfecta: Perfectos autem pingui, vt aiunt, Minerua appellamus eos, quibus vita mortalis contenta est, qui assequuntur, quantum homines possunt, optimam in terra viuendi rationem & viam, tametsi in rebus minimis quandoque deficiunt.

Ecclesia in quibus columba & perfecta sit.

At omnis, qui peccat, non cognouit Deum; & omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: Hunc locum D. Bernardus in concione quadam, cuius initium: Magna mihi consolatio, accipit de filiis Dei secundùm prædestinationem, quos interpretatur, non peccare, id est, non permanere in peccato. Diuus autem Augustinus in quibusdam locis exponit, filios Dei non peccare ex hoc, quòd filij Dei sunt; eos vero qui peccant, non cognoscere Deum, qua ratione peccant: Peccatis enim non à fide & scientia, sed ab ignoratione proficiscitur. Fides contrà & charitas, quibus filij Dei sumus, non agunt perperam, sed refutant omne peccatum. Quam sententiam D. Thomas cum familia sua sequitur. Eandem secuti sunt cum Augustino alij Episcopi Aphricani, vt patet in epistola quinq; Episcoporum ad Innocentium.

1. Ioan. 3. Qui filij Dei nō peccent. Bernard. in concione de septuagesima. Aug. homel. 4. in Epistolam Ioānis. Item in 2. li. de baptism. paruulor. c. 8. Item li. 2. contra Parmenian. c. 7. Item in lib. de perfect. iustit. Tho. 2. 2. q. 24. art. 12. ad 2.

Quemadmodum enim Paulus dicere potuit: Si autem, quod volo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum; ita homo iustus, si ex lege aliàs naturæ repugnantis leuiter aliquando deficiat, illud quoq; verè dicet. Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Quam interpretatio-

Rom. 7.

nem, quoniam ei & huius epistolæ quædam loca, & viri clarissimi consentiunt, non audeo equidem improbare. Sed vt dicam ex animo, quod sentio, mihi magis Hieronymi sententia placet, qui nõ putat Ioannem in genere de peccato loqui, sed tantùm de mortali. Id quod in toto quasi contextu epistolæ facilè cernitur.

Hier. lib. 2. aduer. Iouinian. de pœnit. dist. 2.

Rom. 7.

Hoc enim Apostolus ibidem agit, vt ostendat, nullam esse communicationem lucis ad tenebras, Christi ad Belial, nec misceri posse iustitiam & iniquitatem, crimina & charitatem, Christum & Antichristum, non plus certè, quàm noctem et diem: Nam fuêre quidam hæretici, quales nunc sunt ex Lutheranis plurimi, quibus satis fuit, si semel Baptismo susceptο fidem haberẽt etiam sine operibus. Quem errorem à primo statim capite, Ioannes cœpit depellere, in hæc verba: Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt vllæ. Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur. Item alibi: In hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit, se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Et rursus: Qui dicit, se in ipso manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est. Item: Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Et in alio loco: Omnis, qui facit peccatum, et iniquitatem facit. Scilicet, ne quis putaret, de quolibet peccato etiam leui, futurum esse sermonem: Iniquitas enim graue peccatum est. Tunc ergo subiũgit: Omnis, qui

Verus sensus verborũ Ioannis: Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit.

Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 2.

1. Ioan. 3.

qui in eo manet, non peccat; & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum: Nam est cognitio quædam scientiaque de Deo, iis familiaris & propria, qui spiritum intellectus, scientiæ, sapientiæ consiliiq; habent; quo nimirum spiritu omnes improbi carent. Itaque nec vident, nec cognoscunt Deum: Quamlibet visiones & reuelationes Dei habere se prædicent. Item: Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est. Qui facit peccatum, nempe mortale, ex Diabolo est. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, videlicet quamdiu filius Dei est; quoniã semen ipsius, hoc est, charitas in eo manet; & vt arbor bona, nisi vitietur, non potest malos facere fructus; sic filius Dei crimen & flagitium committere non potest, nisi filius Dei esse desierit. In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli. Qui iustus est, filius Dei est; qui non est iustus, nec diligit fratrem suũ, filius est Diaboli. Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, hoc est, non violat charitatem, sed seruat mandata, quoniam generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum. Nimirum quamdiu semen ille conseruat, generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum. At si volens semen illud abiecerit, ex quo semine natus est, tunc profecto filium Diaboli effectum, iam malignus non solum tanget, sed vtetur eo etiam pro suo. Quem Hieronymi sensum Augustinus etiam amplectitur.

1. Ioan. 4. Matth. 7. 1. Ioan. 3.

Atq; vtinam hæc Apostoli doctrina nostri seculi hominibus non esset necessaria, sed videmus esse multos,

Augustin. in 1. Ioan. Epist. homel. 5.

multos, qui cura fratrum suorum & charitate neglecta, aliisque Euangelij & naturæ præceptis omissis, preculis, meditationculis: non enim contemplationes dicam: die noctuque vacantes, mentiuntur se & nosse, & diligere Deum. Ac in hoc scimus, quòd cognoscimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui enim non diligit, non nouit Deum. Hæc est autem charitas Dei, vt mandata eius custodiamus. Sanè qui tum secundam, tum maximè tertiam epistolam eiusdem Apostoli legerit, intelliget euidentiùs, totum Apostoli sermonem, eos coarguere, qui bonos, iustos, amicos, & filios Dei se esse sine proximi charitate mentiebantur. Illi verò grauius, quò maiori simulationis artificio fingebant, se cognitioni Dei, & contemplationi vacare. Verùm de hoc argumento plura dicta sunt, quàm fortasse ratio instituti operis postulabat.

Simulati filij Dei qui.

1. Ioan. 4.
1. Ioan. 5.

Itaque ad illud ex epistola ad Hebræos testimonium, ne molestum sit plura dicere, dicemus nihil. Nec necesse est tamen aliquid dicere, cùm in eiusmodi argumentis diluendis nostra opera & studium minime desideretur.

OBIECTIO CALVINI IX.

Papistæ non parum à vero aberrant, dum Ecclesiam non cognoscunt, nisi quam præsenti oculo cernant. Quam etiam sententiam idem Caluinus paulò inferius confirmat, dicens. Nos contrà asserimus, & Ecclesiam nulla apparente forma, constare posse. In alio quoque loco ait. Cæterùm ad amplexandam eo modo Ecclesiæ vnitatem

Ecclesia visibilis.

Caluinus in præfatione. Item cap. 8. Caluin. c. 8. par. 3.

vnitatem, nihil opus est Ecclesiam oculis cernere, neque ideo deterior est fides nostra, quòd incognitam apprehendit.

RESPONSIO CATHOLICA.

Explicatio doctrinæ Caluini de inuisibili Ecclesia.

Non arbitror Caluinum sic desipuisse, quòd asserat, Ecclesiam omnino incognitam credi ab aliquo, sed opinor eum affirmare, quòd ad credendam Ecclesiam non sit opus, cognoscere eam in speciali, sed quòd satis sit, indefinitè, sicut credimus diem iudicij, de quo Christus ait: De die illo nemo scit, id est, definitè dies iudicij ignoratur ab hominibus, sed indefinitè credimus, quòd aliquando dies iudicij futurus sit. Atque illius diei ignoratio definita non tollit, quin cum cognitione indefinita habeatur fides istius articuli: Dies iudicij erit. Sic Caluinus dogmatizat, de hoc articulo: Credo sanctam Ecclesiam. Videlicet, quòd indefinitè credendum est, in terris aliquam esse veram Dei Ecclesiam, quæ verò sit illa definitè, nos latere respondet.

Matth. 24.

Caluini doctrina de Ecclesia inuisibili est hæretica.

Sed hanc Caluini, de Ecclesia inuisibili aut incognita, sententiam esse hæreticã, manifestum est: Nam cum expresso Dei verbo pugnat, ac Dei Ecclesiam omnino destruit. Quia Dei Ecclesia in vnoquoq; seculo, aut consideratur, prout secundum diuinam prædestinationem ex hominibus congreganda, aut congregata est. Atque hos, vnius Ecclesiæ, varios considerandi modos, diuina exponit scriptura, dum inquit: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet

Ioan. 10.

Ioan. 11. *fiet vnum ouile, & vnus pastor. Item: Quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Per oues quidem intra ouile, Ecclesia congregata; per oues verò extrà ouile, & per filios dispersos, congreganda significatur. Atq; hanc per aliquod tempus, nõ apparuisse, Esaias exponit: Lauda sterilis, quæ non paris, decanta laudem & hinni, quæ non pariebas; quoniam multi filij desertæ magis, quàm eius, quæ habebat virum, dicit Dominus. Hunc locum beatus Augustinus exponens ait: Per multos etiam annos Ecclesia, quæ futura erat, in omnibus gentibus in filiis suis, hoc est, in sanctis suis non apparuit, nondum Christo annunciato per Euangelistas eius, quibus non est annunciatus per Prophetas. Tantum ille. Verùm non de Ecclesia congreganda, sed de congregata per Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum prædicationem, est controuersia. Ecclesia enim congregata post Adæ lapsum, aut consideratur ante legem Moysi, aut post legem, ante Euangelij prædicationem, aut post Euangelij prædicationem, vsque in diem iudicij. In primo quidem tempore velut in cunabulis, in altero verò, vti in pueritia fuit. In tertio autem, quasi in adolescentia est, cui iuuentus in sempiterna gloria, vbi nunquam senescet, succedit. Et quanquam illustrior in sequenti, quàm in præcedenti ætate Ecclesia fuisset, tamen in nulla illarum Dei Ecclesia, nulla apparens forma, constitit, nec constare potuit. Nam illa semper*

Esai. 54.

Aug. de consen. Euang. cap. 31.

Quænam Ecclesia inuisibilis sit.

Eccles. quomodo semper visibilis, & tamẽ aliquo modo etiam occulta fuerit.

religionis

religionis & fidei symbolum, quo Christi membra in vnam coibant societatem, & quo à Satanæ Ecclesiæ discernebantur, seruauit. Quanquam propter statuum et Sacramentorum varietatem, Ecclesia triumphans quodammodo in militante, & Euangelica in Prophetica, & Synagoga in Patriarcharum Ecclesia, quasi occulta fuit. Ecclesia enim Dei non tam illustris ante legem, quàm post legem; nec tam ante Euangelium, quàm post, apparuit: tamen Dei Ecclesia, quocunque tempore, in forma debita, siue in paucis, siue in multis, semper apparuit, et non solùm illis, qui intra, sed etiam illis, qui extra illam fuerunt, maximè legis & Euangelij temporibus, semper fuit visibilis, ac illustris.

Quòd si Ecclesia Dei fuisset inuisibilis, visibilia Sacramenta in illa non administrarentur: sed sine visibilibus Sacramentis, nec potest Ecclesia cõgregari, nec congregata perstare. Nam Ecclesia est societas quædam in diuina religione, propter adipiscenda æterna et spiritualia bona, & cum hæc societas sit hominum, necesse est, quòd illi per aliqua signa exteriora socientur adinuicem: nam per cordis affectus, qui inuicem nos latent, nulla societas in hac mortali vita potest iniri. Vnde asserere, Dei Ecclesiam esse inuisibilem, est tollere ab homine potestatem iniendi societatem in religione. Nam homines non nisi per signa exteriora possunt in aliquam societatem coire. Quod sapientissimè exponit Augustinus. In nullum autem, inquit, nomen religionis seu verum seu falsum cognulari homines possunt, Aug. cont. Faust. 16. cap. 11.

possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur, quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit. Impiè quidem cõtemnitur, sine quo non potest perfici pietas. Hactenus Augustinus. Igitur sicut homines, communione vnius idiomatis, ad ædificandam Babylonicam turrim sociati sunt, & per confusionem linguarum societas dissoluta est, eò quod vnusquisque non audiebat, id est, non intelligebat vocem proximi sui, ita in Ecclesia Dei apparear oportet forma religionis, per quam vnus alteri societur, quæ si nulla fuerit, non congregabitur: imò congregata fuerit, dissoluetur. Ecclesiæ igitur ex hominibus in hac mortali vita congregatæ, necessaria sunt Symbola externa, & visibilia: quia Dei Ecclesia ex hominibus congregata, aut est visibilis, aut nulla.

Genes. 11.

Ecclesiæ symbola externa.

OBIECTIO NOVATORVM X.

An apud Catholicos, vel Lutheranos Ecclesia Christi quærenda sit.

Apud Papistas non est, sicuti ipsi gloriantur, vera Ecclesia Christi, sed potius apud nos Euangelicos qui Iesu Christi Euangelium sine vllis corruptelis syncerè predicamus. Et mirum sanè est, cur Papistæ eam sibi vendicent, cum Christus ipse eã nobis Euangelicis non obscurè adiudicarit, inquiens. Ego sum pastor ille bonus & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Qui ergo vocem Christi non audit, quemadmodum Papistas non audire certum est, is ad Christi ouile non pertinet, ac proinde

Ioan. 20.

per

pars quidem Ecclesiæ Christi est. Qui autem vocem Christi audit, quemadmodum nos Euangelici eam audimus, is dubio procul ad ouile Christi pertinet, ac proinde in Ecclesia Christi est, & ita non apud Papistas, sed apud nos Euangelicos Ecclesia Christi est.

RESPONSIO CATHOLICA.

Simiæ cùm sint Simiæ, videntamen homines affectant: Sic Hæretici cùm sint Hæretici, cùm sint suo ipsorum iudicio condemnati, cùm ipsi se præciderint, ipsi se è cætu piorum, quem vocamus Ecclesiam, eiecerint, dici tamen & videri volunt Ecclesia. Neque verò nouum hoc est & inusitatum. Mille iam & trecenti propè anni interceſſerunt, cùm scriptũ est à Lactantio, quòd singuli quiq; cætus Hæreticorum, se potissimum Christiano, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant. Quo vetustior etiam Cyprianus de Nouatiano memoriæ prodidit, quòd more Simiarum, quæ cùm homines non sint, homines imitantur, cùm ipse in Ecclesia non esset, imò adhuc insuper contra Ecclesiam rebellis extitisset, hoc sibi vendicabat, vt apud se Ecclesiam esse diceret, ac nos Hæreticos faceret. Suo quoq; seculo narrat Hilarius, quòd Antichristi Synagoga se Christi Ecclesiam esse mentiebatur. Et de Donatistis scribit Augustinus, quòd Ecclesiam in Aphrica tantùm esse, eaq; non tota, sed in parte Donati modò contenderent. An autem Bernardi quoq; temporibus, non fuerunt quidam, qui se vocabant Apostolicos, qui se Ecclesiam esse dicebãt? Sed contradicebant

Hæreticorũ mos est, Ecclesiæ nomen sibi & suis vendicare.

Lacta. lib. 4. cap 30. diuinarũ institutionum.

Cyprian. ad Iubaianũ.

Hila. ad Cõstantium.

Augu. epist. 50. 166. & alibi.

Bern. serm. 66. in Cant.

Matth. 5. *ei, qui dixit: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Horum temeritatem imitati sunt proximis superioribus seculis pauperes de Lugduno, quorum nunc Picardi sunt soboles, qui et ipsi seorsum Ecclesiam colligunt, & ab ea Catholicos & Orthodoxos excludunt.*

Pauperes de Lugduno Picardi.

Lutherus sibi vendicat nomen Ecclesiæ.

Nihil itaque noui fecit nostra tempestate Martinus Lutherus, qui cùm se nefario scelere ab vnitate Catholica, tanquam ab area Dominica separasset, suo cœtui, quem collegerat, Ecclesiæ nomen vendicauit.

August. de agone Christian. c. 29. *Sed præclarè de Donato scripsit Augustinus, quòd sicut is Christū diuidere conatus est, sic ipse à suis quotidiana concisione diuiditur. An autem idem Lutheро non accidit? Conatus is est diuidere corpus Christi, an vicissim à suis quotidiana concisione non diuiditur? Primus hic orbem Christianum in dicta caussa condemnauit, & ab eo se nefaria præcisione separauit. An autem quod ipse licere sibi voluit, idem sibi quoque licere debere non contendebant Carolstadius, Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus, & alij, qui sunt secta Sacramentariæ? cùm nec doctrina, nec impietate minùs profecissent, quàm Lutherus. Fecerunt & ipsi sibi prophana conuenticula, & vocauerunt Ecclesiam, seque non minùs ab ipso Luthero, quàm ab orbe toto Christiano diuiserunt. Neque id non optimo iure. Nam si licuit orbem Christianum inauditum Lutheро condemnare, & ab eo se per nefarium scelus separare,*

Lutheri soboles quãuis dissentiat, Ecclesiæ nomen arrogat sibi.

vare, quid ni liceret idem viris illis doctis, sicut in aliis multis, ab orbe Christiano, sic in præcipuo quodam religionis nostræ capite, ab ipso etiam Luthero dissentientibus? Qui certè molestè ferre non debuit, quandoquidem ipse persuasum habuit, se plùs in scripturis videre, quàm tot seculis viderit orbis Christianus vniuersus, si persuasum de se quoque viri illi docti habuerunt, se vidisse aliquid, quod videre Luthero nondum contigisset. Hallucinari potuit, quin hallucinatus est, si Luthero credimus, in multis totus orbis Christianus: cur non æquè potuerit hallucinari, vel vna saltem aliqua in re, Martinus Lutherus? Doctus ille quidem, catus & prudens apud semetipsum, sed homo tamen. Certè scriptum est: Si alij reuelatum fuerit sedenti, prior Propheta taceat. Nulla ergo fuit Luthero caussa, quamobrem sic excandesceret contra sodales suos, cùm præsertim hunc ei honorem haberent, quòd eum sibi viæ demonstratorem fuisse faterentur.

Lutherus errare potuit.

1. Cor. 1.

Eundem honorem habet illi quoque Balthasar Pacimontanus, quem primum volunt ætate nostra pridem sopitos ignes Anabaptistarum excitasse. Vidit is habere suam factionem Lutherum, habere suam & Zuinglium, non impunè modò, verum etiam cum quadam sui nominis laude. Cogitabat & ipse secum: Quid impedit, quò minùs & nos celebre nomen nostrum ad posteros transmittamus? Cur & ipsi non congregemus cætum aliquem,

Anabaptistæ à Luthero exorti cõgregãt seorsim Ecclesiam.

ſicut Lutherus & Zuinglius fecerunt, ſeorſum ab orbe Chriſtiano, ſic nos quoq; ſeorſum & ab orbe, & ab illis? Vt habeamus & ipſi noſtram Eccleſiam, & aliſtorum impietatem ampliùs etiam aliquid addamus. Quid autem? Num idem à Suenckfeldio quoq;, num idem à Campano & Serueto, & aliis plerique factum non eſt? Et eſt quiſquam ex iis, qui ſuum cætum non vocari velit Eccleſiam? Verùm dicet aliquis, hos pro ſuis Lutherus non agnoſcit. At illi ex magna parte Lutherum Ducem & Anteſignanum ſuum agnoſcunt.

Sectarij noſtri temporis à Lutheo exorti, congregant ſeorſim ſuas Eccleſias

Suenckfel.

Campanus

Seruetus.

Sed veniamus ad eos, qui ſunt citra controuerſiã Lutherani. Flaccus nónne ſeorſum colligebat Magdeburgi? Quandoquidem & Interimiſtas Lipſenſes, & Adiaphoriſtas Vuittembergenſes è cætu ſuo excit. An alibi non idem fecit Oſiander, qui ſuos etiam hortatur, vt ne credant Philippianis contra ſe, propterea quòd ſunt plures: alioquî Papæ, inquit, credere & Concilio contra Philippianos, cùm ſint multò plures, quàm Philippiani. Ita ſeorſum Philippus, ſeorſum Flaccus, ſeorſum colligit Oſiander. Sed & Brentius ſeorſum à Philippo colligere, non obſcurè indicat ſeorſum ab eo conſcripta confeſſio, & Patribus in Synodo Tridentina oblata, tum quòd in iuſtificationis articulo, non cum Auguſtana, ſed cum Oſiandrina confeſſione ſentire videtur. Sic ſuam Philippus, ſuam Brentius, ſuam Flaccus, ſuam Oſiander habet factionem, nec eſt iſtorum quisquã, qui ſuam non cupiat vocari

Illyricus.

Oſiander.

Philippian.

Brentius.

Cath-

Catholicam Ecclesiam. Sic euenisse videmus, quod scripsit Augustinus, quòd à suis quotidiana concisione diuiditur Lutherus, nam indies plures eorum sectas expectamus. Augustin⁹.

Neque verò mirum id alicui videri debet, quòd Hæretici tantopere contendunt id, quod non sunt, videri. Nam sicut ad impugnandum legem, verba legis, quemadmodum ab Ambrosio scriptum est, sic ad euertendam Ecclesiam nomen Ecclesiæ obtendere conantur; adeò angelus Sathanæ transfigurat se in Angelum lucis. Nam si talem se, qualis est, exhiberet, non facilè cuiquam imponere posset. Quamlibet infesti sint hostes Ecclesiæ, non tamen ignorant, quanta sit illius autoritas. Sciunt eam esse corpus & plenitudinem Christi, columnam & firmamentum veritatis, perpetuum habitaculum Dei viui. Sciunt ab illa se scripturas habere, sciunt, illi peculiariter sanæ intelligentiæ lucem esse promissam, sciunt, qui in sinu eius continentur, eis non posse non constare veritatem, denique sciunt, quòd extra illam haud aliter, atque olim extra Arcam Noë, salus non est. Hæc itaque cùm eos minimè lateant, cupiunt & ipsi membra corporis huius videri, neq; minùs, quam Orthodoxi, nomen Ecclesiæ Catholicæ sibi vendicant. Cur Hæretici laborẽt Ecclesię nomen arrogare sibi. Ambros. in commenta. epis. ad Tit. cap. 3. 1. Cor. 11. Extra Ecclesiam nihil. Ephes. 1. 1. Timot. 3. Genes. 7.

An verò ipsi, vel Catholici vocem Christi audiant, vnde colligere nituntur Ecclesiam apud ipsos esse, ex iis, quæ sequuntur, obiectionibus & solutionibus clarissimè innotescet. An Lutherani vocem Christi audiant.

CAPVT VII.

OBIECTIONES ADVERSARIORUM contra doctrinam Catholicam de signis Ecclesiæ, & earundem solutiones.

OBIECTIO NOVATORVM I.

Ecclesiæ signa. Philip. in locis.

CVM *signa & testimonia Ecclesiæ quæruntur, videndum est, vbi et quæ sit Ecclesia, quæ tempora puriora, q scriptores sint syncerioret.*

RESPONSIO CATHOLICA.

Hæc omnia etsi ab illis, qui præsunt in Catholica Ecclesia, explicitè sunt inuestiganda, tamen nõ à sectariis sunt præscribenda. Siquidem vnusquisq, sectariorum, suæ sectæ consentanea, reiectis pugnantibus, eligeret, imò ad cognoscenda illa, quæ Melanchton exigit, satis est credere vnam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Nam hæc verba satis explicant, quæ, vbi, & quando sit Dei Ecclesia.

Ecclesiæ locus & tempus. Matth. 28.

Quantum verò ad tempus attinet, omnes conuenimus in hoc, quod Dei Ecclesia, in hac mortali vita, semper fuit, est, & erit ad consummationem vsque seculi. Et de temporum puritate Christianis non conuenit disputare: nam tempus nec iustitiæ nec iniustitiæ est capax, sed tantùm homines. Illa tamen tempora sunt puriora, in quibus iustiores homines vixerunt. Quare referendo singula singulis, tempora ante exorta schis-

Quenam tẽpora in Ecclesia puriora fuerint.

mata, & sectas seu hæreses, puriora fuerunt, quàm tempora, in quibus schismata, & sectæ in Dei Ecclesia grassantur. Nam homines schismatici & hæretici in hoc, sed non in illo tempore fuerunt, & propter hominum malitiam tempora sunt mala. Vnde ante Lutheri infelicissimam prædicationem puriora, quàm pòst fuisse tempora, manifestum est: quia tunc temporis in Dei Ecclesia nec schismata, nec sectæ, pacis vinculum rumpentes, exstabant. Nunc verò quot schismata, quot sectarum dissidia sint in germanica natione, ipsi sectarij testantur. Melanchton enim ait: Non dissimulari potest, motis rebus, magnam varietatem opinionum exortam esse, vt concedit Anarchia licentiã malis ingeniis fingendi monstrosa dogmata. Tu igitur ipse Melanchton fateris, puriora fuisse tempora ante exorta schismata: & quis est tam stupidus, vt ista non animaduertat?

Philippus in præfat. Lutheranismi tempus impurissimum.

Itaque si Ecclesiæ testimonia petenda sunt à temporum puritate, cùm Ecclesiæ tempora ante Lutheri prædicationem (qualia qualia fuerint) puriora, quàm pòst eius prædicationem fuissent, ab illis, & non ab istis Ecclesiæ testimonia accipienda sunt: quia pacis & religionis tempus schismatum & sectarum tempore est purius. Quare meritò quidem Melanchton; quanquam contra se, conditionis temporum habendam rationem existimat: quia purioribus temporibus, videlicet ante Lutheri prædicationem, non erat difficile cognoscere Dei Ecclesiam, cùm in terrarũ

orbe vna tantum fuisset Ecclesia. Atque hæc si Dei non fuit Ecclesia, nulla vnquam fuit: quia tunc vnitas spiritus & vinculum pacis fuit in vniuersa Ecclesia: nunc verò, inter tot conuenticula sectariorum, aliquibus hominibus difficile est Dei Ecclesiam cognoscere. Sicut enim vnus verus Deus, dæmonum malitia, in deorum multitudine aliquando latuit, ita sectariorum impietate, vna, sancta, Catholica, ac Apostolica Dei Ecclesia, in multitudine sectarum, est ignota: quod Augustinus de sectariis loquens apertè satis docet, dum ait: Aug. contra Donat. de bapt. lib. 1. cap. 4. Induentes lupos pellibus ouium, dicunt: Ecce hîc est Christus, ecce illîc, & ab vniuersitate ciuitatis super montem constitutæ, ad particulas infidelium suarum, multos separant, & iugulatos assumunt. Matth. 24. Sed vt inter plures falsos deos vnus verus Deus, sic inter falsas Ecclesias Dei vna Ecclesia emicat. Quare illis quidem, qui à sectariis seducti sunt, tum ob ignorantiam, tum propter odium aduersus Ecclesiæ prælatos, veram Dei Ecclesiam inuenire difficile est: illis verò, qui illorum technas intelligunt, facilè. Ecclesiã cognoscere quibus sit difficile vel facile. Istorum differentiam Augustinus manifestat: Aug. contra Donat. de bapt. lib. 1. cap. 4. Veruntamen, inquit, & alia causa est, eorum, qui in istas hæreticos imprudenter incurrunt, ipsam esse Christi Ecclesiam æstimantes: alia verò eorum, qui nouerunt, non esse Catholicam Ecclesiam, nisi eam, quæ sicut promissa est, toto terrarum orbe diffunditur, & extenditur vsque ad fines terræ &c. Ecclesiæ profectò notæ tam manifestæ sunt, vt inter varias sectas illa

semper

semper emineat: quia esse vnam & Catholicam, nulli conuenit, nisi Dei Ecclesiæ: et istis notis à sectariorum cœtibus, qui plures & singulares sunt, discernitur.

Ecce Melanchton habes Ecclesiæ tempora puriora, videlicet ante Lutheri prædicationem: habes etiam, quæ, & vbi sit Ecclesia Dei. Quia illa, sicut anima vna est in toto corpore: ita Ecclesia per vinculum pacis in toto terrarum orbe est vna Dei Ecclesia: Vestræ verò Ecclesiæ, quæ nec in vna prouincia, nec in vna ciuitate, nec in vna domo seruant vinculum pacis: vos videritis, an Dei, vel dæmonum sint Ecclesiæ. Si quis ergo vult veram Dei Ecclesiam cognoscere, sciat illam esse, ex qua hæretici exierunt, & à qua schismatici defecerunt. Nam illa prior, quàm hæreses, & quàm schismata, fuit, & vnitatem spiritus in vinculo pacis semper seruauit, ac è medio sublato schismate, & extinctis hæresibus, ad consummationem vsque seculi seruabit. Quare Ecclesiam, ex qua præsentis seculi sectarij exierunt, quæ & nunc vnitatem spiritus seruans, in vinculo pacis perseuerat, esse vnam, sanctam, Catholicam & Apostolicam, quam obseruare, & cuius communionem colere iubemur, manifestissimum est.

Ecclesiæ hæreticorum.

Ephes. 4.

OBIECTIO NOVATORVM II.

Ecclesia quæ non habet purum verbum Dei, & legitimum vsum Sacramentorum, secundùm institutionem Christi, non est vera Ecclesia, sed Hypocritica

Ecclesiæ signa.

& Antichristiana. Ecclesia Romana siue Papistica non habet purum verbum Dei, & legitimum vsum Sacramentorum, vt habet Ecclesia Euangelica. Ergo Romana non est vera Ecclesia, sed falsa, Antichristiana, & Synagoga Sathanæ. Ecclesia enim Catholica agnoscit synceram prædicationem verbi Dei: & verum ac rectum vsum Sacramentorum eius, sicut ea tradit Prophetica & Apostolica scriptura. Et vbicunq; in toto orbe terrarum hæc prædicantur, & peraguntur, ibi veram esse Catholicam Ecclesiam iudicandum est. Dicitur enim in Ioanne: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Et rursus: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequũtur me. Item alibi: Elegi vos, & constitui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Vbicunq; ergo prædicatur verbum Apostolicum, vbi fructus affertur, si non multus & illustris, aliquis tamen, & Deo conspicuus. Vnde & Christus Ioanne dicit: Sicut tu me misisti in mundum: ita & ego misi eos in mundũ. Christus autem non venit frustra in mundum, nec prædicauit Euangelium suũ frustra in mundo. Fieri ergo non potest, vt et Apostolicum verbũ frustra annuncietur. Iuxta illud Pauli. Non me pudet Euangelij Christi, potentia siquidẽ Dei, ad salutem omni credẽti. Esaias quoq; dicit: Quomodo descendit imber & nix de cœlo: & illũc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram, & perfundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti et panem comedenti. Sic erit verbũ meũ, quod egreditur de ore meo. Non reuertetur ad me vacuũ, sed

Ioan. 8.
Ioan. 10.
Ioan. 15.
Ioan. 17.
Rom. 1.
Esa. 55.

sed faciet quæcunque volui, & proponetur in his, ad quæ misi illud. Papistica autem Ecclesia non relinquit verbũ Dei in sua synceritate, sed depravat ipsum alienis interpretationibus, & pervertit verum vsum Sacramentorũ. Ac negat, quod synceritas verbi Dei, & verus Sacramentorum vsus sint certa signa, quibus vera Ecclesia cognoscatur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Nõ necessũ erat scripturis probare, vbi sit syncera prædicatio verbi Dei, et rectus vsus Sacramentorum eius, ibi quoq; verã esse Ecclesiã Catholicã, cùm nemo sit, qui neget. Cæterũ hoc negamus, quod dicis, nostram Ecclesiã, non relinquere verbũ Dei in sua synceritate, sed deprauare ipsum alienis interpretationibus, et peruertere verũ vsum Sacramentorũ: Vestra hoc facit heretica Ecclesia, nõ nostra Catholica. Nam quod addis, nos negare, quòd synceritas verbi Dei et verus Sacramentorũ vsus sint certa signa, quibus vera Ecclesia cognoscatur, nõ omnino negamus, verũ eorũ sententiam probamus, qui sentiũt, fraudulẽter et subdolè dici à vobis, signa certa, quibus Ecclesia dignosci potest, esse syncerã Euangelij prædicationẽ, et rectã atq; secundũ Christi institutionẽ Sacramentorũ administrationẽ. Sed hæc quidẽ Ecclesiæ signa, sed nõ ita certa, sicut vos vultis, quandoquidẽ vix vlla est, aut fuit aliquãdo hæresis, q̃ sibi signa ista nõ arrogaret. Qui magis vnq̃ de synceritate verbi gloriati sunt, quàm Arriani? nũ ideo penes eos fuit Ecclesia? Verum autem vsum Sacramenti Baptismatis, an ita sibi solis Donatistæ non vsurparunt,

De signis & notis veræ Ecclesiæ.

Catholici non deprauant verbũ Dei, nec verum vsum Sacramẽtorum peruertunt.

Syncera prædicatio verbi Dei & verus vsus Sacramentorum an sint certa signa Ecclesiæ.

vt

vt sicut Arriani, synceri verbi Dei possessione Catholicos excludebant, sic isti verum vsum Baptismi penes eos esse negarent, & ob eam caussam vtrique se Ecclesiam esse contenderent?

Veniamus ad nostri temporis hæreticos: Nonne de præcipuis religionis nostræ dogmatibus dissident à vobis & Sacramentarij, & Anabaptistæ, & Picardi, et Seruetiani, et eiusdem generis hæreticorum alia portenta? Atqui omnes ij sic ista sibi signa arrogant, vt ea non magis nobis Christianis, quàm vobis detrahant Lutheranis. Non igitur Catholicus quisquam negat has esse notas Ecclesiæ: cum omnes vno ore fateamur, hæc duo semper esse coniuncta, veram Ecclesiam & synceram prædicationem verbi. At verò synceritas verbi magis agnoscitur ex veritate Ecclesiæ, quàm econtrà, quod præcipuè Irenæus & Tertullianus notârunt.

Scriptura non potest propria esse nota Ecclesiæ.

Poteras ergo vel ex Rethoricis præceptis discere, esse vitiosum argumentationis genus, quod commune vocant, quod nihilò magis ab aduersariis, quàm à nobis facit. Tale est, quo tu nunc vteris: dicis in Ecclesia tua synceram esse prædicationem verbi Dei, & verum vsum Sacramentorum. Dicimus nos, vtrumq; verius esse in Ecclesia nostra Catholica, cum in vtroq; præscripserimus, nequc nos à vobis, sed vos à nobis discesseritis.

Sed quid tandem tu vocas verbum Dei hæretice? scripturas? Atqui eas à nobis, à quibus discessistis, habere

habere vos, negare non potestis. Quim id ingenuè fatetur architectus hæreseos vestræ. Quamobrem hoc verbum Dei, quod scriptum est, nostrũ est, nec in eo quicquam iuris vendicare vobis potestis. Nam quòd eo vtimini, faciunt hoc omnes hæretici, faciunt & Iudæi, denique facit hoc etiam ipse Diabolus, vt vsus scripturarum non possit esse propria nota, qua Ecclesia Christi à vestra malignãtium Ecclesia discerni queat. Sin autem verbum Dei vocatis eum scripturæ sensum, quo Deus per Prophetas & Apostolos loquutus est, quod solum verè Dei verbum vocare licet, nos quidem certi sumus, verbum hoc apud nos esse, & sicut scripturas à nobis accepistis, sic verbum Dei, quod est in scripturis, à nobis, hoc est, à Patribus & Conciliis vos petere debere. Quoniam verò vos id vocatis in controuersiam, quomodo vultis, vt certa nota sit, quod ipsi controuersum feciſtis, quod eodem iure, quo vos, æquè sibi alij hæretici, non minùs à vobis, quàm à nobis dissidentes, arrogant? Vel sensus ipse communis admonere vos potuit, quòd certum signum Catholicos discernens ab hæreticis esse non potest, de quo inter vtrosque controuertitur.

Verbũ Dei est Catholicorum non hæreticorũ.

Verbũ Dei, quocunque modo accipiatur, non potest esse certum signum Ecclesiæ.

OBIECTIO NOVATORVM III.

Nomine Catholicæ Ecclesiæ intelligitur is hominum cœtus, qui verè credit in Christum, Patriarchis olim promissum, per Prophetas annunciatum, & per Apostolos in vniuerso mundo prædicatum ac diuulgatum. Nos autem Euangelici hoc facimus. Ergo sumus in Ecclesia Catholica.

An apud Lutheranos sit vera Ecclesia Christi.

RE-

RESPONSIO CATHOLICA.

Atq; in Christum Patriarchis olim promissum, per Prophetas annuntiatum, per Apostolos prædicatũ, credere se verè profitentur nostro seculo, qui non à nobis magis, quàm à vobis de præcipuis dogmatibus religionis nostræ dissentiũt, Sacramentarij, Anabaptistæ, Picardi, cœlestes Prophetæ, Swenckfeldius et alij: Quinetiam olim in Christum verè se credere professi sunt Manichæi, Pelagiani, Donatistæ, Nouatiani, & multi alij hæretici: num igitur omnes ij sunt et fuerunt Ecclesiæ Catholicæ membra? quod tu quidẽ concedere videris, qui nomen Ecclesiæ Catholicæ tam latè patere vis, vt omnes in Christum credentes ad eam pertinere dicas.

Omnes hæretici dicũt, se in Christum credere.

August. in Psalm.

Sed rectè Augustinus inimicum & defensorem, cuius in Psalmis fit mentio, vult hæreticum intelligi: Nam & ipse, inquit, est inimicus & defensor, qui fidẽ Christianam cùm oppugnet, videtur defendere. Non multos reperias hæreticos, qui se non profiteantur in Christum credere, tantò nocentiores, quòd hoc solo nomine minùs cauentur à Catholicis.

OBIECTIO NOVATORVM IIII.

Papistæ peruertunt verbũ Dei, ergo apud eos nõ est Ecclesia: Non enim recipiunt scripturas, nisi & addãt traditiones. Et sicut à Patribus et Concilijs exponitur. Constat autẽ, quòd multæ traditiones, quæ Apostolorũ nomine iactantur, pugnent cũ sacra scriptura, & quòd Patres atq; Concilia scripturam sæpe ac multũ sint interpretati, non iuxta sensum Spiritus sancti, sed iuxta sensum humanæ prudentiæ.

Ecclesiæ signa.

RESPON-

RESPONSIO CATHOLICA.

Hac obiectione Catholicorum, non eorum, quos tuendos suscepisti, causſam defendere videris. Quod enim potuisti nobis dare testimoniũ illustriùs; esse penes nos verbum Dei, quàm cùm dixisti, nos non recipere scripturas, nisi addamus & traditiones, hoc est, nos non tãtùm scriptum; verùm etiã viua voce traditũ Dei verbum recipere, quòd vt ita faciamus, admonemur Dei verbo scripto: Tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam.

Catholici quomodo recipiant scripturas. 2. Thess. 2.

Quod verò addis, nos non recipere scripturam, nisi sicut à Patribus et Conciliis exponitur: Potuitne quisquam clariùs demonstrare, nos verbum Dei syncerũ recipere, quàm iis verbis abs te demonstratum est? Nã qui recipit scripturas eo sensu, quo Patres interpretati sunt et Concilia, is demùm est, qui syncerũ Dei verbũ recipit. Qui verò recipit scripturã, nõ Ecclesiæ, hoc est, Patrum & Conciliorũ, sed suo proprio sensu, is recipit quidẽ scripturã, sed verbum Dei non recipit, quin pro verbo Dei, nonnunq; recipit verbum Diaboli, quando non eã, quæ Dei, sed quæ Sathanæ spiritu facta est, scripturarum interpretationem recipit.

Quis malè recipiat scripturas.

Neq; verò mirum hoc tibi videatur, quòd multos recipere scripturam dicimus, verbum autem Dei non recipere. Nam hoc ita fieri, videtur etiam Paulus innuere, cùm alibi, tum ad Thessalonicenses: Neq; terreamini, inquit, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam, tanquam per nos missam, 2. Thess. 2.

quasi

2. Thess. 4. Multi recipiunt scripturam, qui tamen verbū Dei non recipiunt.

quasi instet dies Domini. In priore, quam ad eos dederat epistola, dixerat Paulus: Nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu Domini, non præueniemus eos qui dormierunt. His verbis terrebant eos nonnulli, quasi iam instaret dies Domini. Monet igitur Paulus, ne terreantur, quòd non fuerit hoc verbum ipsius, nec Spiritus ipsius hoc senserit. Vides hîc, quòd qui terrebant per hanc Epistolam Thessalonicenses, tenebant illi quidem scripturam Pauli, verbum verò, quod per Paulum Deus loquebatur, non tenebant, cùm suo, non Pauli sensu, suo, non Pauli spiritu, Pauli scripturam interpretarentur. Quamobrem rectè eos monet Paulus. Ne quis vos seducat eo modo, proferens scripturam nostram, & alienum sensum illius adferens.

Coloss. 2.

Quòd itaque probri loco nobis obiiciunt nouatores, hoc est, quod nos prædicamus, quod præ nobis ferimus, de quo gloriamur, nos non aliter scripturam recipere, nisi sicut à Patribus & Conciliis exponitur. hac vna re maximè nos ab Hæreticis discerni, persuasum habemus, de quibus scriptum est: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur Spiritum suum, & nihil vident. Nullus itaque nostrum in scripturis interpretandis sequitur spiritum suum, multò minus Lutheri, vel Caluini, quòd eum esse Satanæ spiritum non dubitamus, verùm Ecclesiæ, hoc est, Patrum & Conciliorum spiritum sequimur, quòd eundem esse Christi spiritum, certum & indubitatum habemus. Nam cùm Ecclesia sit corpus Christi, Christus autem caput

Ezech. 13.

Aliter scripturas recipiūt Catholici, alter hæretici.

Ephes. 4.

huius

huius corporis, fieri non potest, quin capitis & corporis vnus atque idem sit spiritus. Hoc itaque spiritu Patrum & Conciliorum scripturas interpretamur: et quod ij senserunt, esse Dei verbum, indubitanter asserimus. Quomodo autem in contrarium tibi res recidit? Videbaris velle nos ex numero Catholicorum eiicere, interea verò, contra quàm tibi fuerat deliberatum, inuicto hoc argumento, nos esse Catholicos declarasti, quandoquidem scripturas non aliter recipimus, nisi sicut eas Patres Catholici, & Catholica Concilia exponunt. Sic tuo ipsius testimonio sumus Catholici, sicut contrà vos Hæretici, qui dum suum quisq; spiritum in scripturis interpretandis sequimini, Patrum & Conciliorum spiritu neglecto, quem nunc videre licet in Germania, Sathanismum inuexistis.

Quòd verò dicis, multas Traditiones, quæ Apostolorum nomine iactantur, pugnare cum sacra scriptura, in titulo de traditionibus falsum id esse demonstrabimus, aut si fortè, vel morte præuenti, vel aliâs impediti, materiam hanc non absoluerimus, ex aliorum Catholicorum Theologorum scriptis calumniæ confutationem lector veritatis studiosus petere poterit. Et quamuis fieri possit, quòd Patrum aliquis non iuxta Spiritus sancti, sed iuxta sensum humanæ prudentiæ, scripturam fuerit aliquando interpretatus, tamen sicubi plures in eandem sententiam conueniunt, & si Patres, in Conciliis Oecumenicis præsertim congregati, scripturam aliquam vnanimiter interpretan-

tur, eorum sensum Spiritus sancti sensum fuisse minimè dubitamus.

OBIECTIO NOVATORVM V.

Ecclesiæ signa.

De Sacramentis manifestum est, quòd Papistica Ecclesia verum eorum vsum peruertat. Sordidat enim baptismum ficticiis suis appendicibus, et humanis traditionibus. Ac baptisat non tantùm homines, quod Christus instituit, verùm etiam campanas, quæ est impietas Magica. De poculo Cœnæ Domini, cùm Christus dicat: Bibite ex eo omnes: Et sic Ecclesia Catholica vtatur, Papistica Ecclesia dicit: Nolite ex eo omnes bibere. Cùm ergo tantum sit discrimen Catholicæ & Papisticæ Ecclesiæ, qua fronte audet hæc sibi vendicare, quæ illi tantum conueniunt?

Matth. 26.

RESPONSIO CATHOLICA.

Nominatim hic exprimi decuisset, quæ nam sint illæ, quas tu vocas fictitias appendices, & humanas traditiones. Intelligis autem, quibus vtimur nos, earundem ipsis etiam temporibus Apostolorum vsum fuisse: quæ caussa est, quòd proferre non audes: alioqui necesse haberes affirmare, totis mille quingentis annis, Ecclesiam non fuisse, cùm quæ peruertit vsum Sacramentorum, Ecclesiã esse neges, nec alium fuisse Baptismatis vsum per omne tempus id constet, quàm qui nunc est.

At baptizat, inquit, non tantùm homines, quod Christus instituit, verùm etiam campanas, quæ est impietas magica. Baptizari campanas mihi quidem

inauditum

inauditum est. *Benedicuntur quidem, iuxta formam in Pontificali Romano præscriptam, verùm de Baptismo ne verbo quidem fit vlla mentio.* Ecclesia nõ baptizat cãpanas.

De poculo, inquit, cœnæ Domini, cùm Christus dicat: Bibite ex eo omnes, & sic Ecclesia Catholica vtatur, Papistica Ecclesia dicit. Nolite ex eo omnes bibere. Matth. 26. Bibite ex eo omnes. Matth. 20. *Imò & vestra hoc dicit verè hæretica Ecclesia, Nolite ex calice omnes bibere: arcetis enim paruulos, contra manifestum Christi verbum dicentis, sinite paruulos venire ad me. Constat autem etiam Apostolorum temporibus, calicem non omnibus esse ministratum. Reuera itaque nulla frons est in vobis, ô Lutherani, qui vobis Ecclesiæ nomen vendicare audetis, & Catholicis detrahere. Non multum frontis habere Caluinus quoque videtur, neque magis nobis æquus est, quàm sitis vos: nondum tamen eò impudentiæ progressus est & audaciæ, vt nobis, qui Romani Pontificis autoritatem agnoscimus, Ecclesiæ nomen adimeret. Quamuis enim ille pro more vestro plurimis conuitiis debacchetur in Pontificem, iis tamẽ verbis vtitur. Hinc igitur patet, nos minimè negare, quin sub Papæ quoque tyrannide Ecclesia maneat. Sic vos Lutherani Sacramentarios etiam impudentia superatis & audacia.* Caluinus c. 8. institutionis suæ.

OBIECTIO NOVATORVM VI.

Catholica Ecclesia interpretatur Patres, Traditiones et Concilia per scripturã, et scripturã interpretatur per scripturã, hoc est, eo sensu, quẽ Spiritus S. in scriptura Ecclesiæ signa.

tradidit. Si nos, aut Angelus de cœlo prædicauerit vobis Euangelium, præter id, quod prædicauimus vobis, & quod nunc instinctu Spiritus sancti literis sacris mandatum est, anathema sit. Habemus firmiorem Propheticum sermonem &c. Papistica autem Ecclesia interpretatur scripturam per Patres, per Traditiones, & per Concilia. In scriptura, inquiunt Papistæ, vera fides quærenda est, sed prout à Patribus traditur. Quid ergo commune est Papisticæ Ecclesiæ cum Catholica?

Galat. 1.

2. Pet. 1.

RESPONSIO CATHOLICA.

Scripturam per scripturã interpretari quatenus probandum.

Imò, quid tibi fili Belial cum sponsa Christi? Etiam Sacramentarij scripturam interpretantur per scripturam, num ideo statim illos eo sensu dices interpretari, quem Spiritus sanctus in scripturis tradit? Num quì ipsi sensum adferunt, eum vos recipitis? Proferebam aduersus Arrianos Catholici locum illum: Ego & Pater vnum sumus: interpretati sunt eum Arriani per aliam scripturam, vt sint vnum, sicut & nos, num hic fuit sensus Spiritus sancti? Quis non videt, quàm hæc inepta sint? Facimus autem & nos, vt scripturam per scripturam interpretemur: sed sicubi non semper occurrit scriptura, quæ scripturam explicet, aut sicubi diuersum sensum adferunt Hæretici, confugimus ad Patrum Traditiones, & eorum interpretationem proferimus. Quod et vestri faciunt, quando contra Sacramentarios & Anabaptistas scribunt, & fecerunt, priscis etiam illis seculis S. Patres nostri, quoties

Ioan. 10.

Ioan. 18.

Catholici quomodo & quando, in interpretatione scripturæ, ad Patrum traditiones cõfugiant.

illis

illis vel cum Arrianis, vel cum Hæreticis aliis fuit dimicatio.

Verùm vide, quid agas hæretice: peccas ipse contra legem, quam hoc ipso loco nobis fers. Intelligis, quàm adsers scripturam, eam pro nobis contra te facere: sunt enim verba Pauli: Si nos aut Angelus de cœlo prædi- Gdlat. 1.
cauerit vobis præter id, quod prædicauimus. Non dixit, præter id, quod scripsimus. Traditionem nobis, non scripturam commendauit. Id cùm te non fugeret, addis de tuo, & quod nunc instinctu Spiritus sancti literis sacris mandatum est. Vbi nunc est illud, quod toties contra nos profertis: Non addetis ad verbum, quod Deut. 4.
vobis loquor, nec auferetis ex eo? Nihil addi vis ad scripturas, & interim tamen addis ipse, quod in verbis Pauli non est. Nos verò quod additum est per te, non reprehendimus, sed idem iuris nobis quoque, quoties res postulat, non permitti, hoc est, quod molestè ferimus.

Cæterùm qua tu nota nos excludere vis à Catholicis, hæc nos vel maximè Catholicos esse designat: Catholicum est enim, in scriptura veram fidem quærere. Quoniam verò falsam quoque fidem suam in scriptura quærunt hæretici, non hæc satis adhuc illustris est nota, qua Catholici discerni possint ab Hæreticis. Cùm autem illud, adiungitur à Catholicis, quod per te reprehenditur, vt quæratur in scriptura, prout à patribus traditur, hoc demum verè Catholicum demonstrat. Nam â Patrum sensu & cõsensu discedere,

& iuxta suum ipsius sensum scripturam interpretari velle, quod vos facitis, hæreticum est, non Catholicũ, neq; legitimæ prolis, sed seminis mulieris adulteræ.

OBIECTIO NOVATORVM VII.

Ecclesiæ signa. De malis doctoribus ferendis aut etiam exterminandis.

Si Impij Hypocritæ docuerint pugnantia cum cœlesti doctrina, & peruerterint verũ vsum Sacramentorum Christi, nulla amplius nec reuerentia, nec obedientia obstricta est eis Catholica Ecclesia, etiamsi fuerint antea legitimè vocati: quin potiùs necesse habet Ecclesia, eos fugere & vitare, ac si fieri potest, ab ouili Christi, tanquam lupos arcere.

RESPONSIO CATHOLICA.

Lutherani quando & quàm diu ferendi sint. Psal. 7.

Verissimè hoc dictum est. Nam quoad aliquis fuerit externè quidem Christianus, corde verò Lutherus, quandoquidem quæ non videmus, Deo committere iubemur, qui scrutatur corda & renes, ferendus est in externa ista congregatione et societate vere Ecclesiæ. Simul vt autẽ in lucem proferre cœperit impia Lutheranorũ dogmata, et peruertere more hæreticorum verum Sacramentorum vsum, etiamsi Pastor alicuius Ecclesiæ, & ad hoc munus legitimè fuerit vocatus, ab oues ei nulla neq; reuerentia, neq; obedientia sunt obstrictæ: quin eum fugere debent, & ab ouili tanquam lupum arcere, præcipuè, postquam iudicis Ecclesiastici sententia pronunciatus fuerit impiorum Lutheri dogmatum assertor, & è cœtu piorum exterminatus.

OBIECTIO NOVATORVM VIII.

Ecclesiæ signa.

Euangelici accusarunt Catholicos antichristianis

mi, quòd impia doceant, quòd institutionem Sacramentorum Christi deprauent; necessitas itaq; salutis ipsorum exegit, vt colluuiem eorum, qui in Apostolica doctrina non permansserunt, detestarentur, & quàm contento possent cursu fugerent. Talis enim congregatio, dubio procul, Ecclesia Christi esse non potest.

RESPONSIO CATHOLICA.

Accusastis quidem ô hæretici Catholicos Antichristianismi. Quid autem? Num sufficit accusasse? nũ caussam propterea legitimam habuistis, discessionem à nobis faciendi? Conuictos certè tanti criminis, non accusatos tantùm oportuit. Quin vos Antichristianismi multò verius estis accusati, neq; defuerunt insignes aliquot Academiæ, quæ doctrinam vestram impiam iudicarent. Penes quem autem hac de re & est, & fuit, & erit semper statuendi potestas, frustrà portis omnibus inferi reluctantibus, Romanus Pontifex Hæreticos vos pronunciauit. Sed & in Comitiis Imperialibus Vuormatiæ proscriptionis Decretum contra vos latum est. Tot eorum sententiis, penes quos fuit legitima iudicandi potestas, vos Antichristos illos esse declaratum est, de quibus in sua Epistola scribit Ioannes.

Non Catholici, sed Lutherani, impietatis conuicti & dãnati sunt.

1. Ioan. 2. & 2.

Cæterum, ô hæretici, quis vos iudices constituit orbis totius Christiani? Quando autem dies illi dicta? quando caussæ dicendæ potestas facta? quando quicquam eorum obseruatum est, quæ in legitimis iudiciis

obſeruari conſueuerunt? Quis autem nos condemnauit? Idem ille, qui accuſauit: Ergo & accuſatorum, & iudicum officio ijdem vos functi eſtis. Quibus hoc legibus cautum, quibus moribus receptum fuit vnquã? Etiam apud immanes Barbaros iudicis officio nõ ſumgitur, niſi cui legitimè poteſtas hæc fuerit mãdata. Deinde citatur tamen reus; cauſſæ dicendæ poteſtas illi permittitur, neque & accuſatoris & iudicis perſonam eidem ſuſtinere fas eſt. Itáne ſoli vos licere vobis vultis, contra ius gentium venire, naturæ ordinem peruertere, diuinas humanaſque leges conculcare, Barbaros etiam ipſos immanitate ſuperare?

Lutherani contra omnem iudiciorum ordinem & iudices & accuſatores, orbis Chriſtiani eſſe volunt.

Sed vide, poſteaquam vos per ſummam iniuriam ius vobis arrogaſtis, orbem Chriſtianum inauditum Antichriſtianiſmi accuſandi ſimul & condemnandi, ſimiliter exemplo veſtro prouocati, idem ſibi ius in vos veſtri quoque paulò pòſt vſurpauerunt. Quis inter omnes magis fidus Achates Martini Lutheri fuerat, quàm Carolſtadius? Verùm vix toto biennio durauit hæc inter eos amicitia. Sicut Lutherus orbem Chriſtianum, ſic ipſe pari autoritate viciſſim Antichriſtianiſmi Lutherum accuſauit, ſimul et cõdemnauit. Idem fecit Müncerus, idem non de vobis magis Lutheranis, quàm de Carolſtadianis ſiue Zwinglianis, non ita multò pòſt ſtatuerunt Balthazar Pacimontanus & Memno: idem de omnibus vobis poſtea Swenkfeldius, Campanus, Seruetus, & hoc genus hæreticorum alia portenta. Sed & Flaccus Illyricus, quã

Pœna Lutheranorũ ſemetipſos temere orbis Chriſtiani iudices conſtituentium.

ſenten-

sententiam tuleri: contra Interimistas & Adiaphoristas, obscurum non est. Permisistis vos vobis, cùm nullam haberetis autoritatem publicam, Antichristianismi Christianum orbem non vocatum, non auditum accusare, simul & condemnare, & ab eo vos nefario schismate separastis: sibi quoque idem eodem iure permitti voluerunt isti. Nam si fas est vnicuique de Doctrina iudicare, & quam ipsi visum fuerit, tanquam impiam condemnare, sibi quoque fas esse putauerunt, vt idem de vestra doctrina statuerent, quod de totius orbis Christiani doctrina, per vos fuerat cõstitutum.

Hæc res nobis peperit Sathanismum hunc, quo nunc æstuat Germania, dum se pro Papa quisque gerere vult, dum sibi fas esse putat & accusatoris & iudicis officio simul fungi, dum & illud licere sibi cupit, vt quos impios ipse indicta causa iudicauerit, ab eis discessionem faciat, seorsum cœtum congreget, sacrilegum altare contra legitimum erigat, cathedram pestilentiæ contra Cathedram salutis constituat: Vbi sic omnis ordo peruertitur, ibi florere Sathanismum & ordine sublato, horrorem necesse est consequi sempiternum.

Pro Papa se quisque gerit in Germania.

CAPVT VIII.

OBIECTIONES ADVERSARIORVM CONTRA vnitatem Ecclesiæ & earundem solutiones.

OBIECTIO ADVERSARIORVM I.

Ecclesia vna. Psal. 66. Apoc. 1.

ECclesiã non esse vnã probatur ex illo Psalmi: In Ecclesiis benedicite Domino. Itẽ ex illo Apocalipsis, vbi Ioãnes scribere dicitur septẽ Ecclesiis, in quibus locis nõ vna, sed plures designãtur Ecclesiæ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quantũ ad illud Psalmi, in Ecclesiis benedicite Dominũ, ibi Propheta loquitur de Ecclesia, prout significat multitudinẽ aliquã fideliũ alicui⁹ certæ prouinciæ aut loci, et sic nõ dubiũ, quin Ecclesiæ multæ sint: nihilominus tamẽ oẽs tales particulares Ecclesiæ vna sunt vniuersalis Ecclesia, & vnus thalamus Christi. Ad auctoritatẽ verò, quæ ex Apocal. inducitur, respondetur: quòd, sicut tã ex textu, quàm ex glossa patet, beat⁹ Ioãnes loquebatur principaliter Ecclesiis particularibus in Asia, quib⁹ præpositus erat, quæ plures erant. Est tamen verum, vt in eadem glossa dicitur, quòd, per illas septẽ Ecclesias Asiæ, vniuersalis Ecclesia designabatur, quæ ideo per septenariũ numerum describitur, tum, quia septenarius vniuersitatem significat, tum, quia septiformi spiritu illustratur.

Ecclesiæ multę quomodo sint, & tamẽ vna Ecclesia.

OBIECTIO ADVERSARIORVM II.

Ecclesia vna.

Communiter distinguitur Ecclesia præsens ab Ecclesia primitiua. Ecclesia enim sumpta ex circumcisione & ex præputio, siue ex Iudæis et ex gentilibus, sunt distincti populi. Vnde glossa, super illud, est fons hortorum &c. dicit sic: fons hortorum, quia de primitiua

Cant. 4.

Ecclesia

Ecclesia processit in mundum doctrina cœlestis, quæ plures Ecclesias, id est, hortos procrearet.

RESPONSIO CATHOLICA.

Vna et eadẽ Ecclesia dicitur fuisse à principio, cùm vna et eadẽ fides fuerit Patrum veteris testamenti, et Patrum noui testamenti, tempora tantũ, vt ait Augustinus, mutata sunt. Distinctio autẽ et differentia, quæ importari videtur in dictis sanctorũ, inter primitiuã, et præsentẽ Ecclesiã, accipienda est ex parte populi, non ex parte fidei. Vnde Augustinus tractãs illud Psalmi: Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Syon, latera aquilonis, ciuitas regis magni &c. dicit sic. Duo montes, vnus ex circumcisione, alius ex præputio, ex Iudæis vnus, alter ex Gentibus, non iam aduersi, etsi diuersi, quia ex diuerso iam vniti, in angulo non diuerso: Ipse est, inquit, pax nostra, qui fecit vtraq; vnũ, ipse angularis lapis, quem reprobauerunt ædificantes, factus est caput anguli, duos iunxit in se, mons ac montes, vna domus, ac duæ domus, duæ propter ex diuerso venientes, vna propter lapidem angularem, in quo sibi ambæ copulantur.

Vna & eadẽ Ecclesia fuit à principio.

Differentia inter primitiuã & præsentem Ecclesiam. Augu. super Psal. 47.

Ephes. 2.

Psal. 117. 1. Pet. 2.

OBIECTIO ADVERSARIORVM III.

Ecclesia est vna constituta ex angelis et hominibus. Vnde Augustinus. Omnibus cõnumeratis fidelibus ab initio vsq; ad finẽ, adiunctis etiã legionibus et exercitibus angelorũ, vt fiat vna illa ciuitas, sub vno rege, vna quædam prouincia sub vno imperatore, sed hominibus et angelis nõ est communis fides, nec spes. Ergo vnitas fidei aut spei non pertinet ad vnitatẽ Ecclesiæ.

Ecclesia vna. Aug. super Psal. 36.

RESPON-

RESPONSIO CATHOLICA.

Ad hoc argumentum respondetur dupliciter. Primò, quòd hîc non loquimur de Ecclesia, prout comprehendit militantes & triumphãtes, sed prout dicit vniuersitatem fidelium, secundum statum viæ, qui in hac nostra peregrinatione militant, quibus omnibus fides communis est. Secundò respondetur, quòd licet Angeli non habeant fidem communem cum hominibus fidelibus, habent tamen, quod fidei succedit, scilicet, visionem: Idem est enim, quòd illi vident in patria, & quod fideles credunt in via, & ideo Ecclesia, vt comprehendit militantes, & comprehensores, potest dici vna cognitione, licet hinc, & inde sit diuersus cognitionis modus, quia hic per speculum & in ænigmate, vt dicit Apostolus, ibi autem facie ad faciem &c.

Ecclesia militãs & triũphans quo modo possit dici vna.

1. Cor. 13.

OBIECTIO NOVATORVM IIII.

Fides, Spes, & Charitas, cum sint accidentia diuersa numero, sunt in diuersis: Ergo omnes homines fideles non possunt pertinere ad vnam Ecclesiam, cum non videantur habere eandem fidem, spem, & charitatem. Si verò dicatur, quòd fides, ex parte subiecti, non est vna, quia diuersificatur, secundum quod est diuersorum, sed ex parte eius, quod creditur est vna, respondetur, multa esse quæ præponuntur nobis ad credendum, cum duodecim sint articuli fidei, inter quos magna est differentia, sicut patet manifestè.

Ecclesia vna.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ad hoc argumentum respondetur & dicitur, quo

ad

ad antecedens, quòd licet præfatæ virtutes distinguãtur in diuersis, secundum numerum, conueniunt tamen specie, & in obiecto vno, secundum numerum, secundum quòd omnes fideles idem credunt, sperant, et amant. Pro quo notandum, quòd secundum sanctum Thomam, sicut in corpore naturali vires diffusæ per omnia membra, differunt numero secundum essentiã, sed conueniunt in radice vna secundum numerum, et præter hoc habent formam vltimam vnam numero, ita etiam omnia membra corporis mystici habent pro vltimo complemento Spiritum sanctum, qui est vnus numero in omnibus. Et ipsæ virtutes Fides, Spes, Charitas, quamuis differant in diuersis secundum essentiam, conueniunt tamen in vna radice secundum numerum.

Quomodo omnes fideles idem credant.

Thom. in 3.

Fides Spes & Charitas, quomodo in omnibus fidelibus & differant & secundũ numerum conueniant.

Radix autem operationis propriè est ipsum obiectum, ex quo speciem trahit, & ideo in quantum est idem numero creditum, speratũ, & amatum ab omnibus, secundum hoc vniuntur omnium Fides, Spes, & Charitas in vna radice secundum numerum, non solùm prima, quæ est Spiritus sanctus, sed etiam proxima, quæ est proprium obiectum. Et ad confirmationem, cùm dicitur, quòd multa sunt, quæ nobis proponuntur ad credendum, respondetur, quòd cum obiectum formale fidei sit veritas prima, cui inhærendo credimus, quæcunque sub fide continentur, & ista sit vna & immutabilis, & habitus capiat vnitatem, vel multitudinem ex obiecto: Dicimus, quòd fides est vna ex parte

Fides vna quomodo sit in omnibus credentibus.

ex parte eius, quod creditur, quia idem est, quod ab omnibus creditur, etsi sint diuersa credibilia, quæ communitur omnes credunt, tamen omnia reducuntur ad vnum, quia ad primam veritatem, sub cuius ratione cadunt sub fide. Temporalia etiam non pertinent ad obiectum fidei, nisi in ordine ad aliquod æternum, quod est veritas prima, quæ est obiectum fidei.

OBIECTIO ADVERSARIORVM V.

Ecclesiam aliqui dicunt vnam, ex vnitate fidei, qua illustratur, & in qua fundatur: Omnes enim Christianos idem credere, corde & ore confiteri, idipsum dicere omnes, & non esse inter eos schismata, propter hanc fidei communitatem, iuxta illud Apostoli: Omnes vos vnum estis in Christo Iesu. Verùm hac ratione Ecclesiam non esse vnam, in hunc modum probari potest.

Galat. 3.

Ecclesia vna.

Eadem est Ecclesia à primo iusto Abel vsque ad vltimum nasciturum. Sed non videtur eadem fides antiquorum patrum & modernorum, cùm confessio, quæ est actus fidei, non sit vna & eadem apud omnes. Nam illi credebant futura, sicut incarnationem filij Dei, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, et similia, quæ nos credimꝰ præterita: Ergo videtur, quòd veritas fidei non includitur in vnitate Ecclesiæ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Fides eadẽ antiquorũ & nostra.

In hoc argumento negatur assumptum, illud videlicet, quòd non sit eadem fides antiquorũ, & nostra,

& ad probationem respondetur, quòd ista differentia præteriti & futuri non contingit ex aliqua diuersitate rei creditæ, sed ex diuersa habitudine credentium ad vnam rem creditam.

OBIECTIO ADVERSARIORVM VI.

Omnis excommunicatus est extra vnitatem Ecclesiæ, cum sit ab Ecclesia & consortio fidelium euidenter separatus. Et Matthæus: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Sed stat excommunicatum habere Fidem, Spem, & Charitatem, & inhabitantem Spiritum sanctum, ergo ista non videntur facere ad vnitatem Ecclesiæ. Consequentia patet, minor etiam nota est de eo, qui iniustè excommunicatur.

Ecclesia vna. 11.q.3.cap. Canonica. Matth.18.

RESPONSIO CATHOLICA.

Si aliquis iniustè excommunicatus est, in nullo læditur per talem excommunicationis sententiam. Vnde Augustinus. Illud planè non temerè dixerim, quòd si quis fidelium fuerit anathematizatus iniustè, ei potius oberit, qui facit, quàm ei, qui hanc patitur iniuriã. Spiritus enim sanctus habitãs in sanctis, per quẽ quisq; ligatur aut soluitur, immeritam nulli ingerit pœnam. Dicit enim S. Thomas: quòd si homo, qui iniustè excommunicatus est, hanc iniuriam humiliter sustinet, humilitatis meritum, recompẽsat huius excommunicationis damnum. Et hoc ponit beatus Augustinus ita dicens.

Excommunicatio iniusta. Aug. in cap. Illu. 11.q.3. Thom. in 4. B. Aug. de vera religione.

Sæpe

Sæpe diuina prouidentia sinit etiam bonos viros, per nonnullas turbulentas carnalium hominum seditiones, expelli de congregatione Christiana, quam contumeliam, vel iniuriam suam cum patientissimè pro pace Ecclesiæ tulerint, nec vllas nouitates vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint, & fidem, quam in Ecclesia Catholica prædicari sciunt, vsque ad mortem muniant, & testimonio defendant, hos coronat pius pater in occulto videns; hæc Augustinus.

Excommunicatus quis propriè dicatur.

Vbi notandum pro pleniori intellectu huius rationis, quòd excommunicatus non dicitur ita extra vnitatem Ecclesiæ positus, quòd fide, qua Ecclesiæ corpori erat vnitus, sit priuatus, sed quia à consortio fidelium, & Sacramentorum participatione sit præcisus. Excommunicatio enim, vt aiunt doctores, dicitur separatio à consortio fidelium, maximè quo ad fructum, qui habetur ex participatione Sacramentorum, & quo ad communia Ecclesiæ suffragia. Quomodo autem excommunicatus talibus suffragiis priuetur, & quomodo non, declarat sanctus Thomas, ita dicens: Suffragia alicuius valent alteri, secundum quòd ei continuantur: potest autem actio vnius alteri continuari dupliciter. Vno modo ex vi charitatis, quæ omnes fideles connectit, vt sint vnum in Deo, sicut dicitur Psal. Particeps ego sum omnium timentium te: et hanc continuationem excommunicatio nõ intercipit, quia iustè qui excommunicari non potest, nisi pro culpa mortali, per quam iam à charitate diuisus est, etiam si non excommunicetur.

Thomas in 4. dist. 48.

Excommunicatus suffragiis Ecclesiæ, quomodo & quãdo priuetur.

Psal. 118.

municetur. Iniusta autem excommunicatio charitatem alicui auferre non potest, cùm sit de maximis bonis, quæ non possint alicui inuito auferri.

Alio modo potest actio vnius alteri continuari per intentionem suffragia facientis, quæ in aliquem fertur, pro quo fiunt. Et hanc continuationem excommunicatio intercipit, quia Ecclesia, per excommunicationis sententiam, separat excommunicatos ab vniuersitate fidelium, pro quibus suffragia facit, vnde suffragia Ecclesiæ ei non prosunt, quæ pro tota Ecclesia fiunt, nec ex persona Ecclesiæ oratio pro eis inter membra Ecclesiæ fieri potest, quamuis aliqua persona priuata possit ad eius conuersionem aliquod suffragium per intentionem dirigere: hæc sanctus Thomas.

OBIECTIO ADVERSARIORVM VIII.

Ecclesiam aliqui dicunt esse vnam vnitate charitatis, qua connectitur & viuificatur, de qua Apostolus scribit. Philip. 2. Eandem charitatem habentes, vnanimes, id ipsum sentientes. Item vnam vocant vnitate Spiritus viuificantis. Vnus enim & idem Spiritus, scilicet sanctus, tanquam vltima & principalis perfectio corporis mystici, quasi anima in corpore, est in omnibus membris Ecclesiæ, diuidens singulis vt vult. Diuisiones enim gratiarum sunt, idem autem Spiritus Apostolo teste.

Sed contra ista obiicitur quòd multi pertinent ad vnitatem Ecclesiæ, in quibus nec charitas est, nec Spiritus sanctus inhabitat, cuiusmodi sunt peccatores

fideles. Ecclesia enim vniuersalis omnes generaliter comprahẽdit fideles. Vnde in Matthæo habetur, quòd tritico adiuncta sint zizania, & sicut dicit Augustinus, Ecclesia ager est, in qua radicantur triticum, id est, boni, & zizania, id est, mali simul, tamen in fine seculi separabuntur: Ergo sequitur, quòd prædicta non requirantur ad vnitatem Ecclesiæ.

Matth. 13.

Augustin.

RESPONSIO CATHOLICA.

Peccatores ad vnitatem Ecclesiæ quomodo pertineant.

Licet peccatores fideles, non habeant omnia illa, quibus Ecclesia vna esse dicitur, pertinent nihilominus ad vnitatem Ecclesiæ aliquo modo, inquantum scilicet in vna fide, cum aliis fidelibus conueniant. Est tamen verum, quòd quia charitatem non habent, per quam corpus Ecclesiæ viuificari dicitur, tales tanquã membra mortua iudicantur, nec sunt propriè membra corporis Christi.

OBIECTIO ADVERSARIORVM VIII.

Ecclesia vna.

Stat aliquem omnia habere ista, scilicet, Fidem, Spẽ, Charitatem, & inhabitantem Spiritum sanctum, & tamen non pertinere ad vnitatem Ecclesiæ, ergo Ecclesia ratione istorum, non potest dici vna, vti quidam volunt, et proximè præcedenti obiectione explicatum est. Antecedens patet de multis catechumenis, qui habent fidem formatam, & tamen non videntur esse membra Ecclesiæ. Cùm Augustinus dicat: Ad hoc baptismus valet, vt baptizati Christo incorporẽtur. Et idem Augustinus ad Bonifacium scribit & dicit, quòd in baptismo quis efficitur membrum Christi.

Aug. de baptis. paruul. conse. dist. 4. in capite ad hoc.

Augustin.

RESPON-

RESPONSIO CATHOLICA.

In hoc argumento negatur Antecedens: Diximus enim tales pertinere mentaliter, etsi non corporaliter per visibile Sacramentum, ad vnitatem Ecclesiæ, siue quòd merito pertineant ad Ecclesiã, etsi non numero. Et ad probationem respondetur, vt dicit sanctus Thomas: quòd incorporari Christo contingit dupliciter, scilicet merito, & numero. Merito quidem potest aliquis de Ecclesia effici, quod est Christo incorporari, etiã ante Baptismum actu susceptum, sed non ante Baptismum propositum. Vnde Ambrosius, de Valentino, qui Catechumenus mortuus fuit, dicit. Quem regeneraturus eram, amisi, veruntamen ille gratiam, quam popposcit, non amisit, vnde talis corde regeneratus est, licet non corpore, vt dicit sanctus Thomas. Fide quidem incorporatur quis Christo, secundum illud Apostoli. Habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Numero verò non potest aliquis effici de Ecclesia, nisi per baptismum. Vnde ante baptismum nullus admittitur ad perceptionem Sacramenti Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum Ecclesiæ, & sic patet, quòd tales Catechumeni Fidem, Spem, et Charitatem habentes, ad Ecclesiam pertineant animo, etsi non visibili Sacramento: merito, etsi non numero.

Catechumeni ad vnitatem Ecclesiæ quomodo pertineant. Thomas in 4. dist. 4.

Ambrosius.

Thomas in 3. parte.

Ephes. 3.

OBIECTIO ADVERSARIORVM IX.

Contra eos, qui vnitatem Ecclesiæ authoritate Pauli probare conantur, scribentis, vnum baptisma, vna fides, vnus Dominus, sic obiicitur.

Ecclesia vna. Ephes. 4.

A primo iusto Abel vsque ad vltimum nasciturum, est vna & eadem Ecclesia: Sed ante aduentum Christi baptismus cùm non esset, non poterat dici pertinere ad vnitatem Ecclesiæ, ergo nec nunc vnitas Ecclesiæ est arguenda ex vnitate baptismi.

RESPONSIO CATHOLICA.

Fidem, cui baptismus Sacramentum est, semper fuisse.

Negatur consequentia, quia licet baptismus, non semper fuerit à principio Ecclesiæ, non tamen sequitur, quòd postquam institutus est, vnitas illius non arguat suo modo vnitatem Ecclesiæ. Pro quo sciendum, quòd nunquam homines potuerũt saluari, etiam

Actor. 4.

ante Christi aduentum, nisi fierent membra Christi, quia vt dicitur: Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, sed ante aduentum Christi, etiam homines per fidem Christo incorporabantur, per fidem futuri aduentus, cuius fidei signaculum

Rom. 4.

erat circumcisio, vt dicit Apostolus: Antequam enim circumcisio institueretur, sola fides, vt dicit Gregorius, cum sacrificiorum oblationibus, quibus suam fidem antiqui Patres profitebantur, sufficiebat, vt homines Christo incorporarentur.

Post aduentum etiam Christi, homines per fidem Christo incorporantur, secundum illud: Habitare

Ephes. 3.

Christum per fidem in cordibus vestris. Sed alio signo manifestatur fides rei præsentis, quàm demonstrabatur, quando erat futura, sicut aliis verbis signatur præsens, præteritum & futurum. Et ideo licet ipsum Sacramen-

eramentum baptismi non semper fuerit, fides tamen, cuius baptismus Sacramentum est, semper fuit & necessaria fuit.

OBIECTIO ADVERSARIORVM X.

Ecclesia vna.

Contra eos, qui Ecclesiam vnam dici volunt, ex vnitate Sacramenti baptismi, quo sanctificatur, quòd est idem apud omnes. Et quantum ad materiam & quantum ad formam, & quantum ad effectum vltimum, siue quo ad efficatiã collati muneris, quod æquale est, à quocunque detur. Et hanc suam doctrinam authoritate Pauli probant, scribentis: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Contra istos inquam latius sic instatur.

Glossa ad Hebræos 6. Magister sent. in 4. dist. 4.

Non est vnum baptisma, sed tria, scilicet, baptismus aquæ, pœnitentiæ, & baptismus sanguinis, sicut habetur in glossa, & in Magistro sententiarum: Ergo vnitas Ecclesiæ non bene sumitur ex vnitate baptismi.

RESPONSIO CATHOLICA.

Baptismus vnius & multiplex quomodo sit.

Propriè loquendo, vt ait sanctus Thomas: Non est nisi vnum baptisma, quod in aqua celebratur, sub debita verborum forma. Alia autem baptismata dicuntur per ordinem ad illud, secundum proportionem ad eundem effectum, quem tamen agunt quodammodo in virtute baptismi aquæ: Quia baptismus sanguinis, & baptismus pœnitentiæ non valent ad regenerationem nisi ei, qui habet baptismum aquæ in proposito. Tunc enim, vt ait Augustinus, prodest baptismus

sanguinis vel flaminis, cùm baptismum fluminis non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.

De consec. dist. 4 cap. baptismi.

Vel respondetur secundariò, quòd baptisma dicitur vnum, quia non est iterabile, sicut nec originale peccatum, contra quod tanquam medicina est institutum, quod est contra hæreticos Nouatianos dicentes Quotiens homo peccat, baptismum debere repeti: Vel dicitur vnum baptisma, id est, æquale, à quocunq; datur, vt exponit glossa.

OBIECTIO ADVERSARIORVM XI.

Ecclesia vna.

Ecclesia est collectio, sed non sunt semper iidem fideles: Ergo non est semper eadem Ecclesia.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ecclesia est in continuo fluxu, & tamē semper vna.

Negatur consequentia: Quanquam enim homines, qui sunt quasi materia Ecclesiæ, fluant continuè & refluant, quibusdam decedentibus, aliis nouiter nascentibus, nihilominus quia vna est fides in omnibus, Ecclesia semper dicitur manere vna. Sicut dicitur de corpore animalis, quòd licet in eo partes materiales fluant & refluant, idem tamen manere dicitur, quo ad formam, quæ eadem semper manet. Ita videtur dicendum in proposito. Manet quidem semper eadem fides, manent eadem Sacramenta, quibus formatur Ecclesia, manet eadem lex, & eadem regula veritatis, permanet eadem habitudo, & ad vnum caput Ecclesiæ, et ad vnum finem vltimum: quare optimè beatus

Psal. 85.

Augustinus tractans illud Psalmi: Miserere mei Domine,

Domine, quoniam ad te clamaui tota die &c. dicit: Sub descendentibus, & succedentibus membris vnus homo vsque ad finem seculi extenditur.

OBIECTIO ADVERSARIORVM XII.

Sæpè iam in aliis obiectionibus allegata authoritas Pauli ad Ephesios scribentis: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma: adhuc non probat vnitatem Ecclesiæ. Si enim vnitas fidei facit Ecclesiam vnam, ergo quicunque habent fidem eandem, ad vnam & eandem Ecclesiam videntur nobiscum pertinere, sed dæmones & damnati habent vnam & eandem fidem nobiscum: Ergo videtur, quòd pertineant nobiscum ad eandem Ecclesiam, quod tamen est falsum: Consequentia videtur manifesta: Minor verò probatur per illud Iacobi: Dæmones credunt & contremiscunt: Et glossa super illud: Ex fide & in fidem: dicit, fides informis dæmonum.

Ecclesia vna.

Iacob. 2. Rom. 1.

RESPONSIO CATHOLICA.

In dæmonibus non est fides ea, quæ ponitur donum Spiritus sancti, siue habitus diuinitus infusus, qui inclinat hominem ad credendum aliquem effectum boni: sed dicitur fides, quæ nascitur ex perspicacitate naturalis intellectus eorum, ex miraculis, quæ vident supra naturam. Pro quo notandum, vt notat sanctus Thomas, quòd intellectus credentis assentit rei creditæ, non quia ipsam videat, vel secundum se, vel per resolutionem ad prima principia per se visa, sed propter imperium voluntatis.

Fides Dæmonũ quænam sit.

Thomas 2. 2. q. 5. articuli 2.

Voluntas quomodo moueat intellectū ad assentiendū in rebus fidei.

Quòd autem voluntas moueat intellectum ad assentiendum, potest contingere duobus modis. Vno modo ex ordine voluntatis ad bonum, & sic credere est actus laudabilis. Alio modo, quia intellectus conuincitur adhoc, quòd iudicet esse credendum his, quæ dicuntur, licet non conuincatur per euidentiam rei, sicut si aliquis Propheta pronunciaret in sermone Dei aliquod futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando, ex hoc signo conuinceretur intellectus videntis, vt cognosceret manifestè hoc dici à Deo, qui non mentitur, licet illud futurum, quòd prædicetur, in se euidens non esset, vnde ratio fidei non tolleretur. Dicendum est ergo, quòd in fidelibus Christi laudatur fides secundum primum modum, & secundùm hoc nō est in dæmonibus, sed solùm secundo modo. Videntur enim multa manifesta indicia, ex quibus percipiunt doctrinam Ecclesiæ esse à Deo, quamuis ipsi res ipsas, quas Ecclesia docet, non videant, puta, Deum esse trinum et vnum, vel aliud huiusmodi. Et ita patet, quòd fides, quæ vnitatem Ecclesiæ efficit, non est in dæmonibus, & ita ratio non procedit.

OBIECTIO ADVERSARIORVM XIII.

Sunt aliqui, qui Ecclesiam vnam dicunt vnitate vnius præsidentis rectoris & gubernatoris, visibiliter conuersantis cum ea, de quo in Osea dicitur: Congregabuntur filiæ Iudæ et filij Israël pariter & ponent sibi caput vnum. Et in Ioanne ipse Dominus dicit: Fiet vnum ouile et vnus Pastor. Hunc autem vnum

Osee 1.

Ioan. 10.

præsiden-

præsidentem, pastorem, rectorem & gubernatorem, in tota vniuersali Ecclesia vicem Christi gerentẽ, Pontificem Romanum esse dicunt. Sed huic opinioni istum in modum contradicitur.

Ecclesia semper fuit vna, & tamen in ea non semper fuit vnus Pastor aut rector, qui visibiliter cum ea conuersaretur: Ergo ex parte vnius supremi præsidentis & rectoris nõ est vnitas Ecclesiæ accipienda. Ecclesia vna.

RESPONSIO CATHOLICA.

Negatur consequentia, licet enim Ecclesia nõ semper fuerit in tali dispositione constituta, quo ad vnum, tanquam rectorem & gubernatorem, ducem & Pastorem, vice & loco Iesu Christi Domini nostri visibiliter conuersantem: tamen ipsa Ecclesia habebat ordinem: Nec sequitur, quòd nunc talis ordo in Ecclesia non sit. Multa enim per temporum successionem instituta sunt in Ecclesia, quæ non fuerunt à principio, quæ licet tempore, quo instituta non fuerunt, non importarent necessitatem, instituta tamen de necessitate veniunt obseruanda. Dicunt enim doctores tractantes illud Canticorum: Soror nostra paruula est, & vbera non habet, quòd Ecclesia, quæ hîc soror dicitur, in principio sui status, ante aduentum plenitudinis gratiæ, in quo gratia, & veritas per Iesum Christum facta, non modo paruula fuit populi paucitate, sed etiam donis gratiarum. Vnde Hugo de sancto Victore. Oportuit, inquit, vt secundùm processionem temporum, spiritualium gratiarum signa magis ac magis darentur. In Ecclesia, pro diuersitate temporum, quomodo multa mutẽtur. Cantic. vlt. Eccles. quomodo parvula sit dicta. Ioan. 1. Hugo.

Ecclesiæ incrementa.

Planè post incarnationem filij Dei copiosior facta est splendore doctrinæ, illustrior pulchritudine ordinis, locupletior Sacramentorum efficacia salutari, excellentior nobilitate regiminis, quia sub spe nobiliori ordinationis politicæ, ac diuiniori forma principatus.

OBIECTIO ADVERSARIORVM XIIII.

Ecclesia vna.

Contra eos qui vnitatẽ Ecclesiæ, ex vnitate eiusdem præsidentis & rectoris, astruere conantur, rursus sic obiicitur. Papa mortuo. Ecclesia nõ minus est vna, quàm eo viuente: Ergo vnitas talis supremi præsidentis, siue summi pontificis non arguit vnitatem Ecclesiæ. Consequentia videtur nota.

RESPONSIO CATHOLICA.

Mortuo summo Põtifice, Ecclesia quomodo maneat vna.

Ratio non procedit, tum quia, si Papa moritur, sedet tamen nõ moritur: Secundò, quia ordo talis ad vnum caput & gubernatorem semper manet in Ecclesia in habitu, & potestas ad eligendum aliquem in sede ipsi Apostolica. Est etiam actu talis ordo in Ecclesia ad eos, qui vice summi pontificis, illo tempore in Ecclesia, quo ad aliqua, funguntur, cuiusmodi est sacrũ collegium dominorum Cardinalium. Et hic conuincitur temeritas quorundam schismaticorum, et inimicorum Ecclesiæ, qui dicere præsumpserunt, vnitatem Ecclesiæ, non habere ordinem ad vnitatem vnius summi Pontificis, Christi vicarij, quod quàm falsum sit, audiamus Cyprianum scribentem: Dominus insinuans nobis vnitatem, de diuina auctoritate venientem ponit, & dicit: Ego & Pater vnum sumus, ad quam

Cyprianus in epistо. ad Magnum.

vnitatem

vnitatem redigens Ecclesiam suam denuo ait. Et erit vnus grex, & vnus Pastor. Item alibi huiusmodi seminatores, & introductores schismatum in Ecclesia idem gloriosissimus Cyprianus percutit, ita dicens: Hæc sunt initia hæreticorum, & ortus atque conatus schismaticorum malè cogitantium, vt sibi placeant, vt Præpositum superbo tumore contemnant: sic de Ecclesia egreditur, sic altare prophanum foris collocatur, sic contra pacem Christi, & ordinationem atq; vnitatem Dei rebellatur. Et B. Hieronymus pater Ecclesiæ religiosissimus, Damaso Papæ scribens, sic dicit. Cũ successore piscatoris, & discipulo Christi loquor. Ego nullum præmium, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior: Super illam petram Ecclesiam fundatam scio: Quicunq; extra hanc domum agnum comederit, prophanus est: Si quis in Noë Arca non fuerit, peribit regnante diluuio; & infra: Non noui Vitalem, Miletum respuo, ignoro Paulinum: Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Hæc Hieronymus.

Ioan. 10. Cyprian. in epist. ad Rogationum. Ioan. 10. Cyprianus. Hieron. ad Damas. Papam.

Verum de huiusmodi errore confutando alibi, Deo volente, copiosior erit sermo. Per ea etiam, quæ dicta sunt, excluditur impietas schismaticorum, qui tunicam Domini inconsutilem scindere nituntur, contra quos inquit beatus Cyprianus, alienus es, prophanus es, eius hostis es, habere non potest Deum patrem, qui vniuersalis Ecclesiæ non tenet vnitatem.

Cyprian. in ca. alicuius 24. q. 1.

OBIE-

Caput VIII. Solutiones obiectionum

OBIECTIO ADVERSARIORVM XV.

Ecclesia vna.

In scriptura sacra nomen Ecclesiæ dupliciter sumitur: Pro prædestinatorum societate quandoq;, cui promissio stabilitatis facta est, et ad quam pertinet sanctitas. Nonnunquam verò pro congregatione eorum, qui per baptismum quidem sanctificantur, & coëunt in vnius fidei Christianæ confessionem, sed peccatis tamen præditi sunt. Cùm ergò ex scripturis clarum sit, duplicem esse Ecclesiam, vnam, in qua magna sanctitas, munditia, & perfectio relucent. Alteram, cui multæ sordes & infirmitates adhærent. Sequitur inde Ecclesiam non vnam, sed duplicem esse.

RESPONSIO CATHOLICA.

Argumentum hoc quàm longè à vero sit, quàm recens adinuentum, & ab omni scripturæ & Patrum sensu alienum, non est difficilè ostendere. Regnum cœlorum putátne Nouator falsam esse Ecclesiam? Quis hoc rogo audire potest? & tamen Christus dicit, simile regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, malos scilicet, & bonos. Sic hæc, quæ omnes congregat, si non habet prædestinatos & electos, quomodo rogo habet bonos? si non habet reprobos, quomodo malos? non ergo congregat ex omni genere piscium. Rursum si hæc non est vera & firma Ecclesia, quæ malos habet, quomodo verum regnum Christi est, dicente Christo: mittit Angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala? Abi igitur Nouator, & dic verum regnum Christi non esse veram, & fir-

Matth. 13.

Ecclesia verum regnũ Christi.

Matth. 13.

& firmam eius Ecclesiam, aut quod Christus vocat regnum suum, tu dicito non esse verum regnum, sed fallum, aut verisimile tantùm, & apparens. Et reuoca nunc ab inferis omnia Manichæorum figmenta, vt cùm scriptura dicit, verbum caro factum est, non veram carnem, sed phantasticam tantùm intelligamus: et cùm dicit Christum de virgine nasci, mori, & resurgere pro nobis, dicas omnia non verè facta esse. Nec enim aliter dicitur, de regno Christi auferenda scandala, quàm ipsum crucifixum pro nobis. Si itaque illud non verum dicis esse regnum, ita de his licebit dicere. Ioan. 1.

Non est opus multa ex scriptura persequi similia: certè nec vnum locum dabunt, vbi de vna harum Ecclesiarum, quasi ab altera distincta, sermo fiat: quãuis diuersa dicantur: De eadem Ecclesia certè Paulum audio de se dicentem, quòd primus omnium peccatorum sit: de eodem audio Christum dicentem, vas electionis est mihi. Nunquid propterea duos Paulos cogitabo? aut duos Petros, quia modò dicitur ei. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et: Beatus es: modò: Vade post me Sathana, non sapis, quæ Dei sunt. Quòd si in vno homine hæc tam diuersa, cur non in vna tot hominum congregatione? sumus, inquit Paulus, inuicem membra: & certè in eodem corpore, secundùm diuersa membra, sanitatem, & ægritudinem videmus. Cæcutit oculus, pes solidissimè figit gressus, vacillat manus, & caput consistit firmum. Nunquid non

Vna est Ecclesia, licet bonos & malos complectatur. 1. Tim. 1. Actor. 9. Matt. 16. Ibidem. Matth. 4. Ephes. 4.

In scriptura non leguntur duæ Ecclesiæ.

non propterea vnum corpus, membra sana, & infirma habens? Absit igitur, vt in scriptura, duas Ecclesias Christi inueniamus.

Matt. 18.

Sed vt iam à re ipsa sumamus rationem, cui, rogo, Ecclesiæ denunciandus est frater peccans? si inuisibili, & sanctæ (talem enim fatentur Ecclesiam prædestinatorum) frustrà præcipitur hoc: Si verò, vt necesse est, visibili & manifestæ, quæ & peccatores habet: vera est hæc Ecclesia Christi, quam audire iubemur, & eius iudicium sequi, in vitandis peccantibus fratribus.

Actor. 18. Ecclesia visibilis.

Denique Ecclesia, quam prælati gubernandam suscipiunt, nónne vera illa est, de qua Paulus dicit Episcopis: Posuit vos Spiritus sanctus regere Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo? & tamen nisi sit visibilis, regi non potest. Visibilis ergo, & certa sensibus ipsis est Ecclesia, acquisita, & redempta à Deo, de

Esai. 62.

qua Esaias dicit: Vocaberis ciuitas quæsita, & non derelicta: & populus eius sanctus redempti à Domino, vt inquit eodem loco Propheta: Ecclesia, in qua

1. Tim. 3.

Paulus docet Timotheum, quomodo oportet eum conuersari, certè Ecclesia est Dei viui, columna, & firmamentum veritatis: tamen in ea versatur Timotheus. Quomodo ergo, si non eam videt, & certè con-

1. Tim. 4.

uersatur in ea, vt eidem Paulus iubet, factus exemplum fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate? Deniq; conuersatur, cùm peccan-

1. Tim. 5.

tes coram omnibus arguit. Illa ergo peccatores hal-

illa

illa est magna domus, in qua non solùm sunt vasa aurea & argentea: sed lignea et fictilia, quædam quidem ad honorem, quædam vero in contumeliam. 2. Tim. 2.

Sensum Patrum circa hoc satis explicat Symbolum fidei: vnam, inquiunt, sanctam Ecclesiam, Catholicã: Vnam certè, non duas dicunt, & eandem vniuersalem, toto scilicet orbe diffusam, & sanctam. Nam si duas Ecclesias agnouissent in scriptura Patres illi, & modò vnam, modò alteram nominari, non ita confusè vnam dicerent Ecclesiam: maximè cùm non dubium sit, illos Ecclesiam intellexisse concionem baptizatòrũ omnium, & confitentium Christi fidem, & hanc non dubitant sanctam dicere. Patres vnã docent Ecclesiam, nõ duas.

Et ne multis hoc agamus, sit satis ad hoc confirmandum ducentorum octoginta sex Episcoporum Catholicorum Carthagini aduersus Donatistas testimonium. Calumniabantur Donatistæ, quòd duas Ecclesias Catholici assererent: aut dupliciter accepissent Ecclesiam. Respondent illi, Ecclesiam, quæ nunc habet permistos malos, se non aliam dixisse à regno Dei, vbi nõ erunt mali commisti: sed eandem, inquiunt, ipsam, vnam, & sanctam Ecclesiam nunc esse aliter, tunc autem aliter futuram: nunc habere malos mistos, tunc non habituram. Quid, rogo, manifestius potest dici? Calumniabantur Donatistæ Catholicos, quòd aliam dicerent Ecclesiam, ad quam pertinet, quòd Christus exhibiturus est sponsam suam, non habentem maculam, aut rugam, hoc est, cœlestem illam, & beatam societatem: Calumnia Donatistarũ vetus cõtra Catholicos, quòd duas asserãt Ecclesias. Aug. Colla. 3. cõtra Donat. Ephes. 5.

alteram

In scriptura non leguntur duæ Ecclesiæ.

non propterea vnum corpus, membra sana, & infirma habens? Absit igitur, vt in scriptura, duas Ecclesias Christi inueniamus.

Matt. 18.

Sed vt iam à re ipsa sumamus rationem, cui, rogo, Ecclesiæ denunciandus est frater peccans? si inuisibili, & sanctæ (talem enim fatentur Ecclesiam prædestinatorum) frustrà præcipitur hoc: Si verò, vt necesse est, visibili & manifestæ, quæ & peccatores habet: vera est hæc Ecclesia Christi, quam audire iubemur, & eius iudicium sequi, in vitandis peccantibus fratribus.

Actor. 18. Ecclesia visibilis.

Denique Ecclesia, quam prælati gubernandam suscipiunt, nónne vera illa est, de qua Paulus dicit Episcopis: Posuit vos Spiritus sanctus regere Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo? & tamen nisi sit visibilis, regi non potest. Visibilis ergo, & certa sensibus ipsis est Ecclesia, acquisita, & redempta à Deo, de

Esai. 62.

qua Esaias dicit: Vocaberis ciuitas quæsita, & non derelicta: & populus eius sanctus redempti à Domino, vt inquit eodem loco Propheta: Ecclesia, in qua

1. Tim. 3.

Paulus docet Timotheum, quomodo oportet eum conuersari, certè Ecclesia est Dei viui, columna, & firmamentum veritatis: tamen in ea versatur Timotheus. Quomodo ergo, si non eam videt, & certè con-

1. Tim. 4.

uersatur in ea, vt eidem Paulus iubet, factus exemplum fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate? Deniq; conuersatur, cùm pecca-

1. Tim. 5.

tes coram omnibus arguit. Illa ergo peccatores hal-

illa

illa est magna domus, in qua non solùm sunt vasa aurea & argentea: sed lignea et fictilia, quædam quidem ad honorem, quædam vero in contumeliam. 2. Tim. 2.

Sensum Patrum circa hoc satis explicat Symbolum fidei: vnam, inquiunt, sanctam Ecclesiam, Catholicã: Vnam certè, non duas dicunt, & eandem vniuersalem, toto scilicet orbe diffusam, & sanctam. Nam si duas Ecclesias agnouissent in scriptura Patres illi, & modò vnam, modò alteram nominari, non ita confusè vnam dicerent Ecclesiam: maximè cùm non dubium sit, illos Ecclesiam intellexisse concionem baptizatòrũ omnium, & confitentium Christi fidem, & hanc non dubitant sanctam dicere. Patres vnã docent Ecclesiam, nõ duas.

Et ne multis hoc agamus, sit satis ad hoc confirmandum ducentorum octoginta sex Episcoporum Catholicorum Carthagini aduersus Donatistas testimonium. Calumniabantur Donatistæ, quòd duas Ecclesias Catholici assererent: aut dupliciter accepissent Ecclesiam. Respondent illi, Ecclesiam, quæ nunc habet permistos malos, se non aliam dixisse à regno Dei, vbi nõ erunt mali commisti: sed eandem, inquiunt, ipsam, vnam, & sanctam Ecclesiam nunc esse aliter, tunc autem aliter futuram: nunc habere malos mistos, tunc non habituram. Quid, rogo, manifestius potest dici? Calumniabantur Donatistæ Catholicos, quòd aliam dicerent Ecclesiam, ad quam pertinet, quòd Christus exhibiturus est sponsam suam, non habentem maculam, aut rugam, hoc est, cœlestem illam, & beatam societatem: Calumnia Donatistarũ vetus cõtra Catholicos, quòd duas asserãt Ecclesias. Aug. Colla. 3. cõtra Donat. Ephes. 5.

alteram

alteram verò in hoc seculo, quæ malos habet, quòd eis, quanquam peccatores ad Ecclesiam non admitterent, non probandum videbatur. Respondent verò Catholici, vt ostendimus, id ingenuè negantes: Sed eandem Ecclesiam esse, & huius seculi, in qua sunt mali, inquiunt, & cælestis patriæ, in qua nulli sunt mali.

Collatio Donatistarum cũ Lutheranis. Matth. 16.

Nostri verò non apertè Donatistæ, sed pertinaces in cæpto errore, vt Ecclesiam incertam reddant: vt eius iudicium eludant: quod in Euangelio dicitur: Portæ inferi non præualebunt aduersus eam, ad inuisibilem societatem prædestinatorum referunt: non verò ad visibilem: aperto certè paralogismo, cùm illa, de qua Christus ibi loquitur, sit eadem, quam postea iubemur audire. Et Donatistæ quidem saniori mente, quia peccatores alienos ab Ecclesia dicebant, nullo modo duas Ecclesias cogitandas esse in scripturis volebant: quod & Catholici confirmant, non inquam duas, alteram cœlestem, alteram terrenam, quæ certè magis poterant videri diuersæ: quoniã longiùs distant, quàm visibilis ex baptizatis, & profitentibus fidem, & inuisibilis ex prædestinatis: cùm negari non possit has duas, vt ita dicamus, societates, sibi inuicem participare & communicare, si non omnibus partibus, saltem quibusdam. Certè prædestinati omnes baptizati, profitentes fidem ad externam illam Ecclesiam pertinent: Concio prædestinatorum necessariò aut iam est, aut aliquando erit pars externæ Ecclesiæ. Extra professionem enim fidei veræ, & Sacramentorum participationem

nullus

nullus ſaluatur: atq; ita nullus prædeſtinatus perpetuò erit. Eſto, ſint aliqui in hac congregatione non prædeſtinati, cur propterea ab altera eã diſtinguimus prædeſtinatorum, cùm tota illa in hac ſit: hanc agnoſcat, & extra hanc certò ſciat, ſe non poſſe ſaluari?

Commentum duarũ Eccleſiarũ.

Alienum itaq; hoc commentum duarum Eccleſiarum non ſolùm reiiciendum, ſed proponendum in exemplum contentionum, & ſophiſmatum, atque pugnarum verborum, quas cùm noui iſti doctores, vt Paulum ſe ſequi oſtendant, quotidie reprehendunt in nobis: illi multò magis excuſcitant: Hoc eſt verè pueriliter, & contentioſè de nomine rixari in ſcriptura. Dicere nomen Eccleſiæ dupliciter ſumi, pro viſibili, & inuiſibili, pro manifeſtè profitentibus fidem, & pro occultis, & occulto Dei iudicio prædeſtinatis, hæc ſunt verè ſophiſmata, nulla certa ratione, nulla autoritate maiorũ circa ſenſum ſcripturæ inuecta. Nos verò non à vobis Lutheranis ſenſum ſcripturæ accipiemus, ſed à legitimis, & maioribus patribus: ſequẽtes ſalubre illud Clementis conſilium. Oportet, inquit, ab eo intelligentiam diſcere ſcripturarum, qui eam à maioribus, ſecundùm veritatem ſibi traditam, ſeruat, vt & ipſe poſſit ea, quæ rectè ſuſcepit, competenter aſſerere. Nã & cauſſam admonitionis huius priùs appoſuit, huic loco valde conuenientem: Sic inquiẽs: relatum eſt nobis, quòd quidam in veſtris partibus commorantes aduerſantur ſanis doctrinis: & pro vt eis videtur, non ſecundum traditionem patrum, ſed

Clemens Epiſtol. 5. Scripturarum intelligentia vnde petenda.

iuxta ſenſum ſuum docere videntur. Et ideo diligenter obſeruandum eſt, vt lex Dei cùm legitur, non ſecundùm propriam ingenij intelligentiam legatur vel doceatur.

OBIECTIO NOVATORVM XVI.

An vnitas ſit certum ſignum Eccleſiæ.

Si vnitas per ſe eſt certum ſignum Eccleſiæ, & diſceſſio per ſe proprium ſignũ Hæretici, quid furioſius? Quid enim? Itáne certum eſt, ibi eſſe Eccleſiam, vbi eſt vnitas? Fateor nihil eſſe amabilius, nihil iucundius vnitate, mutuaq; charitate & concordia. Et in

Ioan. 13.

hoc, inquit, Chriſtus, cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei ſitis, ſi charitatem habueritis inter vos mutuò. Sed num quæuis charitas, quæuis concordia, quæuis vnitas certum & infallibile ſignum eſt veræ Eccleſiæ, vt quæuis diſceſſio proprium ſignum hæreſis?

RESPONSIO CATHOLICA.

Sudes eſt in oculis hæreticorum nomen charitatis & vnitatis: quod quoties audiunt, ſuam ſibi diuiſionem exprobrari putant. Neq; malè coniiciunt. Quam-

Nomen vnitatis exoſum hæreticis.

obrem nulla de re minùs libenter dici audiunt, quàm de vnitate & charitate, de qua etiam, quoties de iuſtitia loquuntur, ne verbo quidem fieri volunt mentionem, ſed ſola fide ſe iuſtificari contendunt. Fidem enim habere ſe poſſe cum Dæmonibus communem intelligunt: charitatem ſi haberent, neque Dæmones Dæmones, neque Hæretici eſſent Hæretici. Verè autem dictum eſt ab Auguſtino: Non exiſtimo quen-

Aug. contra [illegible]. libr. [illegible]. 29.

quam

quam ita desipere, vt credat ad Ecclesiæ pertinere vnitatem, qui non habet charitatem. Non autem, ait idem, habet Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligit vnitatem. Atqui non est alia certior Ecclesiæ nota, quàm sit vnitas; quam etiam ob causſam in Symbolo Constantinopolitano, quod post lectum Euangelium in Ecclesia cantari consueuit, cùm quatuor notis Ecclesia Dei describatur, quibus eam ab Ecclesia Sathanæ discernere liceat, primo loco ponitur, quòd sit vna. Nam sicut fides non est nisi vna, vt quicquid præter vnam fidem est, perdifiam esse, non fidem dicat Hilarius: Sic Ecclesia quoque non est nisi vna, vt quicquid præter vnam est Ecclesiam, Sathanæ Synagoga, non Ecclesia rectè vocetur.

Aug. li. 3. de Baptismo contra Anabaptistas, cap. 16.

Vnitas certum signũ ecclesiæ, qua discernitur ab Ecclesia Sathanæ.

Hilarius ad Cõstantiũ.

Ecclesia nõ nisi vna.

Neque verò non intelligunt hoc hæretici, esse certissimum & maximè proprium Ecclesiæ signum vnitatem: Quare cùm sit res manifestior, quàm vt ambigi de ea possit, rixam nobis de nomine suscitant. Etiam inter Turcas, etiam inter latrones esse dicunt vnitatem. At nobis hæretice, non de Turcis, non de Iudæis, non de latronibus, sed de Catholica Ecclesia sermo nunc est: itaque non de illorum, sed de huius vnitate nunc loquimur. Scimus & malis non deesse suam vnitatem, qua nihil Ecclesiæ perniciosius esse posse, in suis moralibus docet diuus Gregorius. Verùm nos nunc non loquimur de vnitate carnis, de qua scriptum est: A scintilla vna

Vnitas malorum.

Gregor. lib. 41. capit. 3. Eccle. 11. Quæ vnitas arguat Ecclesiam.

augetur ignis, & ab vno doloso augetur sanguis: Sed loquimur de Spiritus vnitate, quam diligenter nobis commendat Paulus, atq; vt eam, supportantes inuicem in charitate, seruare soliciti simus in vinculo pacis, hortatur. Hanc autem vnitatem ab eo seruari docet Hieronymus, qui non rapitur omni vento doctrinæ, neque in morem stulti, quasi Luna mutatur. Hic locus, inquit, vel maximè contra Hæreticos facit, qui pacis vinculo dissipato, atq; corrupto, putant se tenere Spiritus vnitatem, cùm vnitas Spiritus in pacis vinculo seruetur. Quando enim nõ idipsum omnes loquimur, & alius dicit: Ego sum Pauli: alius, ego Apollo: alius, ego Cæphæ: diuidimus Spiritus vnitatem, ac eam in partes ac membra discerpimus. Quibus verbis, quàm iis, clariùs depingi potuistis? An non rapimini vos omni vento doctrinæ? an non in morem stulti quasi Luna mutamini, modò non in horas? nunc Lutheristæ, mox Caluinistæ, non ita multò pòst Anabaptistæ.

Ephes. 4.

Hieronym. in Epist. ad Ephes. ca. 4. Vnitas Spiritus.

1. Cor. 1. Hæretici quam vnitatem non seruent.

Deinde verò: Nonne fuimus omnes ante quadraginta hos annos pacis vinculo colligati? Eramus vnum corpus, vnus Spiritus, sicut vocati fuimus in vna spe vocationis nostræ: vnus Dominus, vna fides, vnũ Baptisma, vnus erat Deus & Pater omnium. Cedo hæretice, quis dissipauit, quis rupit hoc vinculum pacis? quo primùm autore factum est, vt non idipsum omnes loqueremur? vt diceret hic: Ego sum Lutheri: alius, ego Zuinglij: rursus alius, ego Pacimontani,

Lutherani ruperunt vinculum pacis.

Ephes. 4.

tani, vel Schuenckfeldij, vel Serueti? Perfrica frontẽ, & ex tuis autorem fuisse nega. Scio tibi quàm minimum frontis esse, nondum te tamen ita pudorem omnẽ abiecisse puto, vt quod ipsa luce scis esse clariùs, id negare audeas.

Est igitur Ecclesiæ præcipua dos vnitas, & vnum omnium certissimum signum, quo Catholica dignoscitur ab Hæretica, quam quanto studio commendatam nobis Christus voluerit, indicat illius precatio, qua vsus est ad Patrem suum cœlestem illa ipsa hora, qua iam erat semetipsum traditurus pro nobis oblationem & hostiã Deo. Quid enim aliud precatus tum est, quàm vt vnum cum ipso, vnum et inter nos essemus? quod non pro iis tantùm rogauit, qui tum præsentes aderant, verum & pro iis, qui credituri essent per sermonem eorũ, quotquot in præsenti crederent, quotquot posteris etiam ætatibus aly per alios essent credituri: hos, vt consertam coronam Patri tum offerens, vnionis Ecclesiasticæ cathena verè aurea colligari petiuit vniuersos, vt omnes vnum essent ex vniuersis, qui continua successione Euangeliũ suscepturi erant, vnam congregationem constituens, quæ propterea Catholica, hoc est, vniuersalis Ecclesia nominatur, vt quæ non in aliquo orbis parte, sicut veteris religionis populus, sed vniuerso orbe, neque ad certum aliquod tempus, sed ad consummationem vsq; seculi, neq; peculiariter ex Israëlitis, sed ex omnium hominum nationibus esset congreganda, ad incomprehensibilem in-

Commendatio vnitatis Ecclesiasticæ.

Ioan. 17.

Christus in oratione sua pro vnitate Ecclesiæ & Christifidelium precatus est.

Ecclesia Catholica quę

ter ſeſe & cum ipſo vnionem: Quam quò diligentiùs retinere ſtuderemus inter nos, nihil aliud, quàm vinculum illius pacem teſtamento nobis legare dignatus eſt: Quin & mortis illius tam acerbæ, tam etiam ignominioſæ, alia non cauſſa fuit, quàm vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.

Ioan. 15.
Ioan. 11.

Lutherani diuiſionis autores.

Sed vos, Lutherani, & quod nobis teſtamento per illum legatum eſt, repudiaſtis, & precationem ipſius, ex incredibili quadã erga nos charitate profectã, nullum vobis fructũ afferre paſsi eſtis, et immenſum illud crucis & mortis illius beneficium, quantùm in vobis eſt, irritũ et inane reddidiſtis, dum, quod anteà diſperſum, poſteà ſanguine Chriſti precioſo fuit congregatũ, id vos iterum diſperſiſtis. Eſt né hoc Chriſtianos eſſe? Eſt né hoc Euangelium Chriſti profiteri? Chriſtus ex duobus fecit vnũ (fecit enim vtraq; vnum, dicit Apoſtolus) vos ex vno feciſtis duo, ac plura etiam, quàm duo. Altare contra altare erexiſtis, Cathedram contra Cathedrã cõſtituiſtis. Obſecro vos per Deum immortalẽ, quid eſt hoc aliud, quàm Antichriſtos eſſe? quàm non Chriſti Euangelium, ſed Sathanæ Cacangelium profiteri? Sicut enim Chriſtus eſt, qui cõgregat, ita Sathanas eſt, qui diſpergit. Impios illos milites, qui Chriſtum in crucem egerunt, immanitate veſtra ſuperaſſe videmini. Venerunt enim impij illi, & non fregerunt crura Chriſti: veniſtis vos ſpeciẽ pietatis habẽtes, virtutem autem eius abnegantes, & dirupiſtis, ac in multas partes concidiſtis totũ corpus Chriſti, vnã, ſanctã, Catho-

Ephes. 2.

Hæretici crudeliores militibus Chriſtum crucifigentibus.
Iohan. 19.
2. Tim. 3.

Catholicam, Apostolicam Ecclesiam. Integrum Christi corpus inter manus persequutorũ in cruce permansit, & inter manus Christianorum non est integrum corpus Ecclesiæ, pro qua verum & viuum corpus suum in mortem Christus tradere dignatus est?

OBIECTIO NOVATORVM XVII.

Si impij hypocritæ docuerint pugnantia cum cœlesti doctrina, quales esse Papisticos Prælatos, à nostris probatum est, necesse habet Ecclesia, eos fugere & vitare. Sic enim impios doctores fugere, non est nec Apostolicam doctrinam, nec Catholicam Ecclesiam deserere, sed verè in ea permanere. Torquent quidẽ Papistæ in nostram desertionem illud Ioannis: E nobis profecti sunt, sed non erant ex nobis. Non considerant autem, quid præcedat. Antichristi (inquit Ioannes) multi cœperunt esse. Cùm igitur accusemus Papisticum sodalitiũ Antichristianismi, et re ipsa manifestum sit, eos impia docere, & institutionem Sacramentorum Christi depravare, necessitas salutis nostræ exigit, vt colluuiem eorum, qui in Apostolica doctrina non permanserunt, detestemur, & quàm cõtento possumus cursu fugiamus. Quid enim apud cæcos doctores diutius hæsissemus? Si cæcus, inquit, cæcum ducit, ambo in foueam cadunt. Quid spei de vera nostra salute nobis in turba Pseudoprophetarum, & inter Satellites Antichristi relictum esset? Veniunt, inquit, ad vos in vestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Ecclesia vna.

1. Ioan. 2.

Matth. 13.

Matth. 7.

RESPONSIO CATHOLICA.

Valde dolet hæreticis, quando in illas accõmodan-

1. Ioan. 2. Lutherani prodierunt ex Catholicis.

tur illa verba ex epistola Ioannis: *Ex nobis prodierũt, sed non erant ex nobis. Nã si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum. Quid verò potuit magis aptè et appositè de istis dici? Quæso te Nouator, vt ipse diligentiùs hæc verba excutias, & videas, an non rectissimè quadrant in vos? Primum illud, num quid verissimum nõ est, quòd à nobis prodieritis? Est hoc certè manifestius, quàm vt vllo modo negare possitis. Ante quinquaginta hos annos certum est & indubitatum fuisse vos nobiscum in eodem ouili Christi, vnanimes in eadem domo Dei nobiscum habitasse, in qua simul agnũ comedebatis, commune fuit vobis nobiscum altare, communis cathedra, communia sacra omnia. Nõ audiebantur tum illæ voces: Ego sum Lutheri, ego Zuinglij siue Caluini, ego Balthasaris Pacimontani siue Memnonis, ego Schuenckfeldij, ego Serueti siue Cãpani, ego Philippi Melanthonis, ego Brentij, ego Osiandri, ego Flacci, ego nescio cuius alterius Schuermeri: Nihil horum ante triginta proximos superiores annos fuit auditum, sed vnanimes vno ore honorificabamus Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Terra labij fuit vnius, & eorundẽ sermonũ. Multitudinis credentiũ erat cor vnum & anima vna: & sicut horrendũ Dæmonibus, sic iucundũ fuit Angelis spectaculũ, cùm viderent habitare fratres in vnũ, cùm cernerent illũ verè populũ Israël, de quo scriptũ est: Egressi sunt omnes filij Israël, vt pariter congregati quasi vir vnus. Stãs oĩs populus, quasi vni° sermone respondit.*

Consensus & pax Ecclesiæ ante Lutheranismum.

Rom. 15. Gen. 11. Actor. 4. Psalm. 232. Iudith. 20.

Con-

Conuenit vniuersus Israël ad ciuitatem quasi homo vnus, eadem mente, vnoq; consilio. Congregatus est populus quasi vir vnus in Hierusalem. 1. Esdræ. 3.

In hoc itaque populo Israël, in hac vnitate fidelium, in hac Ecclesia nostra Catholica vos aliquando fuistis: Ipsa vos genuit, ipsa vos in sinu suo fouit aliquandiu, in ipsa veram fidem professi estis, sed ex ea posteà per schisma sacrilegum excessistis, vt rectè possimus de vobis illud Psalmi dicere: Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, & si is, qui oderat me, super me maligna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Cedo Lutherane, non ambulauimus in domo Dei cũ consensu, ante quinquaginta hos annos? Vnde ergo nunc ista dissensio? Qui intus erat, inquit Augustinus, foris factus est, ambulauit mecum in domo Dei cum consensu, aliam domum erexit contra domum Dei. Quare illa relicta est, vbi ambulauimus cum consensu? Quare illa deserta est, vbi dulces capiebamus cibos? Constat ergo iam hæretice, quòd ex nobis prodiistis, quòd intùs aliquando nobiscum fuistis, nunc autem foris facti estis.

Lutherani aliquando fuerunt in Ecclesia, sed exierunt ex ea.

Psal. 54.

Augusti. in Psal. 54.

Restat iam, vt videamus, an illud quoque de vobis rectè dictum sit, quòd non eratis ex nobis. Probat hoc Ioannes iis verbis: Nam si fuissent, inquit, ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Cùm in Ecclesia

De loco Ioãnis, non eratis ex nobis.

Lutheranos nunquà verè fuisse ex Catholicis.

nobiscum fuissetis, corporibus tantùm fuistis, non autem spiritu, falsoque fidelium nomen obtendebatis. Nam si verè fideles fuissetis, nunquam ab Ecclesia defecissetis. Quare sicut palcæ, licet in eadem area tritico sint permixtæ, non tamen in tritico censentur: ita vos, licet in eadem Ecclesia, quæ Christi corpus est, veris membris permixti fueritis, in illis tamen censeri non potuistis.

Augustinus in epi. Ioan.

Præclarè Augustinus: Omnes Hæretici, omnes schismatici ex nobis exierunt, id est, ex Ecclesia, sed non exirent, si ex nobis essent. Antequàm exirent ergo, non erant ex nobis. Sic erant, inquit, in corpore Christi, quomodo humores mali: quando euomuntur, tunc releuatur corpus. Sic isti quãdo exeunt, tunc Ecclesia releuatur: & dicit, quando eos euomit, atque proiicit corpus: ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, Non erant ex me? Non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant, cùm inessent.

Lutherani quomodo fuerint in Ecclesia Catholica.

Psal. 130.

Vides, quàm & hoc bellè quadret in vos, qui cùm ambularetis in magnis & mirabilibus supra vos, nouas quasdam opiniones inuexistis, vt vos à Christi corpore nefario schismate separare, quàm ab illis discedere malueritis.

Nouatores falsam caussam suæ diuisionis prętendunt.

Quòd ergo diuisionis siue discessionis vestræ eam caussam affertis, quasi videlicet nos Catholici pietatis à pia doctrina discesserimus, merum commentum est, quo hominibus turpiter imponitis. Quid enim? An non eandem suæ quoque discessionis à nobis caussam adferunt Sacramentarij? qui, quod vos nobis horren-

dum idololatriæ crimen impingitis, idem & ipsi vobis obiiciunt, vt non magis nos vobis, quàm vos illis idololatræ sitis. Lege quam scripsit epistolam ad sereniſsimum Regem Poloniæ Ioannes à Lasko, cui respondet Ioachimus Vuestphalus, & ita rem habere cõperies. Deinde verò an vtrosque & impiæ doctrinæ, & peruersi Sacramentorum vsus non similiter condemnant Anabaptistæ, Schuenckfeldiani, Seruetiani & Picardi? an idem sibi ius non esse dicunt, se à vobis separandi? Si satis est dicere, estis & vos non modò Catholicæ Ecclesiæ, verùm & istorum hæreticorum, qui paulò antè iurati fratres vestri fuerant, iudicio impij & idololatræ. Sic nihil adfertur à vobis contra nos, quod non similiter ab aliis Hæreticis adseratur contra vos. Nec secùs æquum est fieri, vbi permittitur vnicuiq; de doctrina iudicandi potestas, vbi accusasse, vicisse est.

Hæretici mutuò impiè doctrinæ accusant.

Sed si quis recta ratione rem expendat, huius discessionis, qua vos à nobis nephario schismate separastis, arrogantiam, fastum, proteruiam vestram præcipuam fuisse caussam dixerit. Nam cùm nonnihil gratiarum, donorumq; suorum Deus in vos, pro sua benignitate, contulisset, cùm nec ingenium vobis, nec doctrina, nec linguarum peritia, nec præclara pleriſq; dicendi scribendiq; facultas deesset, has esse Dei gratias obliti, quas ille sicut nõ paucis Catholicis, ita vestrûm quoque nonnullis largitus est, sic vos ipsos amare, sic vobis ipsi placere, sic magnificè vos efferre cœpistis,

Defectionis ab Ecclesia vera & præcipua causa.

1. Cor. 14.

atque

atque eò insolentiæ prorupistis, vt haud aliter, quàm si à vobis verbum Dei processisset, aut in vos solos peruenisset, illius possessione reliquos omnes excluderetis, & vniuersum orbem Christianum aut cæcitatis, quòd non videret in scripturis ea, quæ vos videre vobis videmini, aut impietatis, quòd sciens prudensq; agnitam veritatem oppugnaret, condemnaretis. Hæc arrogantia vestra præclarum illud pacis vinculum rupit, quo fueramus inter nos in vnitate Spiritus colligati. Nam cum illo, qui posteà detractus est in infernum in profundum laci, visi estis in cœlum conscendere, super astra Dei exaltare solium vestrum, ascendere super altitudinem nubium, & esse velle similes Altissimo. Quicquid à sanctis Patribus traditũ, quicquid Conciliorum autoritate constitutum, quicquid incredibili totius orbis Christiani consensu, tot seculis est receptum, id tanquàm hominum commentum reiici: quod autem vobis placuisset, id tanquam Dei verbum ab omnibus adorari voluistis. Quorsum autem aliò spectabant hæc, quàm quòd vos pro Diis coli ab imperita multitudine cupiebatis? Et certè quæritur Osiander, quòd triginta sex loca produxerit è scripturis, quibus habitare Deum in nobis demonstrauit, neque tamen pro Dei verbo, quod è scripturis protulerat, habitum fuerit. Simul vt idem hoc à Philippo dictum est, statim tanquam Dei verbum adoratum esse. Hæc itaque diuinitatis affectatio, quæ & Cherubim illum sapientia præstantem de cœlo, et primum parentem

Esa. 14. Arrogantia Nouatorũ.

Hæretici volũt pro Diis coli.

Osiander.

tem nostrum de Paradyso deturbauit, vos à compage Christi corporis vna sancta, Catholica, Apostolica Ecclesia diuulsit.

Ac initium quidem huius rei profectum est ab ea, quam rectè Paulus vocat idolorum seruitutem, auariti i, cùm quem sibi suisque deberi quæstum Lutherus putabat, eum ab aliis intercipi ferre non posset. Sed fuit ista caussa quædam discessionis remotior: cæterùm postquam ei non defuerunt applausores, qui cùm illum solida plaustra conuitiis onusta, in mores vitamq; nostram effundentem viderent, subinde euge, euge, acclamabant: ea demùm res animum homini addidit, quò minùs cunctanter ab vnitate Ecclesiæ discederet. Non igitur doctrina nostra, iudicio vestro parùm pia, sed superbia vestra non minor, quàm fuit illius Angeli, quem de cœlo deiectum esse paulò antè commemorauimus, discessionis huius caussam dedit. Quòd si spiritus minùs altos gessissetis, si, quemadmodum nos esse dicitis, ita & vos homines, atque hoc ipso errori obnoxios esse, recordari voluissetis, si, quod monet Paulus, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, ei parêre, in animum inducere potuissetis, nunquam hæc tam pernicioſa & sacrilega separationis consilia amplexi fuissetis.

Ephes. 5.

Lutherum auaritia & inanis gloria perpulit ad schisma.

Philip. 2.

OBIECTIO NOVATORVM XVIII.

In regno Israëlitico Rex Achab, Princeps, Sacrificuli Baal, & maxima pars populi coniungebantur concordia

Ecclesia vna.

3. Reg. 17.

concordia & vnitate in cultu Baalitico, Elias autem discedebat ab eis. Ergóne illi vera erant Ecclesia, quia consentiebant, Elias autem hæreticus, quia hanc consensionem deserebat?

RESPONSIO CATHOLICA.

Atqui neq; Cæsares, neq; Reges, neq; verè Catholici Principes nostri, cum Achab impio rege cõmune quicquam habent: neque nos sacrificuli sumus Baal, nec in cultu Baalitico, sed in cultu veri Dei populus Christianus concordia nobis & vnitate coniungitur. Et quantum est inter Eliam ad iudicium venturi Christi, & Lutherum Anchristi præcursorem, tantum & discrimen inter pios Reges hos, & impium Regem Achab, inter sacrificulos Baal, & institutos à Christo Sacerdotes nostros, inter eum populum, qui tum fuit illis, & qui nunc est istis vnitate coniunctus.

Populi Christiani cõcordia in quo consistat.

Quòd si, quemadmodum olim Donatistæ, sic vos nunc etiam de paucitate vestra gloriari vultis, & propterea vos cum paucis illis cum Elia coniunctis recte comparari posse putatis, quòd multò maior Catholicorum, quàm vestrorum est numerus, cur eandem licentiam non permittitis de suorum quoque paucitate gloriandi viro, non minùs docto, quàm sitis vos, Osiandro? qui & ipse ab iis, qui sunt Confessionis Augustanæ non aliter, quàm Elias ab impiis Prophetis Achab discessit, & suos hortatur, si propterea minus autoritatis tribuere velint doctrinæ suæ, quàm Philippianæ, quòd plures sint, qui Philippum, siue confessionem

Hæretici quàm rectè glorientur de paucitate.

sionem Augustanam sequantur, vt eadem ratione se ad Pontificios conferant, qui multitudine Philippianos multò superant. Sic & ille Philippianos non alio loco, quàm quo Prophetas Achab, habuisse videtur. Interea tamen vide hæretice, quàm verè dicas, quòd ab Achab & eius Prophetis Elias discesserit, cùm illis coniunctus nunquam fuerit. Vos autem & pientissimis Regibus & Episcopis Catholicis, ante triginta hos & quadraginta annos, ita doctrinæ, religionis & concordia coniuncti fuistis, vt idipsum sentiremus omnes, idipsum diceremus, idem saperemus.

OBIECTIO NOVATORVM XIX.

In occidendo Christo, conueniebant vnanimi consensu Caiphas, Annas, Pilatus, Principes, Pontifices, Sacerdotes, Senatores, & vulgus. Quare fremuerunt, inquit Psalmus, gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Vtamur igitur Dialectica Papistarum, & dicamus, hos esse Ecclesiam Dei, Iosephum autem & Nicodemum esse hæreticos, quòd ab his discesserint.

Ecclesia vna. Matth. 26. 27. Luc. 22. 23. Impiorum conspiratio in mortem Christi. Psal. 2.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quorsum autem hæc hæretice? vide quantum absis à blasphemia: dum Synagogæ statum, quæ cum honore fuerat sepelienda, cum Ecclesiæ statu confers, quam fundauit Deus in æternum. Scilicet ad nouum aliquem Christum nos ducere vultis, vt quod semel de Christo Dei filio factum est, id fiat iterum? Futurũ vt occideretur

Psal. 47.

Prędictũ de Christo vt occideretur nõ quòd occisus ignoraretur in Ecclesia.

Hierem. 4. Ezech. 7. Michęæ. 3.

occideretur Christus, vt sacerdotium legis transferretur, & alio Deo magis grato commutaretur, vt ceremoniæ Iudæorum ad coruscantem Euangelij lucem velut vmbræ quædam euanescerent, Prophetarum vaticiniis prædictum erat: deq; temporibus illis, quibus hæc facta sunt, scripserunt Prophetæ, quòd in die illa peribit cor Regis & cor Principum: & obstupescent Sacerdotes & Prophetæ consternabuntur: Lex peribit à Sacerdote, & consiliũ à senioribus. Nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione. Et occumbet Sol super Prophetas, & obtenebrabitur super eos dies: Quæ omnia, sicut scripta, sic tum impleta sunt.

Sed quis vnquàm Prophetarum prædixit hoc futurum, vt posteaquàm semel occisus est Christus, in credentium cordibus in æternum victurus, eum nihilominùs ab Apostolis prædicatum totus orbis ignoraret, & pro Deo coleret idola: tum quotquot in Apostolorum vices successerunt, excæcati nihil viderent in sacris literis: deinde post mille quadringentos annos, nescio quibus vobis Euangelistis ad veritatis cognitionem reuocaretur? Hoc est hæretice, quod vos vnigo nimis (heu) credulo persuadere conati estis, per omne tempus id Ecclesiam caruisse Christo, sterilem, sponso, sponsam pro Deo coluisse laruas & idola, in sacris literis enarrandis fuisse prorsus cæcam, miracula Sanctorum nihil aliud fuisse, quàm præstigias Daemonum. Cedò Nouator, quibus Prophetarum oraculis

Augu. in 1. Ioan. Canonicam, tractatu 6.

hæc

hæc ita futura prædictum est? Nam quæ tu de Christo facta scribis, multis antè seculis prædixisse Prophetas legimus. Quòd si soluere Christum hoc est, quod occidere Christum (soluit autem Christum, si quid Augustino credimus, qui disrumpit Ecclesiam, qui schismata facit, qui vel Ecclesiam à capite suo Christo, vel seipsum ab Ecclesia, vel Ecclesiam in se ipsa separat ac diuidit) quid potuit verius dici, quàm quòd in occidendo Christo conuenerunt vnanimi consensu Lutherus, Philippus, Brentius, Flaccus, Carolstadius, Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus, Moncerus, Paeimõtanus, Menno, Schuenckfeldius, Campanus, Seruetus, Pastores atq; ministri illis cõiuncti? Nunquam illi, quos tu commemorasti, tam atrociter sæuierunt in verum & viuum corpus Christi, nunquàm illud ita lacerarunt & conciderunt, sicut à vobis laceratum, concisum, & in partes innumeras dissectum videre licet mysticum Christi corpus Ecclesiam.

Christũ soluere quid.

In necem Christi conueniunt hęretici nõ minùs quàm olim Iudæi.

OBIECTIO NOVATORVM XX.

Quid nos Euangelici Ecclesiam, quam semper in ore habent Papistæ, curamus? Quid multùm sumus soliciti de ea, cum hominum tantùm & quidem eorum, qui errare & peccare possunt, congregatio sit? Nos potius, missa ea, in Christum vnicum mediatorem, saluatorem, ac redemptorem nostrum omnem spem ac fiduciam nostram collocabimus, minimè dubitãtes, quin certò statuentes, nos in extremò Iudicio hæreditatem regni cœlestis sine omni dubio ab eo consequuturos.

Ecclesia vna.

An extra vnitatem Ecclesię sit spes salutis æternæ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Qua in re coram tribunali Christi vos Nouatores fiduciam vestram collocaturi sitis, nescio, qui vos ab ipsius Iudicis Christi corpore separastis. Nos certè non in alia magis re spem nostram omnem defixam sumus habituri, quàm quòd vniuscuiusque nostrûm portio, caro & sanguis est in eo ipso, quem iudicem expectamus, Iesu Christo Domino nostro. Vbi portio nostra regnat, ibi nos quoque regnaturos credimus: vbi caro nostra glorificatur, ibi nos foregloriosos confidimus: vbi sanguis noster dominatur, ibi dominaturos et nos persuasum habemus. Et si peccatores nos agnoscimus, à communione tamen ista confidimus: & si peccata nostra nos prohibent, substantia tamen requirit: & si delicta nostra nos excludunt, naturæ communio non repellit. Non est tam immitis Dominus, vt obliuiscatur hominis, quem ipse gestat, quem nostra causa suscepit, propter quem horrendum ignominiosæ mortis supplicium adire dignatus est. Non est tam asper & crudelis, vt non diligat carnem suam, membra sua, viscera sua. Caro tua sumus, ô Iudex viuorum & mortuorum, sanguis tuus sumus, membra tua sumus, qualiacunq; tandem, sed membra tamen esse tua nunquàm desiimus, nunquàm nos à corpore tuo, nunquam ab Ecclesia sancta tua, vel per hæresim aliquam, vel per schisma præcidimus. Carnem tuam Domine ne despexeris, carnem tuam odio ne habueris, carnem tuam ne condemnaueris. Nulla est alia spes, nulla fiducia,

Catholici, qua in re coram tribunali Christi, fiduciã suã collocent.

Ad Iudicem Christũ pia precatio, & Catholica simul protestatio.

Catholici mẽbra Christi.

nulla

nulla gloriatio nostra, nisi quòd tu caro nostra es, quòd nos caro tua sumus. Nõ gloriamur de meritis nostris, non habemus in illis fiduciam nostram collocatam: de hoc solo gloriamur, in hoc solo confidimus, quòd membra sumus illius corporis tui, quod pro nobis passum, crucifixum & mortuum, abundè pro peccatis totius mundi satisfecit. Quamobrem si merita à nobis requiris, ecce proferimus tibi merita corporis tui, quod cùm de nostro sit, nostra sunt & illius merita: proferimus tibi meritum passionis tuæ, meritum crucis tuæ, meritum mortis tuæ. Hæc sunt merita nostra, quæ tu clementissime Domine, nobiscum, pro immensa benignitate tua, communicare dignatus es, secundum hæc merita abs te iudicari postulamus: his meritis freti, coram tribunali tuo nos intrepidi sistimus. Nostra sunt, quia nostri sunt capitis: nostri sunt corporis, à quo nos nefario schismate nunquàm præcidimus. Hæc merita interponimus inter nos & inter iudicium tuum: aliter iudicio tecum contendere nolumus, de quo solenniter protestamur. Cum hac fiducia nos accedemus ad tribunal Christi: hoc solo freti, quòd caro illius, quòd sanguis illius, quòd membra sumus corporis illius, nec aliter coram illo caussam nostram perorabimus.

Catholicorum merita.

Cæterum, vos Nouatores, num aliquid in illius carne & sanguine spei collocare, num pari cum fiducia illius corporis merita vobis vendicare poteritis? A quo non ipsi modò vos per sacrilegum schisma præcidistis, verùm etiam tot præcisionum, tot sectarum

Misera fiducia Nouatorum, qua se & suos coram Christi tribunali cõsolari tentant.

aliis duces & autores fuistis, ac multò crudelius mystícum Christi corpus tractastis, quàm impij milites viuum illud, quod in crucem egerunt? Nam illi, sicut prædictum erat, os non comminuerunt ex eo: vos autem quas ex eo particulas non fecistis? Ego vero non dubitauerim affirmare, quàmuis nihilo sitis nobis meliores, si tamen admirabili quadam essetis vos sanctimonia conspicui: si fidem, de qua sola gloriamini, tantam haberetis, vt ea etiam montes transferre possetis: si facultates vestras omnes in cibos pauperum erogaretis: denique, quod magis mirum est, si corpora etiam vestra omni genere suppliciorum excrucianda pro Christi nomine traderetis, nihil hæc vobis omnia coram illo Christi tribunali profutura: siquidem extra Christi corpus nulla sunt merita, quæ prodesse queant: In Christi corpore valent, quicquid valent, merita nostra.

Exod. 12.

1. Cor. 13.

Hæreticis, corã tribunali Christi, nihil proderit.

OBIECTIO NOVATORVM XXI.

Quicquid dicunt Papistæ, ad veram, hoc est, spiritualem vnitatem, de qua nos loquimur, & sine qua non potest existere fides in corde seu iustitia cordis coram Deo, dicimus non esse necessariam similitudinem rituum humanorum siue vniuersalium, siue particularium.

Ecclesia vna. Apologia Augustanæ cõfessionis.

RESPONSIO CATHOLICA.

Sicut Catholica Ecclesia sua habet Sacramenta: ita

sic habet & suas ceremonias & ritus, sine quibus Sacramenta rectè administrare nemo potest. Et hinc, authore Spiritu sancto, primum Apostoli, deinde tota Catholica Ecclesia certos ritus, certas normas, quibus sese omnes Christiani applicarent, instituerunt, nempe, vt communicaturi corpus Domini primùm cœlesti pabulo animam suam nutrirent, vt certis ceremoniis res diuinas pertractarent, certis diebus ieiunarent, certas ferias diuinis obsequiis exigerent, vt sacerdotes, aliique diuinis officiis mancipati, certis horis in cordibus suis & voce Domino psallerent, certis horis orarent, & alia pleraque, quæ particulatim enumerare non est operæ precium. Et hoc maximè videtur Ecclesiasticam exornare harmoniam, vt qui in fide nihil discrepant, in ceremoniis non sint impares. Qui ceremoniis Ecclesiæ mauult dura ceruice obstrepere, quàm animo simplici obedire, palam facit, se iustum non esse coram Deo, quia Ecclesiæ, imò Deo reluctatur, cuius bona voluntate omnia in Ecclesia rectè decernuntur. Nam Deus Ecclesiam regendo constitutionesque in ea ac per eam faciendo nunquàm errat, nihil perperam ordinat.

Ecclesiæ Catholicæ ritus & Ceremoniæ.

Ceremoniis Ecclesiæ reluctantes nō sunt iusti.

Parum habet roboris, quòd dicunt, iustitiam fidei non esse alligatam certis traditionibus. Fatentur quidem Catholici, has Ecclesiæ traditiones non ita ad iustitiam necessarias esse, aut eis iustitiam fidei alligari, vt nisi istæ essent traditiones, fides iustificare non posset, sed quòd horum vt diuinorum contemptus

Traditiones Ecclesiæ quomodo sint necessariæ ad iustitiam.

mandatorum iustificationem impediat. Hinc Apostolus, vbi fecisset mentionem de præceptis, quæ ipse dedisset, subintulit: Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum sanctum in nobis. Vides hîc Paulum confidenter dicere, quòd Deus dederit Spiritum sanctum in corde suo, quodq́; ob hoc præcepta sua maiorem sortirentur energiam, & quòd illi magis ad eorum ob hoc obseruantiam obligarentur. Hic libenter audirem, quorsum & quàm feliciter aduersarij nostri hanc Pauli sententiam torquerent. Si trahant ad diuina, nimirum obseruari oportuit. Si ad humana, necessariò dicent, iustitiam nullis traditionibus alligari, & errauisse Paulum, vtpote qui pias mentes præceptis onerauerit, quæ nihil conducunt ad iustificationem. Sed clarum est, Apostolum loqui de præceptis, quæ ipse eis dedisset, qui tamen homo erat. Nam de diuinis præceptis subiecit paulò antè & paulo pòst. Si vni licuit Paulo statuere, cur item non liceat toti Ecclesiæ? Non est minor totius Catholicæ Ecclesiæ, quàm solius Pauli authoritas. Si Paulus potuit Thessalonicenses ad suorum obseruantiam mandatorum compellere, cur idem non liceat Ecclesiæ? Si dicant Paulum Spiritum sanctum habuisse, idem de Ecclesia Catholica dicunt orthodoxi, & susq́; deq́ue ferunt, quoquo versum hanc sententiam vertant. Nam vndequaque Paulo & Ecclesiæ conuenit.

1. Thes. 4.

Cõtemptus rituum Ecclesiæ damnat.

Capiuntur hîc aduersarij.

OBIE-

OBIECTIO NOVATORVM XXII.

Sicut dissimilia spatia dierum ac noctium non lædunt vnitatem Ecclesiæ, ita sentimus non lædi veram vnitatem Ecclesiæ dissimilibus ritibus institutis ab hominibus. Quanquam placet nobis, vt vniuersales ritus, propter tranquillitatem, seruentur. Sicut & nos in Ecclesiis ordinem Missæ, diem Dominicum & alios dies festos celebriores libenter seruamus. Et gratissimo animo amplectimur vtiles ac veteres ordinationes, præsertim cum contineant pædagogiam, quæ prodest populum & imperitos assuefacere & docere. Sed non disputamus nunc, an conducat propter tranquillitatem, aut corporalem vtilitatem seruare. Alia res agitur. Disputatur enim, vtrùm obseruationes traditionum humanarum sint cultus necessarij ad iustitiam coram Deo. Ecclesia vna.

RESPONSIO CATHOLICA.

Benè ratiocinantur aduersarij, quòd dissimilia spatia dierum ac noctium nõ lædunt vnitatem Ecclesiæ, quia omnes nouerunt hunc rerum ordinem omnibus rebus à Deo esse attributã, vt omnia, secundum suã naturã, voluntati Dei parerent. Et quàm diu omnia agunt secundum naturam suam, nemo læditur, nemo offenditur. Læderẽtur verò plurimi, si hunc ordinem inuerterent, vtpote prouidè à Deo institutũ. Sic turbatur & vnitas Ecclesiæ, si qui forte Ecclesiasticarũ harmoniam traditionum propria temeritate violarent. Si verò, quod isti nolunt, ex integro obseruentur in

Nouatores traditiones Spiritus sancti vocãt humanas.

suo robore, accreſcit Eccleſiaſticæ vnitati non parum gaudij. Tam pertinaciter malitioſi ſunt iſti, vt ſemper dicant humanas traditiones, quas non ignorant in Canonica Synodo à patribus, legitimè congregatis per Spiritum ſanctum, eſſe ordinatas. Spiritus ſancti ne ſemel quidem reminiſcuntur, odio arbitror Catholicorum, & vt ſuis facilius imponant humanarum traditionum nomenclatura.

Nouatores cur aliquos vniuerſales ritus ſeruẽt.

Placet eis, vt vniuerſales ritus propter tranquillitatem ſeruentur. Cur non placeret, quod placuit patribus, quod traditum eſt ab Apoſtolis, quod definitum Spiritu ſancto inſpiratore? Propter tranquillitatem, inquiunt, non propter præceptum, quaſi non periculi ſit, ſi omittas. Iam bona pars eorum neq; tranquillitatem, neque conſcientiam reſpiciunt, ſed volent non tantùm ceremonias abrogatas, ſed et omnes Chriſtiani orbis religionem radicitus eſſe euulſam, vt decreta, quæ apud Lutherum in thalamo nata ſunt, ſecuriùs vbique terrarum ſeruari poſſent.

Dies Dominicus.

Libenter ſeruant, vt ipſimet dicunt, in Eccleſiis ſuis ordinem miſſæ, diem Dominicum, et alios dies feſtos celebriores. Quanta celebritate poſt peractum ſacrum, poſt iniquum ſemen diſiectum, diem Dominicum obſeruent, melius ſciunt tabernarij & lenones.

Feriæ diuorum parum religioſè apud Lutheranos peraguntur.

Quid de diuorum feriis dicam, cum nemo neſciat, ἐικονομάχους odio Diuûm, omnes eorũ ſolennes feſtorias abrogaſſe, niſi forte iam reſipiſcant ab errore? Ordinem miſſæ ſeruant, niſi quòd ſacrum Canonem

omnem

omnino omittunt, quem putant non solùm Catholicum non esse, sed etiã aperto Marte cùm scripturis pugnare. Sed qua veritate abrogent, ab aliis disceptatum est, certè hîc extra controuersiam est. Canonem abrogarunt Missæ Lutherani.

Amplectuntur veteres ordinationes, excipiunt tamen eas, quæ pædagogiam non continent: Hîc velim dicant, quæ sint illæ ordinationes, quæ pædagogiam non habeant. Catholici enim tenent, quòd omnes pædagogiam habeant. Hoc docent passim multi libri hac de re euulgati. Et in primis Rupertus, vir vndequaque doctissimus. Si autem omnes pædagogiam tenent, non debebant isti alias recipere, alias omittere, sed omnes gratissimo animo amplecti. Rursus, si gratissimo animo accipiunt vtiles ordinationes, ostendant nobis inutiles, quas tam apertè impugnant, quas tantis conatibus à suorum animis eripiunt. Sed neque vtiles tantum apud eos ponderis habent, vt obseruari debeant necessariò, sed solùm tranquillitatis causſa, non propter conscientiam, quasi dicant, nihil periculi est, siue serues, siue negligas, nam neutra parte peccas. Sic enim hîc dicunt controuersiam esse, vtrùm obseruationes traditionum humanarum sint cultus necessarij ad iustitiam coram Deo. Bene habet, quòd isti hoc dicunt: Nam si hoc dicerent Apostoli, exterrerentur orthodoxi, trepidarentq́, quòd tam anxiè traditionibus Ecclesiasticis paruissent. Sed aliter docet Paulus, aliter etiamnum Christus. Christus dicit se contemni, si quis forte vnum, qui Apostolicum munus susceperit, contemnat. Paulus putat obediendum esse primatibus, Traditionũ humanarũ obseruationes an sint cultus necessarij ad iustitiam coram Deo. Luc. 10. Rom. 13.

non propter timorem, ſed propter conſcientiam. Si propter conſcientiam iuſtis Prælatorum decretis obtemperandum eſt, relinquitur ſanè, decretorum obſeruantiam cultus eſſe neceſſarios ad iuſtitiam coram Deo. Si enim non obedieris prælatis, maculas conſcientiam inobedientia, negligentia, contemptu. Maculata autem conſcientia nónne peccato obligatur? Si autem peccato obligatur, nónne & pœnâ meretur? Vide nunc, quàm neceſſarij cultus ſint ad iuſtitiam coram Deo, qui contemptum Prælatorum, tanquam ſibi irrogatam iniuriam, tam atrociter in contumacibus vindicat.

OBIECTIO NOVATORVM XXIII.

Eccleſia vna.

Chriſtianiſmus tametſi velit vniformitatem fidei, in externis tamen ceremoniis non oportet. Sed cuique Sacerdoti & Chriſtiano liberum eſt ceremonias Eccleſiæ & Patrum, ac hominum traditiones, ſeruare vel non ſeruare: vt ſi ſeruârit, nullum opus bonũ fecerit. Sin autem non ſeruârit, tunc non peccârit. Nam ſic eſt conſcientia libera ab huiuſmodi inſtitutis, vt eis nec mereatur, nec demereatur, nec bona nec mala efficiatur. Vnde dicitur: Redempti eſtis ſanguine, nolite effici ſerui hominum. Et: Vocati eſtis in libertatem. Igitur pro hac libertate tuenda, etiam vita exponenda eſt, nec ſinatur periclitari conſcientia.

1. Cor. 7.

Galat. 5.

RESPONSIO CATHOLICA.

Traditiones ſeruare an liberũ ſit

Philip. 3.

Falſum eſt, quòd ſtet in noſtra libertate, ceremonias traditionesque ſeruare vel non ſeruare, quando primò Apoſtolus docet: Nos permanere in vna regu-

la. Et

la. Et: Traditiones seniorum præcepit in ciuitatibus seruari. Non inquit, potestis ea seruare vel non seruare. Et: Itaque, inquit, fratres state, & tenete. Ecce hîc imperat. Et Petrus obedire iubet omni humanæ creaturæ propter Deum. Et obedire debemus Præpositis. Nusquam igitur legitur in Paulo, traditiones sic datas, vt liberum esset vel seruare vel non seruare. Et Apostolus non loquitur hîc de vniuersali modo viuendi, ne scilicet obediremus atq; seruaremus institutum Maiorum: Sed contra fiduciam personarum, quàm Corinthij habebant, hic ad Paulum, alius ad Apollon, &c. Et ad Galatas loquitur de libertate circumcisionis, &c. Actor. 16. 2. Thessa. 2. 1. Pet. 2. Hebr. 13. 1. Cor. 7. Galat. 5.

Insuper distinguimus inter necessitatem & contemptum. Vnde si extrema necessitas exigeret, vt quis senex aut imprægnata non posset ieiunare, orare, vel sexta feria abstinere à carnibus: vel si quis in extrema paupertate laboraret die festo, pro sustentatione puerorum & vxorum, & id genus, tunc quoque fieret sine scandalo proximi, nemo esset, qui hunc damnaret: At facere ex contemptu superiorum, præter omnem necessitatem, ex mera carnis voluptate, tunc à peccato nemo excusatur. Nã contemptus, qui exit de corde, non cibus, facit peccatum. Et libertas carnis ceruitur contra doctrinã Pauli ad Galatas. Plus quoq; est obedientia, quàm victima. Et quasi peccatũ ariolandi est repugnare: et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Videant ergo hic contemptores, quales depingantur à Propheta. Traditionum violatio quando fiat cũ peccato. Matth. 15. Galat. 5. 1. Reg. 15.

OB-

OBIECTIO.

Ecclesia vna.

Non separatur ab Ecclesia, nec hæreticus est censendus, qui sibi nullius erroris est cõscius, qui pro parte sua habet scripturas, quæ mentiri non possunt. Potiùs ergò hæretici sunt censendi Papistæ, qui loco scripturæ propria sua proferunt somnia. Igitur sæpe fit, vt quos Ecclesia Papistica pro hæreticis damnat, sint Christianissimi & Euangelicissimi, vt Hus, Wuiclef &c. qui omnia sua solidissimis scripturæ locis firmârunt. Et è contra, qui se putant esse Christianissimos, sunt peruersissimi, vt Papistæ. Sed aliud est iudicium apud Deum, & aliud apud homines. Deus personam non recipit nec abiicit. Et Sapientia hos, qui se obseruant, a doloribus liberauit, scribitur sapien: 10. Veritas enim ac verbum Domini manet in æternum.

Actor. 10.
Sapien. 10.
Esa. 40. &c.
Psalm. 116.

RESPONSIO.

Non sequitur, Hæreticus non vult sibi esse conscius erroris, ergo non docet errorem. Nemo vnquam hæreticorum fuit, qui se fassus fuisset hæreticum. Neque sequitur: Habet pro se scripturas, ergo vera sunt, quæ dicit: Nulli enim vnquam hæreticorum defuit scriptura. Semper enim de scripturis gloriati sunt, sed perperam intellectis, & pro suo cerebro prauè pessimeq; contortis. Qui igitur Ecclesiam non audierit, & ab illius vnitate discedit, manifestò errare conuincitur. Deinde qui intellectum suum captiuare in obsequiũ Christi & Ecclesiæ noluerit, is, etsi prætextat scripturam,

Hæretici vtuntur scripturis sed malè intellectis.
Matth. 19.

1. Cor. 10.

pturam, audiendus non est. Non enim certamen est de scriptura, quæ sancta & vera est, sed de interpretatione scripturæ; quam singularem sibi vendicant hæretici, discedentes ab vniuersali Ecclesiæ intellectu et expositione. Et Dæmon obiecit Christo scripturam, sed Christus illi non cessit, propter prauum scripturæ intellectum. Ob id Spiritus probare docet Ioannes, an ex Deo sint, nécne. Matth. 4. 1. Ioan. 4.

Præterea, qui veteres damnatos errores, quos hæresum autores statuerunt, renouat, approbat, defendit, non solùm hæreticus, sed etiam hæresiarcha censendus est. Culpa similis est, tam prohibita discere, quàm docere. Æquum enim, vt immanissima sacrilegia par pœnæ magnitudo percellat. Et Ioannes in Extrauagantibus, quia quorundam mentes sic pater mendacij dicitur excæcasse, dicit: Si quis damnatas hæreses deinceps scienter verbo vel scripto defendere vel approbare præsumpserit, de fratrum nostrorum consilio decernimus, vt tanquàm hæreticus ab omnibus euidenter habeatur. Secus autem est, si quis, disputationis caussa, ad veritatis indagationem, aliquid reuocauerit, &c. 24. qu. vltima. Et c. de malef. & mathem. l. culpa. Ioan. 22.

Præterea Augustinus dicit: Qui sint in Ecclesia, & qui non, sic cognoscimus: Quicunq; de ipso capite, quod Christus est, dissentiunt, & à scripturis sanctis, isti non sunt de Ecclesia. Et rursus: Quicunque de ipso capite & scripturis sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia, quia de Chri- Aug. par. 2. contra Petiliani Donatistæ Epist. cap. 4. Quinã sint in Ecclesia. Ephes. 1.

de Christi corpore, quod est Ecclesia, dissentiunt: Nam quomodo poterunt esse vniti capiti, si à corpore distant & dissentiunt? Verbi gratia: Qui non credunt Christum in carnem venisse de virgine Maria, ex semine Dauid, quod apertissimè scriptura Dei loquitur: aut non resurrexisse, si per omnes terras inueniantur, per quas est Ecclesia, non tamen ipsi sunt in Ecclesia, quia caput Ecclesiæ Christum non tenent. Rursus: Si qui hîc credentes omnia, quæ scriptura testatur de Christo, attamen ab eius corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, vt eorum communio non sit cum toto, quacunque diffunditur, sed in aliqua parte separata inueniatur: manifestum est, eos non esse de Ecclesia. Hæc Augustinus. Ergo per consequens non sunt in statu salutis.

OBIECTIO NOVATORVM XXV.

Ecclesia vna.

Duæ Ecclesiæ sunt, Græca & Latina, quarum vtri credendum sit, non satis, vt aiunt, expeditum est. Responderi solet, Græcos esse schismaticos: idcirco apud eos Ecclesiam periisse. Quo iure? Quia à Romano Pontifice desciscendo priuilegium Ecclesiastici nominis amiserunt. Quid vero? an non multò magis amittunt, qui à Christo vero Ecclesiæ capite deficiunt? Atque ante Christi natiuitatem vna priorum omnium Ecclesia fuit, nec in ea tamen fuit vnus Pastor aut Rector. Non ergo ex vno Pontifice Ecclesiæ nomen ac veritas pendet. Ecclesia igitur Græca erit, quamuis Episcopo Romano non pareat. Quo videlicet

Ecclesia Græca à Romano Pontifice defecit.

delicet mortuo nihilo secius vna Ecclesia est, eademque & columna & firmamentum veritatis. Non ergo ex hoc capite Ecclesiæ veritas vnitasque existit. Sed si vnum Dominum habet, vnam Christi fidem, vnum Baptisma, si vnum filium agnoscit, vnum Spiritum colit, vnum Deum & Patrem omnium suspicit, vna Christi Ecclesia erit. Iis enim rebus vnam Christi Ecclesiam definit Apostolus. Nihil itaque caussæ est, cur Græci, in quibus ea omnia insunt, in quibusq; multi etiam boni sunt viri, Ecclesiam Christi non faciant. Arroganter igitur Ecclesia Latina, in fidei iudicio, Ecclesiæ Catholicæ sibi nomen vsurpat. Quapropter nisi idē cum Græca sentiat, Ecclesiæ vniuersalis autoritate caret: non tenemurq; perinde eius iudicium reuereri, ac si Catholica verè esset. 1. Tim. 3. Ephes. 4.

RESPONSIO CATHOLICA.

Hoc argumentum infirmum & nugatorium est, tametsi Caluinus inde exultare non dubitet, vnde erubescere debuisset. Ratiocinatur ille quidem interdum argutè, sæpius eleganter: Sed quandoque adeò ineptè, insulsè, frigidè, vt vix eum credas, non dico eruditionem acuménue, sed aut rationem omnino vllam, aut sensum etiam communem habuisse. Tantum hæreticus error & cæca pertinacia potest, vt omnem prorsus doctrinam adimat, intelligentiæ lumen extinguat, & vniuersam ingenij retundat aciem. Sed ad rem. Illud est verum, Græcos esse schismaticos, ideoq; apud eos Ecclesiam non esse. Credimus enim vnam Catho- Caluini argumētationes quales sint. Græcos esse schismaticos.

Catholicam Ecclesiam. Quare necesse est, vt qui ab vnitate se separat, quoniam non est in vna Ecclesia Catholica, ne in Ecclesia quidem ille sit. Nec Græci solùm schismatici sunt, sed sunt etiã hæretici: tum propter alia, tum hac præcipuè caussa, quòd negant vnum totius Ecclesiæ pastorem esse à Christo in Beato Petro institutum. Sed hæc importunè hoc loco, alibi opportunè differentur.

Græci hæretici.

Quòd si qui à Christo, vero Ecclesiæ capite, ita deficiant, vt ei abrogent fidem: hos fateor, ac multo etiam magis, priuilegium Ecclesiastici nominis amittere.

Mortuo autem summo pontifice, vna sine dubio Ecclesia manet, & manet in ea Spiritus veritatis. Sed manca & imminuta, sine Christi vicario, & Ecclesiæ Catholicæ vno pastore relinquitur. Quocirca licet veritas tunc etiam in Ecclesia sit, at si controuersiæ fidei & religionis oriantur: Ecclesiæ iudicia, sine capite, in terris non adeò certa erunt. Quæ persequi huius loci non est.

Ecclesia vbi sit, mortuo summo Pontifice.

Atqui Apostolus, cùm eo loco dedita opera Ecclesiæ vnitatem definire vellet, eius rei prorsus oblitus est, à qua re nos dicimus vnitatem Ecclesiæ pendere. Sed mirari satis non possum istorum hominum fiducitatem, qui cùm non seruârint vnitatem Spiritus in vinculo pacis, sed ab Ecclesiæ se corpore seiunxerint, Paulum eo loco nobis obiiciunt, qui illis vel aduersissimus est. Nam si vnum corpus, & non duo Christi

Ephes. 4.

habet

habet, quomodo nos duas Ecclesias admittemus? Et si vna est fides: qui in fide & religione discrepat, hic quomodo in vna Ecclesia est? Qui autem Christi vicarium contemnit, ísne vnum filium agnoscit? Certè qui cultum Dei pro suo sibi arbitrio fingit, is nec Spiritum vnum colit, nec Patrem vnum suscipit, nec in vna proinde Ecclesia est. Quæ sine recta & Catholica fide Deum vnum nec colere, nec habere potest. Verùm isthæc paucis refellenda sunt. Reliqua itaq; persequamur. Ecclesiæ vnitas.

In Græcis, aiunt, viri boni sunt aliqui. Sanè, si sunt aliqui, hi tantùm erunt, qui cum Catholica fide consentiunt, qui ab schismate alieni sunt, qui vnum vnius corporis tenent caput, vnumque vnius ouilis Pastorem, non in cœlis solùm, sed etiam in terris. Sic enim Christo capiti nostro ac Pastori visum est, vnũ loco sui Ecclesiæ relinquere: quem simulatq; fidelis abiiceret, & corporis & ouilis desereret vnitatem. Quemadmodum in Israël, sub Hieroboam, quidam erant viri pij, sed illi tantùm, qui in diuisione regni nullam fidei, religionis, Sacerdotij diuisionem meditabantur. Verùm hæc aliàs. In Græcâ Ecclesia quinam viri boni sint. Coloss. 2. 3. Reg. 12.

Nunc illud admonendum puto, Apostolum eo loco Ecclesiæ perfectam vnitatem communionemque describere: nimirum qualis in bonis sanctisq; viris reperietur. Memimisse enim opus est, corporis nomen proprium esse Ecclesiæ iustorum. Vnum igitur corpus vno primum Spiritu definitur: qui illud non modò Ecclesiæ vnitas à Paulo descripta.

quasi anima viuificet, sed tanquam Spiritus membra eius singula, ad finem suum quodq; agat, moueat, instiget. Deinde vnum corpus, vnam quoq; spem vocationis requirit. Vbi spei vox pro re gloriaq; spera vsurpatur, vt illo etiam loco: Spes autem, quæ videtur, non est spes. Vnum igitur finem, sicut cæteræ, hæc etiam respublica habet: ad quem omnes eius ciues vocati ac destinati sunt, in quem proinde spectant omnia huius corporis membra. Tertio loco vna respublica, vnum Dominum, vnum Regem, vnum caput desiderat. Nam si duo habeat capita, monstrosa erit. Exigit præterea vnam fidem. Nisi enim huius reipublicæ ciues fideles sint, Dei populum non conficient. Populus autem Dei intelligitur, diuino cultui ac religioni dicatus. Quòd nisi vna sit omnium communis fides, ne vna quidem religio erit: atq; adeò nec vna Dei Ecclesia. Quid, quòd si diuersa credimus, cum fides sit quasi huius corporis oculus: eundem scopum & finem habere non possumus? Vna ergo fides necessaria est. Necessarium est denique præter hæc baptisma vnum, in quo inest cæterorum Sacramentorum communicatio. Plebs quippe Christiana non interiore solùm fide communione, ac charitatis vinculo, sed externa etiã fidei testatione, Sacramentorumq; consociatione constat. Ex quo fit, vt, nisi in eodem baptismo, eisdemq; omnino Sacramentis membra exteriùs colligata sint, in vnum Christi corpus, quod est Ecclesia, coire non queant. Fecit autem Apostolus solius baptismi mentionem,

Ephes. 4.

Ecclesiæ vna fides.

Ecclesiæ vnum Baptisma.

tionem, tum quoniam inter omnia Sacramenta, vel maximè est vnum: tum quoniam hoc Sacramentum Christianæ gentis proprium signaculum est: quo videlicet non consignamur modò, sed etiam sacramur. Id quod Synagogæ circumcisio præstabat.

Iam in verbis, quæ addit Paulus, vnus Deus, vnus Pater, &c. eò, vt mihi videtur, respicit: ne in vno huius reipublicæ domino tyrannidem ac dominationem subesse putaremus. Vnum itaque dominum cum dixisset, blandioribus vocibus dominatum mollit ac mitigat. Ne te, inquit, terreat vnus dominus: vnus enim Deus idem est, vnusque etiam Pater. In Dei porrò nomine bonitatem, suauitatem, prouidentiam numinis intellige. Beatus, ait, populus, cuius Dominus, Deus eius. Sed ille multò beatior, cuius Dominus Pater eius: in Patre siquidem singularis amor & cura minimè vulgaris designatur, vt non tam regnum, quàm Patris vnam filiorumq; familiam intelligas. Vnus Deus, vnus Pater. Psal. 143.

Sed nescio quo pacto, dum Pauli verbis institit atque hæsit oratio, à proposito longius excurri, institutiq; mei penè immemor factus sum. Dicebam, Apostolum perfectam corporis Ecclesiæ vnitatem caussis suis omnibus definire. Ecclesiæ verò vnitas latiùs extensa est, & in eis inuenitur, qui non seruant vnitatem Spiritus in vinculo pacis: nec inter se per amorem cohærescunt, nec alij alios apprehendentes capiti suo connectuntur. Quin etiam partes quædam in hoc

toto sine fide insunt: vt hæretici occulti, quamdiu ab Ecclesia non sunt exclusi. In quibus satis est vnum Baptisma, Sacramentorumq; eadem societas & communio, vt in vna Ecclesia esse dicantur. Nam summum Pontificem, Episcopos, cæterosque Ecclesiæ ministros, potestate ac iurisdictione per hæresim abdicatam interioremque priuari: non modò non certum, sed ne probabile quidem esse, maxima autoritate Theologi affirmant. Rectores verò ac Magistratus, & reipublicæ omnino administros illos esse, qui Reipublicæ huiusmodi partes non sint, ne cogitatione quidem informari potest. Ex quibus magna significatio fit, non esse æquam in omnibus Ecclesiæ partibus vnitatem. Sed in quibusdam valdè imperfectam. Id si minus intelligitur, ex corpore naturali percipi potest. In quo sic spiritus & anima existit, vt partibus quibusdam vim sentiendi tribuat, quibusdam vim crescendi aliis, vt videtur, ne vllam quidem aut animalem aut spirabilem facultatem: perinde vt si partes illæ nec animam nec spiritum in se haberent. Quin etiam videmus, cùm membrum aliquod sensu & vitæ carens arescit in corpore, quoniam reliquis omnino partibus continuatur, motum quendam externum a spiritu participare: quanquam spiritus illi nihil interni vitaleq; communicat. Quem profectò modum spiritus Christi in corpore Ecclesiæ tenet ac seruat. Quadam enim partes ita animat & viuas facit, vt in illis deesse vitalium motionum videatur: in quas

Vnitatem non esse æquam in omnibus partibus Ecclesiæ.

dam sic influit, vt non vitam eis quidem, sed interiorem quandam spirationem quasi vitalem conferat: aliis autem exteram vim suam facultatemq; dimittat: Vt quamuis mortua prorsus & arida membra sint, quia non sunt tamen à corpore excisa, à spiritu cum corpore moueantur. Quæ partium affectarum mirabilis continuatio ac series, licet tenuis illa quidem & modica sit, at tantùm in Ecclesia valet, vt propter locum, quem habent in corpore, nonnullæ partes vel capita Ecclesiastici corporis appellentur. Væ, inquit, vobis, qui opulenti estis in Sion, optimates, capita populorum. Membra videlicet aliquando, non ex vita, quam sua sponte & natura vendicant, sed ex situ, quem sortita in corpore sunt, per metaphoram transferri solent. Ita, qui locum primum in Ecclesiæ gubernatione tenet, caput Ecclesiæ ille dicitur: tametsi propriè ac verè membrũ corporis Ecclesiæ non est. Sed de his, quæ ad Ecclesiæ vnitatem spectabant, quantum huic loco satis erat, dixisse videmur.

Arida & mortua mẽbra Ecclesiæ.

Amos. 6.

OBIECTIO NOVATORVM XXVI.

Patrum magna dissimilitudo est. Homines enim erant, ideoq; labi & decipi poterant. Etsi enim multa præclarè ac sapienter ab illis scripta sint, in quibusdam tamen illis accidit, quod hominibus solet, cumq; multa ignoraucrint, sæpe inter se conflictantur, interdum etiam secum ipsi pugnant, nec potest negari, quin in ipsis sui sint errores, & alienæ à sensu scripturæ interpretationes. Origenes fuit insignis pietate & eruditione,

Catholicorum Doctorũ errores, qui obiiciuntur ab hęreticis.

tione, tamen habet quædam dogmata, quæ non sunt sacræ scripturæ consentanea, & si nonnullis historiis creditur, abiectus est ex Ecclesia. Tertullianus montanisat. Cyprianus anabaptisat. Hieronymus origenisat, & digamisat. Putat enim digamiam, qualẽ quidem nunc intelligunt, hoc est, si quis post mortem prioris uxoris ducat alteram, parum aut nihil à scortatione differre. Augustinus scribit ipse libros Retractationum, ac præterea communicat infantes corpore & sanguine Christi. Contentio etiam, quam Cyprianus cum Cornelio habuit de primatu: Item vehemens illa disputatio, ante trecentos pene annos, inter Theologos de virtute Baptismi excitata, diuq́ acerbè agitata: Et rursus concertationes Sacerdotum Samosatenorum mutuæ, de collatione dignitatum inter se olim habitæ, tum Hieronymi & Augustini, præcipuorũ Ecclesiæ Doctorum, altercationes, satis superq́ testantur, quanta in Papistica Ecclesia unitas & cõcordia sit, hoc est, nulla prorsus.

Catholicorum dissensiones, quas obiiciunt hæretici.

RESPONSIO CATHOLICA.

Pastores Ecclesiæ quomodo homines sint ęquè, ac hæretici.

Verum quidem est, tum Catholicæ Ecclesiæ Pastores & Doctores, tum Lutherum eiusq́ successores homines fuisse, sed inter utrosq́ hoc interest, quòd Catholici Pastores & Doctores etsi homines fuerunt, in Catholicæ Ecclesiæ communione & fide perseuerantes, tum modestè sapientes, fidelem populum in unitate spiritus, & uinculo pacis continuerunt. At sectarij homines, nouitatum amantissimi, à Catholicæ Ecclesia

cleſiæ communione & fide defecerunt, tum diuinorum myſteriorum eruditionem ſibi arrogantes, Chriſti oues ab eadem abegerunt.

De quibus fideidogmatibus nonnunquam dubitare liceat.

Veræ quidem religionis, quædam dogmata, perinde ac diſciplinarium principia, ſunt primaria: quædam verò dogmata, perinde ac diſciplinarium concluſiones, ex primariis dogmatibus colliguntur. Vti ex illo dogmate: Chriſti corpus realiter exiſtit in Euchariſtiæ Sacramento, colligitur, Euchariſtiam eſſe adorandam: De illo quidem primario dogmate, nempe, de Chriſti exiſtentia in Euchariſtia, apud Catholicos Patres nunquam fuit dubitatum, quandoquidem per illa verba, hoc eſt corpus meum, Catholica Eccleſia ſemper realẽ Chriſti corporis exiſtentiam intellexit, & primariorum dogmatum ignoratio, nedum error, ſynceritati repugnat. Vtpote illa religionis ſunt primaria dogmata. Illud verò dogma, Euchariſtia eſt adoranda, & cætera huiuſmodi dogmata, ex primariis collecta, ante illorum definitionem, aut ignorare, aut dubitare, aut circa illa aliter, quàm res ſe habet, citra pertinaciam aſſerere, fidei ſynceritati non repugnat. Si quidem huiuſmodi dogmata nec primò, nec explicitè propoſita fuerunt ad credendum, ſed ex primariis tantùm dogmatibus colliguntur. Ante huiuſmodi enim dogmatum autenticam propoſitionem & expoſitionem, atque definitionẽ, illorum ignoratio aut error, modò ſit citra pertinaciam, non pugnat cum fide. Vnde licet aliqui Paſtores & Doctores aliquando huiuſmodi dogmata

ignorassent, aut de illis discordassent, aut circa illa errassent, nihilominus tamen in Catholicæ Ecclesiæ communione & fide perseuerârunt.

Catholicorum Doctorum errores excusationē merentur.

Quare Catholici Pastores & Doctores, propter illorum dogmatum varias opiniones, aut ignorationem, non sunt vituperandi, sed potiùs excusandi. Vt beatus Hieronymus testatur, dum ait: Illud quoque de eodem Psalmo interrogare dignata es: Qui sint filij excussorum: Miror te in Hilarij commentariis non legisse, excussorum filios, credentium populos interpretari: quòd scilicet Apostolos illo nomine putauerit appellatos, & infrà: Quid igitur faciam? Tantum virum & temporibus suis disertissimum reprehendere non audeo: qui & confessionis suæ merito, & vitæ industria, & eloquentiæ claritate, vbicunque Romanū nomen est, prædicatur: nisi quòd non eius culpæ ascribendum est: quia Hebræi sermonis ignarus fuit. Græcarum quoq; literarum quandam aurulam cæperat, sed Heliodori Presbyteri, &c.

Hieron. ad Marcum.

Augu. cont. Gaud. li. 3. cap. 10.

Haud dissimilem opinionem beatus quoque Augustinus, de sancto Cypriano habuit, dum inquit: Absit autem, vt quoniam beatissimus Cyprianus de Baptismo aliter sensit, quàm veritas, & antea consuetudine, & postea perfecta diligentiùs ratione monstrauit: Propterea quisquam nostrûm, qui hoc, quod ille, nō sapimus, ei se audeat anteponere? Cætera enim multa et magna eius merita, et animus p̄cipua charitate plenissimº, per quē cū collegis, diuersa sentiētibº, placatissimus

Error Cypriani quomodo excusetur ab Augustino.

manſit, & in vnitate Eccleſiæ paſsio glorioſa, ſatis oſtenderunt, eum fuiſſe ſarmentum in Chriſti radice fructuoſum: quod pater etiam ab iſta reprehenſione purgaret, vt fructum poſſet adferre maiorem. Illud etiam dogma, quod verum baptiſmi Sacramentum non ſit apud hæreticos & ſchiſmaticos, Cypriani ſeculo non tam explicatum fuit in Eccleſia, quàm poſtea, ob idque Cypriani error non fuit hæreſis: contrà verò, poſt Eccleſiæ definitionem, hæreticum eſt, aſſerere apud hæreticos & ſchiſmaticos non eſſe verum baptiſmi Sacramentum.

In obſcurioribus ſanè religionis dogmatibus aſſerendis, duo vicia eſſe maximè cauenda, beatus Auguſtinus exponit, dicens: ſed duo ſunt, quæ in errore hominum difficilimè tolerantur, præſumptio, priuſquàm veritas pateat: & cùm iam patuerit, præſumptæ defenſio falſitatis. A quibus nimirum vitiis non ſectarij, ſed perpetua Paſtorum & Doctorum ſucceſſio, in Catholicæ Eccleſiæ cõmunione & fide perſeuerans, abſtinuit: quod beatus Auguſtinus ſapientiſsimè exponit, dum ait: Homines enim ſumus: Vnde aliquid aliter ſapere, quàm ſe res habet, humana tentatio eſt. Nimis autem amando ſententiam ſuam, vel inuidendo melioribus, vſque ad præcidendæ communionis, & condendi ſchiſmatis vel hæreſis ſacrilegium peruenire, diabolica præſumptio eſt. In nullo autem aliter ſapere, quàm res ſe habet, angelica perfectio eſt. Qui itaque homines ſumus, ſed ſpe Angeli ſumus,

Aug. de trinit. li. 2. c. 3.

Auguſt. de baptiſ. cont. Don. lib. 2. cap. 3. Humanum eſt errare.

quibus æquales in resurrectione futuri sumus, quàm diu perfectionem Angeli non habemus, præsumptionem Diaboli non habeamus. Ideò dicit Apostolus: Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Humanum est ergo aliquid aliter, quàm res se habet, sapere. Perpetua certè Pastorum et Doctorum successio, quò in Catholicæ Ecclesiæ communione perseuerat, eò in syncera fide permanet. Nam omnes fideles, Catholicam Ecclesiam obseruantes, eiusque communionem colentes, in credendis fidei dogmatibus iudicium suspendunt, animum autem offirmant ad tenendam cum Ecclesia vnitatem.

1.Cor.10.

Patres, propter dogmatum controuersias non se separârũt ab Ecclesia.

Huiusmodi regulam beatum Cyprianum, ac cæteros Patres in credendis dogmatibus obseruasse, in confesso est. Si quidem illorum nullus propter dogmatum controuersias à Catholica Ecclesia separauit se. Illi enim omnes Catholicæ Ecclesiæ communionem, suis priuatis sententiis prætulerunt. Quod beatus Augustinus, Cypriani verba referens, sapientissimè annotauit, dum ait: Cum idem Cyprianus ita dixerit, quid ei videretur, vt in pace vnitatis esse voluerit, etiam cum eis, qui de hac re diuersa sentient: Quod indicat ipsius primus sermo in eiusdem Concilij, quod ab istis profertur, exordio. Nam ita se habet: Cùm in vnum Carthaginem conuenissent, Cyprianus dixit: Audistis collegæ dilectissimi, quid mihi Iubaianus Coepiscopus noster rescripserit & infra: Superest vt de hac ipsa re, quid singuli sentiamus, proferamus, neminem iudicã-

Aug. de baptis. contra Dona. li. 2. cap. 1. & 2.

tes, aut

tes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum sen- Cyprianus
serit, amouentes: neq; enim quisquam nostrûm Episco- nõ fuit per-
pum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico er- tinax in suo
rore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit. errore, sicut
Quib us profectò verbis B. Cyprian°, apertè satis signi- hæretici.
ficat, se nõ pertinaciter asserere suam sententiã, siquidẽ cæteros contrariã sententiam asserentes, hæresis nõ damnauit, nec à sua cõmunione separauit. Quæ procul dubio fecisset, si suam sententiam tam pertinaciter asse ruisset, quàm Donatistæ & sectarij sua dogmata affirmãt. Vtpote illi omnes, Catholicam Ecclesiam, illiusq; Pastores & Doctores circa controuersos articulos errasse commiscentes, ex Catholica Ecclesia exierunt.

Doctores nimirum in Catholicæ Ecclesiæ com- Doctores e-
munione perseuerantes, etsi in aliquo dogmate, aliter tiam errantes
quàm veritas se habet, opinantur, tamen hoc ipso, quòd manent
Catholicam Ecclesiam obseruant, & eius commu- Catholici.
nionem colunt, controuersis dogmatibus pertinaciter non assentiuntur, & per consequens in voto, siue implicitè, pari consensu, cum Catholica Ecclesia vnam synceram fidem profitentur, quandoquidem Ecclesiæ communionem præferunt priuatis opinionibus: Quam sententiam esse veram de beato Cypriano, beatus Augustinus exponit, dicens: Quapro- Augustin. de
pter sanctus Cyprianus tantò excellentior, quantò hu- baptis. cont.
milior, qui documentum Petri sic amauit, vt diceret, Dona. lib. 2.
documentum scilicet nobis & concordiæ & patientiæ cap. 4.
tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus, sed quæ

aliquando

aliquando à fratribus & collegis nostris vtiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potiùs nostra ducamus: Satis ostendit, facilimè se correcturum fuisse sententiam suam, si quis ei demonstraret baptismum Christi, sic dari posse ab eis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cùm foras exirent. Si igitur beatus Cyprianus, circa fidei dogmata, aliter quàm veritas se habet, asserens, quoin Ecclesiæ communione permansit, eo non pertinaciter errauit, sed paratus fuit, docente Ecclesia, emendari suam sententiam, multò profectò minus cæteri doctores Catholicæ Ecclesiæ communionem obseruantes, pertinaciter errârunt, vt qui in credendis dogmatibus communem Ecclesiæ sensum secuti fuerunt.

Discrimen Doctorum Ecclesiæ & hæreticorũ errantium.

Quare doctores in Catholicæ Ecclesiæ communione perseuerantes, etsi aliquod falsum dogma asserant, non ideò sunt hæretici. At sectarij à Catholica Ecclesia diuisi, si idem falsum dogma, quod Catholici aiunt, affirmant, hæretici sunt: Vt qui in asserendis dogmatibus, Catholicæ Ecclesiæ censuræ suam sententiam præferunt. Quam sententiam Vincentius Lirinensis mirificè exponit, dicens: O rerum mira conuersio, auctores eiusdem opinionis Catholici, consectatores verò hæretici iudicantur: absoluuntur magistri, condemnantur discipuli: conscriptores librorum, filij regni erunt, assertores verò gehennæ suscipiet. Nam quis ille tam demens est, qui illud sanctorum omnium, & Episcoporum, & martyrum lumen beatissimum

Vincentius Lirinensis.

Cypria-

Cyprianum, cum cæteris collegis suis in æternum dubitet regnaturum esse cum Christo? Aut quis tam contrà sacrilegus, qui Donatistas & cæteras pestes, quæ illius auctoritate consilij rebaptizare se iactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum diabolo?

Quòd autem idem Cyprianus se opposuit piæ admonitioni Romani Pontificis: quo affectu id fecerit S. Martyr, soli Deo cognitum est, quo ipsius caussæ euentu, tempus patefecit. Falsum autem prorsus est, Cyprianum disceptasse cum Cornelio de primatu: nam D. Cyprianꝰ multis in locis primariæ dignitatis honõ rẽ defert Romanæ Ecclesiæ, tãquam sedi Apostolicæ.

D. Basilius sua ad Samosatenos Epistola conqueritur de litigatione Sacerdotum: & ad Clerum Cæsariensem scribens, excusat nouos, quos introduxerat, psallendi modulos: & volumen de sancto Spiritu absse absolutum, concludens, præsentis Ecclesiæ statum describit, narratque illarum tempestatum procellas. Quid autem hæ litigationes clericorum de rebus positiuo iuri subiectis, ad excusationem Lutheranarum hæresium? Olim concertârunt de collatione dignitatum inter se Sacerdotes Samosateni: ergo hæreticæ dissensiones Lutheranorum etiam tolerandæ sunt: quasi nos, quid exemplo demõstretur aliquãdo patratũ, id nobis iure existimemus licere, et quidẽ in re dissimilima. Deplorant æquè veteres ac recentiores Theologi miseriam Ecclesiæ & afflictiones, damnant malos mores Cleri, hæreticorum sparsa venena execrantur: quid igitur?

Alij errores, qui obiiciũtur Cypriano ab hæreticis.

Lites Sacerdotum obiectæ Catholicis.

igitur? quoniam fuerunt Ecclesiæ semper cruenta certamina cum sectariis: Lutheranæ discordiæ eam ob causſam non sunt hæreticæ? Sic hæretica dialexis. Aristotelica hoc modo: Ecclesia Catholica fundamentum veritatis est: Veritatis autem fundamentum errorem nescit, hæresin non tolerat: Iure itaque iam pridem Lutheranos, Lutheranasq; discordes sectas damnauit, deuouit, eiecit foras Ecclesia.

Errores Origenis obiecti.

De Origenis doctrina, quamuis alij duriùs censerent, alij mitiùs, et quo genere criminis damnanda fuerit, disceptatum esse, verum est, quis refellit? Sed illud non verum, quod subindicant Nouatores, Chrysostomum, quia in Origenis fauorem propensior fuerit, defendisse eius errores, aut suscepisse vllo pacto.

Lis Roman. Pontificum cū Constantinopolitanis Patriarchis.

Litem scimus fuisse Romanis Pontificibus cum Constantinopolitanis Patriarchis, vtra sedes primaria sit, vtri altera debeat parere: itemq; sit ne Romanus Pontifex iure diuino successor Petri, an humano. Quid (quæso) hæ quæstiones ad hæreses & discordias Lutheranas? Nemo Theologorum vnquam, nemo iureconsultorum, ita insaniuit, vt, cum disceptatur, sit ne hæc lis vel de humano iure, vel de diuino, hanc ipsam disceptationem, diceret esse hæresin. Frustra itaque, prorsusque ineptè hæc dissidiorum exempla, quæ iuris positiui Canonibus & iudicata in Ecclesia, et dirempta sunt, obtenduntur hæresium Lutheranicarum extenuationi, in fraudem iuris diuini.

Fuit

Fuit inter Augustinum & Hieronymum, non de authoritate scripturæ sacræ, sed de versione, tum Græca tum Latina, disputatio: dum hic Hebraicæ linguæ peritia confisus, translationes aliorum negligere videretur: illeque vicissim nouitatis studium reprehenderet in Hieronymo, vetustam septuaginta duorum seniorum editionem laudaret, quòd hæc non incertis miraculis diuinitus agnosceretur patefacta. Ea inter ad hos tam præclaros Ecclesiæ Doctores, amica velitatio de versione, similibusque Ecclesiæ negotiis, num habet vllam hæreticæ dissensionis speciem? Si omnis discordia hæresis est, quæ natio, quæ vrbs, quæ domus tandem, aut priuata familia non erit hæretica? At est absurdum hoc, cùm in Catholicæ religionis fide non vrbes modo, sed regna etiam & gentes plurimæ vnanimes, concordesq́, & sunt, & erunt semper in fide Catholica.

Augustini & Hieronymi disceptatio.

OBIECTIO NOVATORVM XXVII.

Fatemur quidem inter nos, qui Lutherani vocamur, de præcipuis fidei Christianæ articulis dissensiones ac plurimas hæreses esse. Verum hoc causse nostræ et doctrinæ Euãgelij, quam prædicamus, nequaquam obesse debet. Neque inde vnquàm colligi potest, propterea veram Christi Ecclesiam apud nos non esse, cum hac ratione etiam ipsis Papistis nomen ac titulus Ecclesiæ, quem tanta contentione sibi vendicant, eriperetur. Constat enim eos æquè ac nos mutuis dissensionibus inter se laborare. Quàm bellè enim inter se conueniant

Ecclesia vna.

Dissensiões quę Catholicis Theologis à Lutheranis obiiciuntur.

conueniant Dominicani & Franciscani, & quæ certamina Sotus & Catharinus, præcipui apud Papistas Theologi inter se mutuo habuerint, toti orbi notum est, & libri eorum contra se inuicem editi obscurari non patiuntur. Vnde consequitur, si mutua dissensiones causſa sunt, ob quam apud nos vera Christi Ecclesia esse non debeat, eam æquè apud Papistas non esse, cùm æquè ac nos mutuis dissensionibus inter se scissi & diuisi sint, aut saltem vnitatem non esse certum & infallibile signum Ecclesiæ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Nos illam Nouatorum assertionem veluti rectè confessam accipimus, esse videlicet inter Lutheranas multas hæreses: hoc autem, quod in nos regerunt, constanter negamus, iure reiicimus: euinci enim non potest vllo modo, etiamsi furiant mediique rumpantur Nouatores. Quapropter id nunc agam, sed breuiter, vt doceam inter Catholicos (quo ad tamen re ipsa Catholici sunt) nullas esse, nec fuisse vnquam dissensiones de fundamento & præcipuis Christianæ fidei articulis, per Ecclesiam, ex orthodoxa scripturarum interpretatione, ritè definitis atq; concluſis. Quò autem hoc ego planius faciam & magis perspicuum, punctim oportet constitui, quod sit corpus doctrinæ Christianæ, quæ præcipua membra, qui articuli necessarij, quæ demum particulæ, quibus læsis, corpus tamen integrum maneat, itemq;, quæ accessoria, qui vestitus, & similia eiusdem generis.

Inter Catholicos nõ esse de artulis fidei dissensiones.

Dubium

Dubium (credo) eſt nemini, omnem Chriſtianæ doctrinæ conſtitutionem, rectè diuidi ſolere in ius diuinum & humanum: quorum illud nulla authoritate hominum mutari poſſit, hoc poſſit: vtrumq; tamen ita inter ſe copulatum, vt alterum abſque altero non queat commodè exiſtere. Hoc adeò planum eſſe et manifeſtum confido, vt qui inficiari audeat, nemo mortalium reperiatur.

Ius autem diuinum, id eſt, quod Deus ſiue in lege Morali Moſis, ſiue in Prophetiis & Euangeliis Chriſti, ſiue aliàs patefecit ad inſtitutionem, ſalutemque humani generis neceſſarium. Hûc pertinet non ſolùm ſcriptus ſacrorum Bibliorum textus, ſed verus etiam huius atque Orthodoxus intellectus: qui, ſi Catholicus eſt, & quia Catholicus, falſus eſſe & ſectarius non poteſt: neceſſe eſt, vt planè verus ſit, nec vlli refragabilis mortalium. Quo fit, ex hoc Catholico ſcripturarum intellectu quicquid concluſum fuerit, & qui hinc per Oecumenici Concilij conſenſum ſanciti Canones, explicitè ſint iuris diuini, nec minùs, quàm ius diuinum implicitè ſcriptum, cùm plus vno non poſſit eadem in re eſſe verum, ſed eandem oporteat eſſe tam in textu, quàm in gloſſa: tam in τῷ ῥητῷ quàm ἐν τῇ διανοίᾳ, veritatem: Viciſſimque fit, vt quicquid huic Catholico ſcripturarum intellectui, & ſacris Canonibus inde ductis, contrarium innouatur, pertinaciterque contra legitimum Eccleſiæ Magiſtratum defenditur, ſit hæreſis.

Ius diuinũ quodnã ſit.

Ius positiuum quodnam sit.

Ius positiuum, quia iuris diuini vestitus est, circumstantias considerat, & accidentia, quibus res in genere positæ applicari possint indiuiduis personis ac rebus. Sed hoc ius ante legitimam sanctionem, liberum est atque adiaphorum: postquàm verò sancitum positumque est, à nemine potest nec debet dissolui, nisi ab his, à quibus poni potuit. Et quicquid contra hoc positiuum ius, quando iam positum legitimè & sancitum est, & contra hos Canones, qui inde iudicio Catholicæ Ecclesiæ producti sunt, innouatur, pertinaciterq; defenditur, schismatis speciem habet, aut certè rebellionis. Eaque de caussa omnes sancti Patres, cùm illud Pauli explanant: State Fratres, & tenete traditiones meas, quas edocti estis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram: Constanter asseuerant vniuersi, quòd & scriptum verbum, & non scriptum, traditumq; ab Apostolis, vtrumq; pari veritatis authoritate habendum sit. Vnde illud Hormisdæ Canonibus insertum, vt est in Decretis. Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & in constitutis patrum nullatenus diuinare. Crassiore ego hæc quidem Minerua, quàm solent homines in hoc genere excellentes, spero tamẽ, licet generatim à me dicta sint, nihil habere absurditatis.

2. Thes. 2.

Hormisda in decretis, cõs. 25. q. 1.

Membra autem Christianæ doctrinæ, quæ summam diuini iuris complexa est, præcipua sunt (etiam vestro iudicio) de Deo vno & trino, de creatione, de prædestinatione, de peccato, de libero arbitrio, de lege, de Euangelio, de iustificatione, de fide, de operibus, de

legis

legis impletione, satisfactione, & merito, de pœnitentia, de Redemptoris Christi beneficio, de Ecclesia, de Sacramentis, de potestate ciuili, & aliis. Hæc (& si quæ alia præterea) membra Christianæ doctrinæ in vnum collecta, efficiunt aliquo modo corpus Christianæ & Catholicæ religionis. Vicissimque eadem ista membra legitima partitione in suas diuisa partes, Catholicæ fidei articulos constituunt. Quocirca omnis ille, qui aut reale membrum aliquod, aut realem articulum fidei, siue collidit, siue loco commutat suo, eumque conatum suum aduersus consensum Catholicæ Ecclesiæ defendit, non potest non hæreseos crimen committere.

Quisnam committat hæresin.

Cedò iam Nouator, agamus placidè, facessant affectiones priuatæ, rem videamus. An non, si qua dissensio est, eam necesse fuerit, aut de humano iure esse, aut de diuino? Credo id largiri te nobis. Si de diuino est, necesse quoque fuerit, vt sit aut de principali membro aliquo & articulo tali, quo læso, corpus integrum nequeat persistere: aut certè de aliqua eiusmodi particula, qua vel ablata, vel læsa, vel relicta in dubio, corpus tamen incolume possit, & integrum remanere. Si iecur lætaliter læsum est, aut pulmo, aut cor, aut cerebrum, quoniam principalia membra hæc sunt, vt animal intereat, necesse est: Si vngulam pedis abscideris, si eliseris costam, si conuulseris armum, non morietur fortasse pecus continuò quidem, at mutilatum tamen articulo, functionis suæ munus

Theologorum Catholicorum cõtẽtiones nõ esse hæreses.

cogitur deserere: *Sin contrà capillarem venam incideris, aut cutim raseris, incolume potest esse, nec idcirco mox integritatem corporis sui amittit. Atque esto, sint etiam nunc, fuerintq; olim inter Theologos, de aliquo fidei articulo nondum per Ecclesiam determinato, contentiones: quam istæ habent faciem hæreseos? Nullam penitus, si non fiunt fractis charitatis Christianæ repagulis, non contra iudiciũ legitimi Concilij, non contra Ecclesiæ Catholicæ definitam sententiam.*

Theologorum Catholicorum disputatio de virtute baptismi.

Ante annos penè trecentos vehemens fuit disputatio inter Theologos, aliis asserentibus, per virtutem baptismi pariulis culpam quidem remitti, sed gratiam non conferri, aliis contrà, & culpam illis remitti, & virtutes, &, quæ has informet, gratiam infundi, quo ad habitum, licet non confestim, quo ad vsum. Discussa hæc quæstio est inter Patres Oecumenici Viennensis Concilij, & approbata assertio posterior est, prior reiecta, authoribus tamen huius nequaquam de hæresi damnatis. Nam licet ipsa illa assertio, hæresis fuerit per se, sed tamen, quia authores sui, cùm Catholicæ Ecclesiæ definitionem intellexerant, non defenderunt errorem pertinaces, hæreseos damnari non potuerunt.

Errorẽ non pertinaciter defendẽtes, non sunt hæretici.

Non modò enim error de sacris scripturis, sed & pertinax erroris defensio, facit hæreticum. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, inquit Diuus Paulus: Charitas enim ὐ περπερεύται, ὐ φυσιοῦται, non superbit, non proteruè obsistit rectè monentibus. Idcirco

1. Cor. 13.

sua

ſua ad Glorium & Elenſium epiſtola Auguſtinus ſic non pertinaciter errantem excuſat: Qui ſententiam ſuam, inquit, quamuis falſam atque peruerſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim, quam audacia ſuæ præſumptionis non pepererint, ſed à ſeductis atq; in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta ſolicitudine veritatẽ, corrigi parati, cùm inuenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi. Quærebant Theologi veritatem ante Viennenſe Concilium diſputando, poſt Concilium veritati per Catholicam Eccleſiã inuentæ ſubſcripſerunt obediendo, nec vlla pertinacia ſententiam ſuam defendentes. De Catholicorũ diſputationibus hæc lex viguit ſemper, hæc diſſenſiones hactenus diremit, & ſi quæ adhuc ſunt inter Bernhardinos & Dominicanos, inter Sotum & Catharinũ, & ſimiles, dirimet ſuo tempore in Cõcilio, cum Catholica Eccleſia vnũ in locum coierit.

Auguſt. epiſtola ad Gloriũ & Elenſium.

Hinc ſatis manifeſtum eſſe, ſpero, qui in diſſenſione non ſint hæretici: iam colluſtremus, qui hæretici propriè queant dici. D. Auguſtinus contra Manichæos ſcribens, ita hæreticum definit: Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid, prauumq; quid ſapiunt, ſi correcti, vt ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaq; peſtifera & mortifera dogmata emendare nolũt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici ſunt. In eandem ſententiam D. Ambroſius etiam, cùm illud D. Pauli exponit, Hæreticum vita. Hæretici ſunt, inquit, qui per verba legis (id eſt, ſcripturæ ſacræ) legem impugnant.

D. Auguſt. contra Manichæos. Hæretici quinã ſint.

D. Ambr. in Epiſtola ad Tit. cap. 3.

Proprium enim sensum, verbis obstruunt legis, vt prauitatem suæ legis (id est, suorum dogmatum) authoritate scripturæ commendent. Ecquid non graphice vterque sanctus Ecclesiæ Episcopus depinxit Lutheranos hæreticos? Nihil aliud hi crepant, quàm verba legis, hoc est, scripturarum: & harum interea orthodoxum intellectum impugnant earundem scripturarum verbis, vt expugnato genuino illarum sensu, suum proprium sensum & hæreticum, scripturarum authoritate commendent imperito populo. An non proprius hic Lutheranorum est, qui Catholico consensui repugnat, dissentitque ipse secum? An non eum ipsum dissentientem sensum suum pertinaciter defensant? non superbè excusant? non propagent nefariè in detrimentum Catholicæ matris Ecclesiæ?

Hæretici quomodo vtãtur scripturis.

Tu hîc confer, Nouator, dissensiones: et istas, quæ inter Lutheranos sunt: & has, quæ inter Catholicos: atque id tandem nobis edissere, vestræ ne debeant, an nostræ censeri hæreticæ. Dogmata vtriusque partis pensitemus, prius vestra, nostra deinceps. Membra & articuli Augustanæ Confessionis sunt, vti constat, de vno & trino Deo, de lapsu Adæ & peccato, de lege & Euãgelio, de Christo, de libero arbitrio, de iustificatione, de fide & bonis operibus, de Sacramentorum numero, de Baptismo, de cœna Domini, de pœnitentia, de sacris ordinibus, de Ecclesia, de ritibus Ecclesiæ, de ciuili magistratu & similibus. Hæc membra, & quos inde colligitis articulos habet et tractat Confessio

Catholicorum ne, an hæreticorũ dissensiones hæreticæ sint.

fessio Augustana. Atqui opinor te, Nouator, idem fateri nobiscum, & adeò quidem etiam, vt, si quis in his errorem committat, defendatq; pertinaciter, illum hæreseos crimine reum velis esse, quia de fundamento articulisq; fidei sit in tali contentione periculum. Credo etiam te non ire inficias, communi nomine nunc Euangelicos dici, Adiaphoristas, Maioristas, Saxonicas Ecclesias, Zuinglianos, Osiandrinos, Brētianos, Schuenckfeldianos. Nam si roges horum aliquem, cuius religionis sit, mox eorum quilibet, se Euangelicū esse respondebit. Iam igitur cùm illi sint articuli Euāgelicæ fidei vestræ, & hi greges Euangelici: inuestigemus sanè ex ordine articulorum Confessionis Augustanæ, an de articulis fidei vestræ, & de fundamento dissentiatis, an de leuibus friuolisq; materiis. Quādo igitur Matthias Illyricus negat (hoc enim ordine percurrā articulos) τὸν λόγον in Euangelio Ioannis, personam esse, quēadmodum epistola eius ipsum sentire conuincit, quid? de articulo fideine ista dissentio inter vos est, an de lana caprina? Nunquid hæc connectio Aristotelica nō est? Negare, quòd ὁ λόγος sit Deus, est Arriana & Samosathena hæresis. Illyricani negant illud. Est igitur inter Illyricanos Arriana hæresis.

Illyrici error.

Cùm Osiandrini, homines vel inprimis Euangelici, scribunt ac docent, quòd illa imago Dei, quam D. Paulus appellat virum, sit incarnatum Dei verbum, ipseq; adeò Christus, Dei & Mariæ Filius, & quemlibet Christianum esse eandem, quæ filius Dei est, imaginem: cumq; Melanchthon contra asserit, esse in mente

Osiandri & Melāchthonis errores.

veram notitiam Dei, in voluntate ardentem dilectionem: de articulo fideine res ista controuertitur?

Lutheranorum lis de peccato originali.

De peccato Originali secus intelligunt Euangelium in Heluetia Zuingliani, secus Lutherani in Saxonia. Hi enim esse naturam ream, nec posse integrè tolli in hac vita: Illi contrà, esse naturalem morbum quendam, qui tolli queat radicitus. De fundamentone fidei est ista dissensio?

Lutheranorum lis de vsu legis.

Illyricus & Saxones aliqui legem, neque ante, neque post iustificationem esse necessariam dicunt: Philippus contrà, ante Iustificationem requiri, vt sit agnitio peccati. De fundamento fideine, est scire, quis integer sit vsus diuinæ legis? Culpat Illyricus Melanchthonẽ, quòd malè sentiat de discrimine legis & Euangelij: an nec hæc confusio est de fundamento fidei?

Lutheranorũ lis de iustificatione.

Osiandrini docent, Christum ex sola diuina natura iustificare hominem, Stancariani ex sola humana: vtrique homines Euangelici.

Lutheranorũ lis de descensu Christi ad inferos.

Iacobus Schmidelinus in Sueuia, & Nicolaus Gallus Ratisponæ, asseuérant Christum quoque in inferno passum, atque sensisse æterni ignis cruciatum. In ciuitatibus maritimis docetur contrà, nullum esse infernum, sed (cùm suum cuiusque sepulchrum dici soleat Hebraicè infernus) in sepulchrum, non ad inferos, descendisse Christum. Qualia hæc dissidia censenda? de articulis fideine, an de furfure externæ cutis?

De

De libero arbitrio eſtné leuis diſceptatio, cùm Illyricus negat rectè de beneficio Chriſti poſſe conſtitui, niſi dogma Lutheri de ſeruo arbitrio ſtet incolume? Cùm itaq; Illyricus, & Caluinus ſententiã Melanchthonis oppugnent: de aſini vmbráne illis lis eſt? Illyricus ſola fide hominẽ vult eſſe iuſtum: Melanchthon & Maior, fide quidem principaliter, charitate verò minus principaliter: itemq; Illyricus opera negat neceſſaria ad ſalutem, imò obeſſe etiam contendit: Maior omnia in oppoſitum. Quin nec iſta quidem fuerint de fundamento & articulis fidei? Quando alij duas ponunt, alij tres pœnitentiæ partes, adeóne res leuis eſt, num tres, aut duas partes in re ritè diuidenda ponas? In hæreditaria, & re pecuniaria fas non eſt, in tanto Sacramento erit? Illyricus ſeptem craſsiſsimos ſuorum errores de eodem hoc Sacramento recenſet, & tamen negantur eſſe in Lutheraniſmo hæreſes.

Lutheranorum diſſenſiones, de variis articulis fidei.

Quanta etiam inter Lutheranos eſt de Sacramentorum numero digladiatio? Illyricus Genæ & in Saxonia duo recipit, quod ipſi cum Caluino eſt commune: Lipſenſes Theologi tria agnoſcunt, nec plura, nec pauciora: Melanchthonij, quatuor eſſe volunt: Sunt, qui vnum admittant duntaxat, reliqua repudient. Perindéne eſt, ſiue ſtatuas vnum, ſiue duo, ſiue tria, ſiue quatuor? Si hæreſis eſt, Sacramentum Domini violare: penitus tollere, erit & hæreſis, & ſacrilegium ſimul. Quid Caluiniani & Anglicani Euangelici ſentiant de Baptiſmo, Lutheranis notum eſt: quid

Lutherani, non ignotum nobis: an verò negare quisquam potest litem esse de fundamento fidei? Illyricus Ecclesiam esse inuisibilem defendit contrra Menium: Melanchthon quondā in apologia idem tutatus est contra Catholicos: iam, versa vice, in vltimis locorum communium editionibus, & alibi, esse Ecclesiam visibilem asseuerat. Quid autem? Si nihili interest, cur antea sacrilegium iudicasti, si quis diuersum sentiret? Cur nunc secus, cum illud displicet, hoc placet? Cùm Lutherus negat esse superioritatem, cùm subditis interdicit, ne præstent obedientiam principibus, cùm in militam aduersùs Turcam contribuere vetat, quid? an ius diuinum non violat, qui resistendum docet magistratui?

De ceremoniis verò, aliisq; Ecclesiastici iuris negotiis, quia ad ius positiuum pertinent, non scrupulosè disquiram: De dogmatibus autem articulisq; fidei nunc potissimum: qui adeò apud Lutheranos in dissensionis crimine versantur, vt nolint velint, non hæresin, sed infinitas hæreses esse inter ipsos (quemadmodum & Illyricus, & Gallus, & ipsi Duces Vimarienses ingenuè fassi sunt) fateantur, necesse est: quandoquidem non solùm earum hæresium, quas contra Catholicos, verumetiam, quas in semetipsos, sociosque proprios mutua lite controuertunt, criminosa nomina extent apud antiquos scriptores: id quod me, quoties & quandocunq; necessarium fuerit, abundè demonstraturum polliceor: Siquidem Illyricus, & Gallus, &

Amſ-

Amsdorphius, hic in publica confessione suæ doctrinæ, ille in libro hypothesium, affirmant, non esse dissensiones istas vestras verbalia certamina: Sed esse de ipsa Euangelij medulla, graues controuersias, & eiusmodi contraria, quæ nullo modo possint conciliando palliari, sed contradictiones simpliciter, quæ alterutrius partis postulent condemnationem. Ita enim scribit Gallus in suis hypothesibus vltimo folio: Sunt inter nos non leuibus de rebus dissensiones. Sed de lege & Euangelio, de iustificatione & bonis operibus, de Sacramentis & vsu ceremoniarum, quæ quidem coire simulq; stare haud possunt, vt sunt, Lex in templis docenda est, & non est. Iustitia nostra aut ipsa est Dei essentia, aut ipsius in nobis opus, aut imputatio obedientiæ eius extra nos. Sanguis Christi neminem iustificat, & aduersans huic Pauli sententia. Per ipsius sanguinem iusti facti sumus. Nemo sine bonis operibus salutem adeptus est: Huic contrarium, bona opera non sunt necessaria ad salutem. Denique Christus corporaliter in cœna adest, & promiscuè à bonis malisque sumitur. Et Christus spiritaliter præsens à bonis tantùm percipitur.

Lutheranorum mutuæ dissensiones de præcipuis articulis fidei.

Gallus in hypothesibus.

Rom. 5.

Pleni sunt talium anathematum libri Lutheranorum, quibus aut ipsi alios damnant hæresium, aut alij ipsos vicissim. Vimarienses Principes nouem sectas, harumq; singulas multarum hæresum reas proscribunt. Quæ quidē sectæ non modò Lutheranos damnāt singulæ, sed etiam sese ipsæ mutuò hæreticas esse proclamant.

Lutherani se mutuo damnant hæreseos.

mant. Quot scelerum Illyricum hæresiumq; autorem, ostendit schola Vuittembergensis? Quot ipse contrà in proximo libro Melanchthonem? Prouoco ad scripta ipsorũ de his ludis edita: ac nisi decies crudeliora fuerint in sese, quàm hîc recitantur à me, patiar malæ fidei notam mihi inuri: nec, si fortasse, qui Lutherani est mos, inficiari velint, desunt ipsorum complures libri, testes mutuæ inter ipsos de hæresi damnationis. Aduersus Gœppingensem Schmidelinum si quis fortè scripturus est, colliget ista de moribus concordiaque vestra suffragia publica. Hoc in loco satis est, certò agnosci, Lutheranos non de stipulis aut fœno gladios stringere: nec tam de terminis, quàm de possessione Dominici agri, de ipsoq; possessionis titulo sociale bellum gerere. Sit ergo id nunc à me responsum Nouatoribus, me vnâ cum ipsis sanctè rectèq; fateri, esse in Euangelicorum doctrina & societate manifestas hæreses, esse schismata, & ea horrenda (vt ipsorum vtar vocabulo) quidem.

Dissensiones quibus de rebꝰ sint in Ecclesia.

Iam id restat, vt doceam dissensiones quidem & esse & fuisse semper in Ecclesia: at quonam modo? Nimirum aut de subtilibus illis Theologorum disputationibus, quas inuestigandæ veritatis caussa, Ecclesia non modò non damnat, sed præmiis ornat etiam: aut de rerum quotidianarum commertiis, vt de iure & possessione Ecclesiasticorum bonorum, de dignitatum gradibus, de collatione Sacerdotiorum, aliisq; generis eiusdem. Quis autem ita inhumanus, rerumque est hu-

est humanarum imperitus, vt postulet ab Ecclesia, ne istis de rebus clerus inter se litiget, aut iure contendat? Licitum enim id per se esse, scriptura S. nos docuit. At si quis idem tamen fraudulenter, si quis seditiosè, neglectæ charitatis vitium est, non crimen hæreseos. Quanquam verò vtrunq; malum est, sed minus tamen, quod ad priuatos mores pertinet: maius, quod aduersùs fidem committitur, quia ad vniuersos quodammodo redundat: eoq; fit, vt hoc acriter radicitusque extirpandum sit, illud aliquando tolerandum propter infirmitatem peccantis personæ. Huc spectant, primum lex Christi, vt qui Ecclesiam audire non velit, sit vobis tanquam Ethnicus & publicanus: Deinde illud Pauli, Hæreticum vita. Et iterum: Tollite malum è vobis: quia serpit hæresis tanquam gangræna, ferro est igniq; eradicanda. Rectè itaq; censet Ecclesia, quando hæresis est violatio diuini iuris, pœnam sequi oportere, vt hæretici igne concrementur, memoriaq; eorum vnâ deleatur cum cinere. Quamobrem etsi exortæ in Ecclesia hæreses fuerunt semper, attamen, quoniam ab Ecclesia exierunt, de Ecclesia non fuerunt, abscidit illas veluti putrida atque contagiosa membra: non possunt itaque, postquàm damnatæ renunciantur, esse in Ecclesia propriè dici. Quia enim, cùm vna fides sit in Ecclesia, & hæresis semper variis inter se discordiis diuisa, impossibile est, eritque in æternum Nouatoribus, commonstrare, vel vllam esse nunc, vel quondam fuisse in Ecclesia hæresin.

Matth. 18.

Tit. 3.

2. Tim. 2.

Pœna hæreticorum.

Quemad-

Quemadmodum igitur negamus vllas hæresum discordias esse apud Catholicos: ita fateri nos oportet, esse in Ecclesia multa prauorum morum zizania: quæ sæpe de meo & tuo, deque mutuis fraternæ charitatis officiis, non de rectitudine fidei, pariant graues contentiones: quas tolerari oportet, cum funditus euelli non possint.

OBIECTIO NOVATORVM XXVIII.

Ecclesia vna.

Res est profecto admiratione, imò stupore dignissima. Quando Papistici Doctores non solùm de præcipuis fidei articulis à se inuicem dissentiunt, sed etiam manifestè falsa dogmata asserunt, nihilominus pro Catholicis Doctoribus et in magno precio habentur. Negari enim non potest, quin & veteres Patres & scholastici Doctores, et ij quoq; qui hac nostra ætate viuũ & docent, Papistarum Theologi, in multis, iisq; non exigui momenti fidei articulis, à se inuicẽ dissideant, & tamen ex æquo omnes locum suum inter Catholicos Theologos retinent. Nec cuiquam eorũ propterea nota hæreseos inuritur. At Euãgelici & Lutherani, quàm primum opinionibus aliquibus de fide à se inuicem dissentiunt, Papistarum iudicio statim exterminantur ab Ecclesia Catholica, statim ob hanc dissensionem iudicantur esse hæretici. Quæ videtur esse iniqua cõditio. Si enim vnitas doctrinæ Catholici Doctoris certum signum est, Papistæ æquè ac Lutherani non erunt Catholici doctores, cum æquè ac Lutherani de capitibus religionis à se inuicem dissideant.

Patribus & Scholasticis & nostræ ætatis Catholicis Theologis dissensiones obiiciũtur à Lutheranis.

RE-

RESPONSIO CATHOLICA.

Paſtorum & Doctorũ in Catholicæ Eccleſiæ communione & fide perſeuerantium, de quibuſdam religionis materiis, variæ & contrariæ opiniones, tantùm abeſt, vt cum fidei ſyncritate pugnent, quòd potiùs illius veritatem illuſtrent. At ſectariorum de fidei dogmatibus controuerſiæ cum ſyncera fide pugnãt. Inter ſectarios enim & Catholicos hoc intereſt, quòd ſectarij ſuis controuerſiis ſeparantur ab Eccleſia, Catholici verò non; quia iſtorum controuerſiæ fiunt ſalua fide, illorum verò diſſidia rumpunt fidem. Quod Auguſtinus contra Pelagianos exponit, dicens: Nunc illud oportet excutere, quod volentes hæreſeos aſtutè inuidiam declinare, aſſerunt, iſtam præter fidei periculum eſſe quæſtionem; vt videlicet, ſi in ea fuerint exorbitaſſe conuicti, non criminaliter, ſed quaſi ciuiliter erraſſe videantur. Sic enim Celeſtius apud Carthaginem geſtis Eccleſiaſticis eſt locutus: Iam, inquit, de traduce peccati dixi, quia intra Catholicam conſtitutos plures audiui deſtruere, nec non & alios aſtruere, licet quæſtionis res ſit iſta, non hæreſis. Et infrà: Sed multum eum iſta fallit opinio. Longè aliter ſe habent quæſtiones iſtæ, quas eſſe præter fidem arbitratur, quàm ſunt illæ, in quibus ſalua fide, qua Chriſtiani ſumus, aut ignoratur, quid verum ſit, & ſententia definitiua ſuſpenditur, aut aliter quàm eſt, humana & infirma ratione coniicitur.

Alia ratio controuerſiarũ inter Catholicos quàm inter hæreticos.

Augu. cont. Pela. libr 2. c. 22. & 23.

Celeſtius.

Veluti

Veluti cùm quæritur, qualis vel vbi sit Paradisus, vbi constituit Deus hominem, quem formauit ex puluere: cùm tamen esse illum Paradisum fides Christiana non dubitet.

Quemadmodum enim in humanis disciplinis, etsi conclusiones non euidenter ex principiis collectæ, sunt ambiguæ & controuersæ, non ideo fit, vt disciplinarum principia sint ambigua & controuersa, ita quanquam in Christiana religione aliquæ sentẽtiæ & quæstiones sunt controuersæ, non ideo sequitur statim, religionis principia esse ambigua & controuersa. Christianæ nimirum religionis principia, Dei oracula diuinis literis mandata, & Apostolorum prædicatio, Catholica Ecclesia mirabiliter & syncerè conseruata sunt, imò & iuxta Catholicæ Ecclesiæ sensum ab omnibus sine controuersia vt recipiantur, est necessarium, de quibus non pauca apud sectarios sunt controuersa. Vt illa dogmata: Ego & Pater vnum sumus. Ioan. 10.

Et: Hoc est corpus meum: à sectariis in controuersiam trahuntur. Siquidem Arriani Patris & Filij consubstantialitatem, & Sacramentarij Christi corporis realem existentiam in Eucharistia, quæ sententiæ illorũ dogmatum Catholicæ & germanæ sunt expositiones, non recipiunt. Vnde tam Sacramentariorum de illo dogmate, Hoc est corpus meum, controuersia, quàm Arrianorum de illo: Ego & Pater vnum sumus, hæresis est. Vtpote huiusmodi controuersiæ cum fide pugnant. At Catholici Doctores non de patris & filij consub-

Matth. 26. Hæreticorum cõtrouersiæ pugnant cum fide.

Matth. 26. Ioan. 10.

consubstantialitate, nec de Christi corporis reali Sacramentali existentia (siquidem istas sententias sine controuersia illi recipiunt) sed de modis, quibus & diuinæ essentiæ vnitati, personarum Trinitas, & Christi finito corpori, esse in pluribus locis, non repugnat, controuertunt. Quæ nimirum controuersiæ nō magis cum fide pugnant, quàm illa Euangelica interrogatio. Quomodo fiet istud? &c. Lucæ. 1.

Deniq; sectarij, excussa fidei obedientia, de religionis dogmatibus, à Catholica Ecclesia definitis, controuertunt. Catholici verò Doctores, retenta Catholica fide, de quibusdam tantùm sententiis, à Catholica Ecclesia nondum definitis, dissentiunt. Ex quo illorum controuersiæ fidem excludunt, istorum verò fidem explicant: Quam sententiam beatus Augustinus exponit, dicens: Quomodo enim potuit ista res, tantis altercationum nebulis inuoluta, ad Plenarij Concilij luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primò diutius per orbis terrarum regiones, multis hinc atq; hinc disputationibus & collationibus Episcorum pertractata constaret? Hoc autem facit sanitas pacis, vt cùm diutius aliqua obscuriora quæruntur: & propter inueniendi difficultatem, diuersas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perueniatur, vinculum permaneat vnitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris. Aug. de baptis. contra Donat. libr. 2. cap. 4.

Catholicorum igitur Doctorum in Catholicæ Ec-

Catholicorum controuersiæ non pugnãt cum fide.

clesiæ communione & fide perseuerantium controuersiæ, tantùm abest vt pugnent cum fide, vt potiùs ad indagandum sacrorum dogmatum germanum sensum maximè conducant. Vnde non pij viri & eruditi, sed sectarij huiusmodi controuersiis offenduntur,

Hieronym. Epist. 13.

vt Beatus Hieronymus exponit, dicens: Cæterùm optimè nouit prudentia tua, vnumquenq; in suo sensu abundare, & puerilis esse iactantiæ (quod olim adolescentuli facere consueuerant) accusando illustres viros, suo nomini famam quærere. Nec tam stultus sum, vt diuersitate explanationum tuarum me læsi putem, quia nec tu læderis, si nos contraria senserimus. Catholicorum siquidem Doctorum circa scripturæ expositionem discordes sententiæ Ecclesiæ consensionem non rumpunt. Quia etsi illæ expositiones inter se non constant, tamen nulla illarum cum fide pugnat.

Augustinus Epist. 59.

Quod beatus Augustinus docet, dicens: Cùm enim interrogando disputas, & quæris acriter, & doces humiliter. Vtile est autem, vt de obscuritatibus diuinarum scripturarum, quas exercitationis nostræ caussa Deus esse voluit, multæ inueniantur sententiæ, cùm aliud aliis videtur, quæ tamen omnes sanæ fidei, doctrinæq; concordent. In exponendis enim diuinis scripturis, tum ob mysteriorum difficultatem, tum ob hominis ingenij tarditatem, varij varia senserunt. Quæ diuersorum sensuum varietas non omnis, sed tantùm illa, quæ de fidei regula declinat, est vitanda. Quandoquidem diuina scriptura, retenta fide, varios sen-

sus

fus parit, vt beatus Augustinus testatur, dicens: *Quamuis itaque diuini sermonis autoritas etiam ad hoc sit vtilis, quòd plures sententias veritatis parit, & in lucem notitiæ producit, dum alius eum sic, alius sic intelligit: ita tamen, vt quod in obscuro loco intelligitur, vel à testatione rerum manifestarum, vel aliis locis minimè dubiis asseratur: siue cum multa tractantur, ad id quoque perueniatur, quod sensit ille, qui scripsit: siue id lateat, sed ex occasione tractandæ profundæ obscuritatis, alia quædam vera dicantur.* Augu. de ciuitate Dei lib. 11. c. 19.

In alio etiam loco eandem sententiam exponit, dum ait: Quisquis igitur scripturas diuinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita vt eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. Quisquis verò talem indè sententiam duxerit, vt huic ædificandæ charitati sit vtilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille, quem legit, eo loco sensisse probatur, non perniciosè fallitur, nec omnino mentitur. Igitur Catholicorum Doctorum in exponẽdis dogmatibus varij sensus & controuersiæ, non modò non pugnant cum fide, sed etiam non sunt mendacia. Augusti. De Doct. Christi lib. 2. ca. 36.

Contra quam sententiam Melanchthon ait: Chrysostomus & alij multi insulsè deprauant precationem, quam tradidit Christus, cùm panem quotidianum nolunt intelligi de corporali pane. Quàm imprudenter vel malitiosè mentiatur, beatus Chrysostomus exponens illa verba panem nostrum &c. aperte satis ostendit, dum ait: Melanth. in loc. de inuocatio. Matth. 6. Chryso. homi. 20. sup Matth. ho. 54. su. Geu.

Tu verò consid , vt etiam carnalibus rebus plurimum spirituale , scietur. Non enim propter diuitias atque delitias, non ob pretiosæ vestis ornatum, & si qua alia sunt eius generis, sed prò pane duntaxat & eo

Matth. 6. *quidem quotidiano, ne pro crastima die soliciti simus, iussit orari: & idcirco subiunxit, panem nostrum &c. In alio etiam loco ait. Ea enim de caussa in precationis nostræ verbis limites & regulas nobis Dominus præscripsit, quatenus petenda sint temporalia, verba illa iubens nos dicere, quæ omni Philosophia sunt referta: Panem nostrum quotidianum da nobis*

Matth. 6. *hodie, diei alimentum inquit. Id quod iustus ille, tametsi nihil horum audierat, precatus est, dicens: Si dederit mihi Dominus panem ad comedendum, & vestem ad tegendum. Ne igitur temporale aliquid abeo petamus, indignum enim valde est, à tam liberali, & tanta virtute præstanti, huiusmodi petere, quæ in præsenti vita dissoluuntur, &c. Quibus certè verbis Melanchthonis mendacium deprehenditur. Siquidem Chrysostomus non dixit, panem quotidianum non intelligi de pane corporali, sed monuit spiritualia bona potiùs, quàm temporalia petenda esse à Deo, iuxta illud:*

Matth. 6. *Primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Vnde non solùm de corporali, sed etiam de spirituali pane oratio Dominica Germanè exponitur. Huiusmodi sunt innumera sæpe scripturæ loca, quæ, iuxta fidei regulam, variis modis Germanè exponuntur.*

Quòd

Quòd si aliquæ Doctorum expositiones secum, aut eum fide pugnant, tamen quia illi in Catholicæ Ecclesiæ communione & fide perseuerârunt, & quia à Catholica Ecclesia tunc temporis quid, & quomodo de illis sentiendum esset, nondum fuerat definitum, illos absque omni pertinacia, imò meliori, quo potuerunt iudicio, huiusmodi sententias protulisse, non est dubitandum. De quocunque enim Catholico scriptore habere decet huiusmodi existimationem, qualem etiã beatus Augustinus de se ipso habuit, dum dixit: Et in rebus obscuris atq; à nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam diuina legerimus, quæ possint, salua fide, qua imbuimur, aliis atque aliis parêre sententiis, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita proiiciamus, vt si fortè diligentiùs discussa veritas eam rectè labefactauerit, corruamus: non pro sententia diuinarum scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, vt eam velimus scripturarum esse, quæ nostra est, cùm potiùs eam, quæ scripturarum est, nostram esse velle debeamus.

Etsi aliqui Catholici Doctores nõnulla falsa dogmata asserrnêre, tamen Ecclesię vnitatem sectando, à fide nõ defecêre

Augus. sup. Gen. libr. 1. cap. 18.

In alio etiam loco, se in asserendis sententiis modestè sapuisse, apertè satis exponit, dum ait: In talibus autem quæstionibus non multum laboro, quia etsi defendi sententia mea liquida ratione non potest, mea est, non eius autoris, cuius sensum improbare fas non est, etiam cùm eo non intellecto hoc inde sentitur, quod improbandum est. Et paulò pòst cæteros, ne de se temerè existimerit, monet, dicens: Vos autem, qui me

Augustinus Epist. 7.

multũ diligitis, si talem me asseritis aduersùs eos, quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia, reprehendor, vt me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causſam suscepistis, facilè in ea me ipso iudice superamini. Quoniam non mihi placet, cùm à chariſsimis meis talis esse existimor, qualis non sum. Profectò enim non me, sed pro me, alium sub nomine meo diligunt: Si non quod sum, sed quod non sum, diligunt.

Quantò igitur Eccleſiaſtici Paſtores & Doctores in Catholicæ Eccleſiæ communione & fide magis perſeuerârunt, tantò de illorum ſententiis modeſtiùs ſentiendum eſt. Nec exiſtimandum eſt, Doctores temere conflictatos eſſe, quandoquidem illorum de religione controuerſia, ambiguæ veritatis eſt elucidatio.

Nec decet etiam viros doctos affirmare, Doctores contrarias ſententias aſſeruiſſe, decet tamẽ, iuxta fidei regulam, illorũ ſententias concordare, vt Scotus Patrum ſententias, circa articulum de Spiritus ſancti vtroque proceſsione, concordare docet, dum ait: In iſta quæſtione dicũtur Græci diſcordare à Latinis, vt videntur autoritates Damaſceni ſonare, ſed de iſta diſcordia dicit Linconien: in notula quadam ſuper finem epiſtolæ de Triſagio, quòd ſententia Græcorũ eſt, quòd Spiritus ſanctus eſt ſpiritus filij, ſed non procedens à filio: Sed à ſolo Patre, per filium tamen. Et videtur hæc ſententia cõtraria noſtræ: quia dicimus Spiritum ſanctum à Patre & filio procedentem. Sed fortè ſi duo ſapientes,

Scotus lib. 1. ſent. diſt. 11. q. 1.

Scoti modeſtũ iudiciũ de controuerſia inter Græcos & Latinos, de proceſsione Spiritus ſancti.

pientes, vnus Græcus & alter Latinus, uterq; verus amator veritatis, & non propriæ dictionis, unde propria est, de hac visa contrarietate disquirerent, pateret utiq; tandem ipsam contrarietatẽ non esse veraciter realẽ, sicut est vocalis, alioquin vel ipsi Græci vel nos Latini, sumus verè hæretici. Sed quis audet hunc autorem, Ioanem scilicet Damascenum, & beatos scilicet Basiliũ, Gregorium Theologum, Gregoriũ Nazianz. Cyrillũ, & similes Græcos Patres arguere hæreseos? Quid iterũ argueret hæreseos B. Hieronymũ, Augustinum, Ambrosium, Hilarium, & consimiles Latinos? Verisimile igitur est, quòd non subest dictis verbis contrariis contrariorum Sanctorum sententia. Multipliciter enim dicitur, sicut hoc huius, sic hoc ex illo, vel ab illo: qua multiplicitate fortè intellecta & distincta, pateret contrariorum verborum non discors sententia. Cuius Theologi Scholastici, & regularis animi pietatem & candorem si sectarij imitarentur, non antiquos Ecclesiæ Patres, Pastores & Doctores, non denique ipsam Ecclesiam, neque se invicem erroris & hæresis damnarent. Huius certè Scholastici Theologi Christiana charitas & synceritas hoc calamitoso seculo in pluribus desideratur: atq; hæc magis, quàm eius præclari ingenij acumen, celebranda est. Et proculdubio, quòd vir præclaro ingenio præditus, non plus, quàm oportet, sed modestè sapiat, rarum Dei donum est, quo carent huius seculi sectarij, qui plus sapiunt, quàm oportet sapere.

Quid agendum quando ipsimet Doctores Catholici dissentiunt.

Quòd si Doctorum sententiæ tales sunt, vt concordari nequeant, cò quòd omnino secum aut cum fide pugnent, illa sententia, quæ á Catholica Ecclesia approbatur, cæteris exclusis, tenenda est. Si verò contrariarum opinionum neutra pars cum Catholica fide euidenter pugnat, vtramuis opinionem amplecti licet. Quandoquidem quò contrariæ opiniones à Catholica Ecclesia non sunt damnatæ, eò sub Ecclesiæ censura à Catholicis Doctoribus asseruntur. Catholici siquidem Doctores in Catholicæ Ecclesiæ communione & fide perseuerantes, suas sententias, cum beato Augustino Ecclesiasticæ censuræ subiiciunt. Ego itaq;, inquit ille, diu multumq; considerans, quales oblatrantes, & quales quærentes expertus sim, vel qualis ipse, siue cum latrarem, siue cum quærerem, fuerim, hoc modo mihi vtendum putaui: quæ vera esse perspexeris, tene, & Catholicæ Ecclesiæ tribue: quæ falsa, respue, & mihi, qui homo sum, ignosce: quæ dubia, crede, donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel præcipiat autoritas. Vnde Catholici Doctores, iuxta Catholicæ Ecclesiæ censuram, suas sententias corrigunt, vt beatus Augustinus suam de cogendis hæreticis ad Catholicam fidem, correxit, dicens: His ergo exemplis, à collegis meis mihi propositis, cessi. Nam mea primitus sententia erat, neminem ad vnitatem Christi esse cogendũ, verbo esse agendum, disputatione pugnandũ, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus,

Aug. de vera relig. capit. 10.

Augustinus 3 pist. 48. Augustinus corrigit errores suos.

quos

quos apertos hæreticos noueram⁹. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis &c. Per Pastores quidē & Doctores, in Catholicæ Ecclesiæ communione & fide perseuerantes, Catholica fides nobis innotescit, & per illos Deus nobis secretiora mysteria reuelat: Quod etiam beatus Augustinus cum Paulo exponit, dicens: Qui verò hæc legens dicit: intellizo quidem, quid dictum sit, sed non verè dictum est: asser[illegible] placet sententiam suam, & redarguat meam, si potest. Quod si cum charitate & veritate fec[illegible]rit, mihiq́ue etiam, si in hac vita maneo, cognoscendum facere curauerit, vberrimum fructum huius laboris mei cæpero. Et infrà: Si quid autem aliter sapio, id quoque mihi ipse reuelabit, siue per occultas inspirationes, atque admonitiones, siue per manifesta eloquia sua, siue per fraternas sermocinationes. August. de Trinit. li. 1. cap. 4.

Quare Catholicorum Doctorum de quibusdam religionis argumentis sententiarum variatio, non animi leuitati, sed fidei obedientiæ ascribenda est. Vtpote illi in corrigendis sententiis, non priuatum, sed Catholicum sensum sequuntur. At[illegible]ue ita Ecclesiastici Doctores, aut varias, aut contrarias opiniones, sub Catholicæ Ecclesiæ censura asserendo, de fide nec inter se confligant, nec secum ipsi pugnant. Quandoquidem illos, Catholica Ecclesia definiente, & docente, non proprias, sed communem sententiam secuturos esse, in confesso est. Vtpote illi in Catholicæ Ecclesiæ commu-

nione & fide perseuerando, etsi non effectu, tamen affectu, seu voto suas sententias correxerunt. Si qui verò suas sententias effectu non correxerunt, non illorum culpæ, sed diuinæ dispositioni asscribendum est, vt beatus Augustinus exponit, dicens: Et ideo plerunque doctioribus minus aliquid reuelatur, vt eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus maior est, comprobetur: vel quomodo teneant vnitatem, cùm in rebus obscurioribus diuersa sentiunt? Vel quomodo accipiant veritatem, cùm contra id, quod sentiebant, declaratum esse cognoscunt? Hinc est, quòd Doctores in Catholicæ Ecclesiæ communione & fide perseuerantes, qui non correxerunt suas sententias, tam non fuerunt hæretici, quàm qui correxerunt. Quandoquidem omnes soliciti seruârunt vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vti Petrus & Paulus, ita Hieronymus & Augustinus in controuersia de obseruatione legalium, Cornelius etiam & Stephanus Romani Pontifices, & Cyprianus de hæreticorum baptismo, varias & contrarias sententias asserentes, in vna communione & fide permanserunt. Quorum pios mores neoterici Scholastici Doctores imitantes, etsi varias & contrarias sententias asserunt, tamen in Catholicæ Ecclesiæ communione & fide perseuerant.

August. de baptis. cont. Dona. lib. 2. cap. 5.

Ephes. 4.

Scholastici in cõtrouersiis suis, subiiciunt se iudicio Ecclesiæ.

Scholasticos certè Doctores in asserendis suis sententiis, obsequentissimos Ecclesiasticæ censuræ fuisse, Caietanus exponit, dicens: Circa limite quæsiti aduerte,

aduerte primò, quòd Scotus, nisi timeret Ecclesiæ contradicere, ostendit se velle libenter tenere, quod in persona Diuina, præter essentiam communem tribus, ac relationem & originem cuique personæ propriam, sit quædam entitas absoluta incommunicabilis, quæ est constitutiua diuinæ personæ. Quæ profectò sententia, quocunque sit animo prolata, Scoti raram in asserendis dogmatibus modestiam commendat. Scotus li. 1. dist. 26.

Denique cùm Caluinus in articulo de libero arbitrio, sanctorum Patrum autoritate premeretur, ad hæreticorum consueta arma confugit, nempe ad calumniandos sanctos Patres, & de inconstantia atque ignorantia coarguendos. Siquidem ille commiscitur, quòd quemadmodum actores & rei, in criminali causssa colludunt, sic Catholici Doctores, cum philosophorum erroribus Christi Euangelium ex parte concordârunt, & ex parte dissimulârunt. Veteres, inquit, mihi videntur hoc consilio vires humanas sic extulisse, ne si impotentiam disertè essent confessi, primùm Philosophorum cachinnos, quibus cum tunc certamen habebant, excuterent. Et infrà: Ergo ne quid communi hominum iudicio absurdum traderent, scripturæ doctrinam, cum philosophorũ dogmatibus, dimidia ex parte conciliare studuerunt. Quibus certè locis Caluinus significare videtur, quòd Pastores & Doctores (quos Deus dedit, vt iam non simus paruuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ) prædicandi Caluinus c. 2. par. 8.

Caluini mẽdaciũ cõtra veteres Doctores Ecclesiæ.

prædicandi ſynceri Euangelij officium deſeruerunt. Mentitur tamen, vt in omnibus, quia ſi Apoſtoli veritatem non diſſimulárunt, profectò nec illorum ſucceſſores, nempe Baſilius, Chryſoſtomus, & cæteri priſci Paſtores & Doctores, ſcripturæ doctrinam cum Philoſophorum dogmatibus dimidia ex parte conciliârunt. Vtpote illi tum in doctrina, tum in contemnendis pro Chriſto Principum minis, & philoſophorum cachinnis, Apoſtolorum fuerunt imitatores. Nunquid Ambroſius illic magnum Theodoſium ab Eccleſia arcẽs? nunquid Chryſoſtomus Imperatorem Arcadium, eiusq; coniugem non timens, propter iuſtitiam ſecundi exul? nunquid Hieronymus, Auguſtinus & cæteri Eccleſiæ Paſtores & Doctores philoſophorum cachinnos timuerunt? Nunquid Patres illi, qui prædicarũt Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, timuiſſent, contra communem hominum iudicium, aliquod dogma tradere? Quod enim dogma magis contrariũ philoſophiæ principiis, quàm Deum ex muliere factum hominẽ, crucifixum, mortuum, & è mortuis reſurgentem, prædicare potuerunt? Huiuſmodi enim dogmata, quorum nulla ſunt communi hominum ſenſui magis abſurda, nec ob Iudæorum ſcandalum, nec philoſophorum deriſiones, nec ob Principum minas, perpetua Paſtorum & Doctorum ſucceſſio diſſimulauit. Siquidem fidei confeſſionis diſſimulatio, non modò in illis, quibus prædicandi munus eſt iniunctum, pernicioſiſſima eſt, ſed etiam in omnibus

Veterũ Doctorum Eccleſiæ defenſio contra Caluinum.

1. Co. 1.

Confeſſio fidei neceſſaria.

omnibus fidelibus (præcipuè quando, & vbi fides periclitatur) flagitioſa exiſtit. Corde enim inquit, creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. Rom. 10.

Item: Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. Matth. 10.

Quare cùm apud nullos homines magis, quàm apud incredulos philoſophos fides periclitaretur, nullibique oris confeſsio eſſet magis neceſſaria, compertum eſt, coram illis ſanctos Patres fidei veritatem non diſſimulaſſe. Quandoquidem illis fuit datum à Deo præceptum de fide aſſerenda coram hominibus. Valeat ergò Caluinus cũ mẽdacio ſuo. Exiſtimare enim patres tum ad vitandos philoſophorum cachinnos, tum ne quid communi hominum iudicio abſurdum traderent, diſſimulaſſe veritatem, ſupremæ malitiæ, nedum ſtultitiæ eſt.

Aduerſus Caluini in ſanctos Patres impium calumniam, Irenæus ait: Quemadmodum dicunt hi, qui ſunt vaniſsimi ſophiſtæ, quoniam Apoſtoli cum hypocriſi fecerunt doctrinam, ſecundùm audientium capacitatem, & reſponſiones ſecundùm interrogantium ſuſpiciones, cæcis cæca confabulantes, ſecundùm cæcitatem ipſorum, languentibus autem ſecundum languores ipſorum, & errantibus ſecundum errorem eorum. Et infrà: Hoc autem non eſt ſanantium, nec viuificantium, ſed magis grauantium, & augentium ignorantiam ipſorum: & multò verior hîc lex inuenitur, maledictum dicens omnẽ, qui in errorem mittit cæcum in via. Irenæus lib. 3. ca. 5.

in via. Qui enim ad inuentionem missi erant errantium Apostoli, & ad visionem eorum, qui non videbant, & ad medicinam languentium, vtique non secundum præsentem opinionem colloquebantur eis, sed secundum veritatis manifestationem. Nec enim quilibet homines rectè facient, si cæcos iam iamque per præcipitium ferri incipientes adhortentur, insistere illi periculosissimæ viæ, quasi verè rectæ, & quasi benè peruenturi sint. Quis autem medicus volens curare ægrotum, faciat secundum concupiscentias ægrotantis, & non secundum, quod aptum est medicinæ?

OBIECTIO NOVATORVM XXIX.

Ecclesia vna.

Acto. 15.

Apostolorũ dissensiones Catholicis obiiciuntur à Lutheranis.

Galat. 2.

In primitiua quoque Ecclesia, inter ipsosmet Apostolos, videlicet inter Barnabam & Paulum. Item Petrum & Paulum fuit dissensio. Ita enim scriptum legimus. Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus, Reuertentes visitemus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant. Barnabas autem volebat secum assumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum, vt qui discessisset ab eis de Pamphylia & isset cum eis, in opus non debere recipi. Facta est autem dissensio, ita vt discederent ab inuicem. Et rursus Paulus ad Galatas de dissensione sua cum Petro habita hæc sequentia verba scribit. Cùm autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim,

enim, quàm venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat: cùm autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant, & simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi: Ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem, sed cùm vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Petro coram omnibus: Si tu, cùm Iudæus sis, Gentiliter vivis, et non Iudaicè, quomodo Gentes cogis Iudaizare? Vnde consequitur, nec vnitatem esse certum signum Ecclesiæ, nec mutuas Lutheranorum dissensiones impedire, quò minus apud eos sit vera Ecclesia Christi, cùm hac ratione, etiam ipsa Apostolica Ecclesia, in qua sæpe dissensiones excitatæ sunt, vti dictum est, pro vera Christi Ecclesia haberi non possit.

RESPONSIO CATHOLICA.

Primùm id quæro abs te, cùm Barnabas dissentit à Paulo, aut Paulus à Petro, quo de iure id fuerit dissidium? si de diuino? aut de fundamento fuit & aliquo articulo fidei, aut de re leuicula quapiam. Si de iure positiuo? nihil ad articulos fidei. Barnabas Marcum voluit socium itineris, Paulus non voluit, quid hæc dissensio ad articulos fidei? Priuatæ affectionis motus fuit, non commotio in fundamento fidei. Petrus cùm esset Iudæus, & viueret ethnicè, volebat Ethnicos Iudaicè viuere. Vidit errorem Paulus, restitit q; in faciem Petro. Qua de re fuit concertatio? Non sanè de iure diuino, sed de humano, hoc est,

Explicatio dissensionũ quæ inter Apostolos agitatę fuerũt.

non

non de articulis fidei, non de fundamento doctrinæ disceptabãt, verùm de viuendi ritibus, moréne Iudæorum, an Ethnicorum Christianis liceat viuere. Et quoniam de hisce rebus externis nondum fuerat, communi vniuersæ Ecclesiæ consensu, ius vllum positum, minus certè peccauit Petrus, si modò peccauit, quàm si iam positiuum extitisset. Quin admonitus de errore Petrus, non dissoluit vinculum charitatis, nec cæterorum Apostolorum consensioni reluctatus est vlteriùs: vnde manifestò cerni potest, Petrum schismatis, rebellionísue crimen nullum commisisse, multo minus hæreseos.

Quin si rem penitiùs introspiciamus, & patrum recipimus interpretationem, non modò D. Petro salua manet autoritas: sed etiam eximiã quandam in vtroque Apostolo prudentiam, zelum & concordiam admirabimur. Nam etsi negandum non est, Apostolos, etiam post acceptum Spiritum sanctum, leuiter labi potuisse, hoc tamen loco neutrum vllo pacto peccasse affirmamus: tantum abest, vt alteruter in grauem aliquam culpam aut errorem fidei inciderit, etsi quidam aliter opinentur. Imò credimus post diem Pentecostes, nullum ex duodecim Apostolis, aut grauiter peccare, aut errare in fide potuisse, eo præsertim tempore, quo ædificatio Ecclesiæ veritatis alicuius cognitionem exigebat: vt cùm opus fuit baptizari Cornelium incircumcisum eiusque familiam, quæ erat ex gentibus, præstò fuit diuina reuelatio: quando nimirũ

Apostoli nõ potuerunt errare in fide.

vidit D. Petrus vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia cœli: dixitq; spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te: Surge itaque, & descende & vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi illos. Actor. 10.

Quare cùm audimus D. Petrum fuisse reprehensibilem, non est, cur existimemus protinus, coram Deo illum reprehensibilem fuisse, sed tantùm coram hominibus, usque non omnibus, sed Christianis tantùm ex Gentibus, qui præsentes aderant: & non intelligentes D. Petri dispensationem, passi sunt scandalum, & exemplo eius, quem videbant se ab ipsis segregare, Iudaizare cogebantur, putantes D. Petrum ipsis refragari, propterea quòd incircumcisos vt immundos, & suo commertio indignos auersaretur. Asseritur itaque hîc D. Petrum fuisse reprehensibilem, ea loquendi forma, qua sequenti capite Christus dicitur factus pro nobis maledictum, hominum scilicet æstimatione. Sic exponunt Theophilactus, Hieronymus, Chrysostomus, Athanasius: quin & ipse D. Paulus S. Petrum alloquens his verbis: Si tu, Iudæus cùm sis, gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo gentes cogis Iudaizare? manifestè ostendit, non aliter D. Petrum fuisse reprehensibilem, quàm Gentium existimatione. Consonat textus Ambrosij, qui non habet D. Petrum fuisse reprehensibilem, sed reprehensum: et textus Græcus, qui D. Petrũ dicit κατεγνωσμένον, Petrus quomodo fuerit reprehensibilis. Galat. 3.

id est, reprehensum, scilicet à gentibus. Clariùs etiam lectio Syriaca, quæ translata, ita se habet. Quia offensionem passi erant in eo, pro eo quod nos legimus: quia reprehensibilis erat.

Quinã fuerint illi non ambulantes secundũ veritatẽ Euangelij. Galat. 2.

Ita quando legimus, quòd non ambulabant ad veritatem Euangelij, non de D. Petro, sed de his intelliges, qui superuenerant à Iacobo, de quibus Ambrosius testatur, quòd Christum & Moysen æquo iure venerabantur: aut de Christianis ex Iudæis loquitur, qui cum eadem ignorantia D. Petri simulationi consenserunt. Nec simulatio, quam Græci appellant ὑπόκρισιν, semper est peccatum, cùm & Christus Dominus in forma peregrini apparens duobus discipulis in Emmaũtem euntibus, finxerit se longiùs ire. Luc. 24.

Quomodo Paulus Petro restiterit.

Neque Paulus Petro restitit, vt Petrum corrigeret, sed vt corrigerentur hi, qui nescientes animum Petri, vel seducebantur, vel in priori errore confirmabantur.

Petri autoritas.

Contrà verò attentiùs cõsiderandum, quanta fuerit D. Petri autoritas: vt etiam præsente D. Paulo, & alij, & ipse Barnabas Apostolus consentirent Petri simulationi: vt D. Paulus ex hoc probet, se non esse vulgarem discipulum (quod quidam calumniabantur) sed tantum potius Apostolum, qui Petro ipsi ausus fuerit in faciem resistere: vt ex eo Paulus suam doctrinam veram esse confirmet, quòd Petrus etiam reprehensione lacessitus ei non contradixerit: vt Ambrosio

Galat. 2.

broſio teſte, ideo in ſolum Petrum inuehatur Paulus, vt in eo, qui primus erat, diſcerent cæteri: Poſtremò vt tanta ſit Chriſti circa Petrum prouidentia, quæ non permiſerit vllum ex eius facto non intellecto vel minimum offendi, quin ſtatim adfuerit vnus Paulus, rei difficultatem declarans. S. Petrum in ea ſimulatione non peccaſſe, Imò non potuiſſe melius facere, quàm fecit, inde perſpicuè colligitur, ſi perpendas anguſtias, in quibus verſabatur: Antequam enim venirent Cerinthiani ex Hieruſalem, qui legem & Chriſtum ſimul colebant, cum Gentibus edebat: illis verò ſuperuenientibus, neceſſe erat alterutros offendi: Si manebat cum Chriſtianis ex Gentibus, perturbabat Iudæos, qui nefas id eſſe arbitrabantur: ſi ſe ſubtrahebat, ſuo exemplo Gentes cogebat Iudaizare: hos laqueos, vide quàm prudenter euaſerit: Maluit Paſtor ouium Chriſti prouidere Iudæis, quorum ſpecialem præ cæteris habebat curam, vtpote qui Apoſtolus erat circumciſionis, & Vicarius Chriſti: qui cùm ſit Deus Iudæorum & Gentium, miniſter tamen fuit circumciſionis: Sic enim certus erat, nullũ imminere periculũ Gentibus, cùm Paulum et Barnabam adeſſe videret, quibus iam dexteram ſocietatis porrexerat, vt peculiarem Gentium Apoſtolatum in eis approbaret. Ita factum eſt, vt nec Iudæi putarent legem Moyſis à Petro contemni, quaſi Gentium idololatriam (quod procul dubio erant credituri, ſi vidiſſent illum menſæ Gentium accumbentem, & Chriſti fidem, quam ex

Epiphan. in Cerinthianis.

Rom. 15.

parte ſuſceperant, omnino deſeruiſſent) nec Gentes interim cogebantur Iudaizare, D. Paulo falſæ huic perſuaſioni ſtrenuè reſiſtente. Quin & D. Paulus nouerat, cùm opus eſſe iudicaret, fieri Iudæis tanquàm Iudæus, vnde & totondit ſe, & purificauit in templo more Iudæorum: & Timotheum circuncidit. D. Petrus etiam legem Moyſis probè ſciebat non eſſe amplius neceſſariam, & ideo teſte D. Paulo cum Gentibus edebat, Gentiliter viuens, id eſt, non Iudaicè.

1. Cor. 9.
Actor. 21.
Actor. 16.

Petrus cur reprehenſus ſit in faciē.

Reprehenſus eſt autem, vt alij corrigerentur, qui reprehenſionem tolerare præ Spiritus infirmitate non potuiſſent, & ſuum errorem, exemplo D. Petri non intellecto, conati fuiſſent defendere. Et reprehenſus eſt in faciem, id eſt, palam: dirigebantur enim ad D. Petrum verba coram omnibus: nihilominus reprehenſus eſt etiam in faciem, id eſt, in ſpeciem, & non ex animo, ratione ſcilicet habita ipſius Petri, quem Paulus nouerat benè ſentire, vt in Concilio Hieroſolymorum definientem audierat.

Actor. 15.

Nullum ergo prorſus in hac Petri & Pauli diſſenſione ſuis diſſenſionibus, factionibus & ſchiſmatibus, quibus miſerandum in modum inter ſe mutuò diſſecti & à ſe inuicem diuiſi ſunt, hæretici noſtræ ætatis patrocinium quærere poſſunt.

OBIECTIO NOVATORVM XXX.

Ecclesia vna.

Apud Papiſtas non ſolùm ſunt ſingulis hominibus, ſed & vrbibus, & prouinciis Patroni peculiares, vt ſcilicet Marcus Venetis, ſanctus Stanislaus Polonis, Boruſſi

Borusis sanctus Albertus, Bauaris sanctus Rupertus, Corbinianus & alij. Eaquè de caussa, cum Catholici tam diuersos sibi patronos accersant & tutelares, dissidere illos in doctrina Christianæ religionis constat.

Multitudo Patronorũ Catholicis obiicitur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Bellane isthæc ratio est? Catholicorum alij Petrum Canisium malunt, alij Ioannem Nasum concionantem audire, cum licet vterque in suo genere excellens sit, neuter tamen docet ab altero diuersum, nec Catholici, qui vel hunc, vel illum libentius audiunt, idcirco discordes censebuntur. Sic Ingolstadij ex iis, qui infirma valetudine præditi sunt, quidam Doctoris Boschij, quidam Philippi Menzelij, quidam Cyriaci Lanzij, quidam alterius opera vti mauult. Idcirco ne medica ars prauа est, vel penitus sunt in arte sua Medici discordes, vel ægrotantes de medicina dissentiunt? S. Vlrichum patronum colunt Augustani ciues, quia Euangelium Christi ea in vrbe instaurauit, miraculis illustrauit, propagauit aliò etiam. Salisburgenses contrà, D. Rubertum, quòd & ipse fuit in Alpibus illis primarius Euangelij Apostolus. Eadem de aliis ratio & caussa est. Sed quid inde dissidij colligis, demens hæretice?

OBIECTIO NOVATORVM XXXI.

Canones à summis Pontificibus æditi dissentiunt & sibi inuicem contrarij sunt. Inuenitur enim Canon,

Dist. 31. Nicæna Synodus dist. 32. Seruãda est igitur c. 13. q. 2. Nõ æstimemus cap. 24. q. 2.

qui Sacerdotibus concedit matrimonium, & è contra inuenitur alius, qui eisdem interdicit. Sic Decretum quatuor modis censet animas defunctorum liberari, & è contra idem Decretum habet, mortuos nec solui posse, nec ligari. Sic rursus quidam Canon communionem vtriusque speciei non solùm permittit, sed etiam præcipit, & è contra vsus vtriusq; speciei apud Papistas nequaquam conceditur. Quis ergo non videt, eos in articulos fidei à se inuicem dissentire?

Contrarietas Canonũ quorũdam Catholicis obiicitur. De con. dist. 2. can. comperimus.

RESPONSIO CATHOLICA.

Canones quomodosi bi inuicẽ cõtrarij sint.

Contrarias asseris reperiri sanctiones Canonum. Ingens peccatum. Quibus autem in rebus? In eísne, quæ sunt Iuris diuini? Auertat Deus: prudentiores enim dedit Deꝰ semper Ecclesiæ suæ Oeconomos, quàm tale vt flagitiũ committerent. In illis igitur, quæ iuris positiui? Ita prorsus & rectè quidem. Quia enim dubium non est vlli Christiano, Oecumenicum Concilium vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ personam quasi repræsentare: cum hæc ipsa Ecclesia sit (magistro Spiritu scilicet) legitima fidelisq; scripturarum, iurisque Diuini interpres, quia nec addit substãtiæ Diuini verbi quippiam, quod abesse, nec subtrahit, quod adesse necessariò oporteat: cumque hoc præstet fideliter, nec id solet negligere, quô rectius generales illi, ex diuino iure deriuati Canones, singulis personis pro diuersitate diuersorum casuum applicari possint, atq; dispensari, quin etiã ex circumstantiis, quæ circa substantiam diuini iuris

versantur

versantur, ius formet positiuum, & ex hoc consimiles sanciat Canones: qui, sicuti communi Catholicæ Ecclesiæ consensu sanciti sunt atque recepti, pro temporum locorumque opportunitate, sic queant eiusdem Catholicæ Ecclesiæ ci sensu mutari, queant deleri, queant reponi dissimiles atque diuersi. Quid hac in re hæretici dissidij est?

Est, inquis, vbi Canones matrimonium concedunt Sacerdotibus, vt dist. 31. Nicæna Synodus: est contrà, vt distinct. 32. Nunquid contraria hæc non sunt? Diuersa sunt, fateor, & relatiuè opposita, non contraria: quoniam matrimonium non opponitur cælibatui, tanquam ignis aquæ: nec priuatiua sunt, quoniam non omnis homo natus est, vt sit coniunx: atq; si esset necessariò, nisi copularetur, eum aliqua parte sui priuari oporteret: quod autem cùm non eueniat, necessitas ducendæ vxoris imponi debet nemini. Quare etiamsi ipsum matrimonium res sacra est, planeq; Diuini iuris, nec, ne non sit, vlla hominum authoritas potest efficere: certum tamen est, coniugium, non ratione ipsius, sed respectu personarum, esse adiaphorum, vt liceat ducere, qui velit: qui nolit, & hoc liberum esse, vt liceat non ducere. Eamq; ob causſam D. Paulus: Dico autem, inquit, cælibibus (ἀγάμοις) & viduis, ipsis bonum est, si maneant sicut & ego. Hoc dat consilium Paulus, cælibatum suadens: illud contrà non continentibus, si non continent, inquit, ducant vel nubant: melius enim est nubere, quàm vri.

Canonum repugnãtia de Matrimonio Sacerdotum.

Matrimonium bellorum. 1. Cor. 7.

Vtrumque esse bonum affirmat: sed alterum tamen altero esse melius: quoniam qui ducit, inquit, benefacit: qui non ducit, facit melius. Idcirco & D. Gregorius Nazianzenus cœlibem vitæ statum sic carmine celebrat.

ὄλβιοι ἀζυγέων μακάρων βίοι, οἵ θεότητι
εἰσὶ πέλας καθαρῆς, σαρκὶ ἀποσσεύαμενοι.

Hæc sanè in vtramq; partem Diuinitus concessa libertas, ex personarum circumstantiis præbuit necessitatem Ecclesiæ, vt vigore iuris positiui sanciret de vtriusq; libertatis conuenientia certos Canones: sicuti factum esse videmus & hac lege prorsus: quia enim in neutro libertatis genere vltimus finis poni debet, sed medius quispiam, ad vltimum qui ducat, videlicet, vt carnali soboli procreandæ seruiat connubium: spirituali, cælibatus. Hoc ex vsu Ecclesia ponderans circumstantias locorum, temporum, atq; personarum, Canones diuersos proposuit: Græcis Ecclesiis & Orientalibus, propter eius gentis & loci conditionem, concessit Nicæna Synodus coniugium, non vt omnes oporteat ducere, sed vt liceat, cui lubeat: Latinis Occidentalibusq; Ecclesiis nõ concessit, quòd hæ & fidei Catholicæ constantia, et honestate sanctioris vitæ semper Græcis plurimùm præcellebant: quòd item sese vltrò obstrinxerant voto casti cælibatus: Vnde Stephanus Papa ait, Occidentalis, non Orientalis Ecclesiæ castitatis votum obtulit. Aliter se Orientalium Ecclesiarum traditio habet, aliter huius Romanæ Ecclesiæ.

Sacerdotes vxorati in Græca Ecclesia tolerãtur, in Latina non.

Stephanus Papa d. 32.

Nam

Nam earum Sacerdotes, Diaconi, aut Subdiaconi in matrimonio copulantur. Istius autem Ecclesiæ, vel occidentalium Ecclesiarum, nullus Sacerdotũ à Subdiacono vsq; ad Episcopum licentiam habet, coniugiũ sortiendi &c.

Quibusnã liberum sit matrimonium contrahere.

Cuilibet Christianorum, antquàm vouit cælibis vitæ castitatem, licet ducere, si vir est, si fœmina, nubere: Posteà verò, quàm vouit, vt abstineat, necesse est. Atqui huius positiui iuris Canonem insinuasse videtur D. Paulus, cum sic quærit: Alligatus vxori es, ne quæras dissolutionem. Solutus ab vxore, ne quæras vxorem. Vtrobiq; libertatem proposuit diuus Paulus, vt, si velis ducere, possis hoc honestè facere, si nolis, possis cælebs viuere. At verò tum amplius liberum esse non voluit, vt, cum duxeris, licitum sit ab vxore solui: vt, cùm cælibem vitam vouisti, rectè queas à cælibatu solui, copulari coniugio. Hæc cùm ita sint, Nouator, quam tu hîc discordiam fingis? quam hæreseos notam, aut schismatis inde collegisti? videsne quàm ineptus sis in doctrina Canonũ? quàm temerarius in aliena republica Nouator? quàm strenuus rectè dictorum calumniator?

1. Cor. 7.

Canonum cõtrarietas de liberatione animarũ ex purgatorio, Catholicis per hæreticos obiecta.

Decretum, inquis, quatuor modis censet animas defunctorum liberari, vt est causſa 13. q. 2. Non æstimemus, & in præsenti. Contraque caus. 24. q. 2. Mortuos nec solui posse nec ligari. Hos Canones vult Nouator contrarios esse, & ea de causſa etiam æquè esse inter Catholicos ac inter Cõfessionistas hæreticam

discordiam. Sacrilegum (quæso) hîc animaduerte decipiendi studium. Tria genera hominum sunt morientium: alij, qui citra moram, vt mortui sunt, cælo excipiuntur, vt Apostoli, vt Euangelistæ, vt Martyres & similes, qui in vera fide per charitatem operante excesserunt hac vita: alij, qui in lætalis culpæ nexu obierunt, quales sunt Ethnici, Iudæi, Hæretici, & qui sine pœnitentia vitã duxerunt flagitiosam, & hi nullis possunt officiis iuuari amplius: alij, qui tametsi in fide per charitatem operante migrârunt ex hac vita, tamen quia non expiârint temporalium pœnarum satisfactiones, illo in seculo vt eas pœnas satispatiendo dependant, necesse est, nisi piis precibus iuuentur, & ieiuniis & Eleemosynis Ecclesiæ. De hoc vltimo genere loquitur decretum: de secundo respondet Gelasius Papa. Nec nisi & oculis cæcutiret corporis & animi Nouator, in margine glossam potuisset legere homo peruersus, nisi sciens volensq; omnia peruertere conaretur. Nam quidã hæretici, inquit glossa, in ciuitate Constantinopolitanæ postulauerunt à Fausto Apostolicæ sedis Legato, vt veniam sibi concederet: nolebat tamen corrigi de errore. Item petebant, quòd hæretici, qui iã defuncti fuerant, absoluerentur. Quare Legatus quæsiuit à Gelasio, vtrum hoc esset faciendũ. Respondit, quòd non, quia sub isto cælo nec exemplum inueniri, vt remanentibus in errore veniã concedatur: Sic glossa nec veriùs quicquàm dici aut rectiùs potuisset. Pro his enim, qui vel in hæresi moriuntur,

Decretum caus. 13. q. 2 Gelasiꝰ Papa caus. 24. quæ. 2.

vel

vel in aliquo manifesto mortiferoq; flagitio, cuius non pœnituerit eos in hac vita, certum est, nullas preces valere, contraq; pro illis, qui in Catholica fide & vera pœnitentia decesserint, valere vehementer, Ecclesia nunquam dubitauit. Iterúmne vides, quàm grandis sis & strigosa bestia?

Dicit Illyricus, Decreto sancitum, quòd, qui communicet sub vna specie, committat sacrilegium, & hoc ex Pontificio Canone putat se probaturum: Præstigijs illudunt Nouatores. Non enim sic simpliciter semper acceptare oportet Canones, sicut verba sonant, sed potiùs diligenter prius considerandum est, qua occasione, & quo fine ipsi à Pontificibus ædi ti sint. Sic etiam isto Canone, non simpliciter vnius speciei vsus in Sacramento Eucharistiæ à Pontifice damnatus & reiectus est, sed grauibus de causßis, ad certum tantùm tempus suspensus & interdictus. Cùm nimirum illa vnius speciei communione, quidam Pseudochristiani, ad suam obtegendam abuterentur hæresin, quia Manichæum sequuti persuasum habebant, Christum Dominum non corpus verum, sed phantasticum atque imaginarium, ideoque exangue habuisse, ad corporis quidem Sacramentum, id est, panem illum mysticum atque sacrum accipiendum accedebant: Sed à calice Domini, quem è vino nobis non natura dat, sed facit consecratio, abhorrebant cane peius & angue, quòd opinarentur miselli, vinum

De con. dist. 2. can. comperimus.

Vera causa, ob quàm à Romanis Ponti. olim communio vnius speciei, ad tempꝰ prohibita fuit.

Manichæi cur à calicis tantùm cõmunione abstinebãt.

vnum esse mali principij (quòd Deo vero & bono somniabant Deum contrariũ) creaturam, Christumq; in corpore, vti aiebant, phantastico sanguinem non habuisse verum, sed phantasticum.

Hanc superstitionem Diuus Leo anno 450. atq; Gelasius anno 490. & successores quidam, cùm deprehendissent, illa sub vnius speciei communione ceu operculo tectam, in populum Dei grassari, imò depasci, atq; sceleratissima infectum hæresi enecare, suis nitebantur edictis pestem hanc sæuissimam à Christi ouibus depellere. Hinc orta illa decreta COMPERIMVS, & similia, quæ non in Sacerdotes, sed in laicos illa de caussa nobis videntur promulgata. Quò enim infallibiliter illi Lupi Manichæi, pellibus Christi ouiculas mentiti, possint & deprehendi & caueri, diserte docet suos Romanos D. Leo, quonam indicio haud dubium & agnoscantur & deprehendantur. Cùmq; ad tegendam infidelitatem suã, ait, exerta oratione contra Manichæos nominatim depugnans, nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant, vt interdum tutiùs lateant. Ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, vt vobis huiuscemodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à sanctorum societate sacerdotali autoritate pellantur.

Manichæi inter Catholicos delitescebant Romę sub vnius speciei communionis prætextu.

D. Leo ser. 4. de quadr.

Ad

Ad quæ diui Leonis verba si illud Gelasii Can: COMPERIMVS: *D. Consec: dist. 2. componatur, perspicuum fiet, quis nam sit eius genuinus sensus, cùm eadem ex caussa contra Manichæos à se Roma pulsos sit decretũ: Comperimus, inquit, quod quidam sumpta tantummodò corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstinent: qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur astringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Hac igitur occasione per Italiam maximè, vbi grassabantur per id temporis Manichæi, in omnium vsum & renocata & mandata fuit adeò vtriusque speciei communio: quæ si fuisset illo seculo inuiolata & ab omnibus obseruata Catholicis, non potuissent latere Manichæi, aut illa vnius speciei communione suam, vti ait Diuus Leo, tegere infidelitatem. Dum enim & Catholici vna panis specie contenti discedebant, incertum erat, vtrùm qui accederet, Manichæus esset, an Catholicus: Verùm vbi edicto cautum esset, nõ amplius calicis communione abstinendum, qui Catholici erant, haud dubium ad sacrum accedebant calicem, suam & testaturi fidem, & hæreseos opinionem declinaturi. Qui verò in postremum à calice abstinebant, haud obscuriùs se prodebant ipsi Manichæos, atq; suo periit indicio sorex.*

Can. Comperim⁹. qui Catholicis à nouatoribus contra communionem vnius speciei, obiicitur.

Aetate D. Leonis Romæ cõmunio vnius speciei passim vigebat duranteibidem tum vtriusq; speciei cõmunione.

Ex iis, quæ diximus, nunc perspicuum esse confidimus, illo tempore, vnam Eucharistiæ speciem Romæ antea vsitatam, Leonis & Gelasii edictis sublatam, ad Ma-

ad Manichæismum per Italiam in primis extirpandum. Nec tamen communionem vtriusque speciei simpliciter damnatam. Ideoque etiam Canones allegatos de communione vtriusque speciei, cum more communicandi sub vna specie, qui nunc seruatur in Ecclesia, nequaquam pugnare, vti nugantur Nouatores.

OBIECTIO NOVATORVM XXXII.

Diuersitas ordinũ cęremoniarum, Breuiariorũ &c. obiiciturcontra vnitatẽ Ecclesiæ.

Magna illa diuersitas ordinum & religionum apud Papistas testatur, apud illos etiam esse dissensiones. Hic enim sequitur institutum sancti Francisci, Ille Dominici; Alter alterius Sancti, & quilibet fermè propriam sibi ad æternam salutem viam quærit. Item magna illa diuersitas ceremoniarum, quibus diuersimodè in diuersis Episcopatibus & ordinibus vtuntur. Item diuersissima Breuiaria & Missalia satis testantur, Ecclesiam Papisticam non vnam, vti gloriantur, sed dissensionibus mutuis scissam & à se inuicem diuisam esse.

RESPONSIO CATHOLICA.

Mysterium diuersitatis in Ecclesia.

Alij alia habent Breuiaria, alia Missalia, alias cæremonias. O grande nefas. Diuersi sunt Monachorum ordines. O irreconciliabilis discordia. Vtinam nos Germani expenderemus, quàm admiranda Dei sapientia in hac rerum diuersitate recondita lateat. Potuisset Deus omnes mortales ad vnius certi hominis effigiem creare, si voluisset, cum tanta sit, & ingeniorum, & facierum varietas, vt vix inter decem millia inue-

uenias duos, qui facie eadem sint, aut ingenio similes. Cur autem? Hæc Dei infinitæ virtutis laus est, identitatem seruare in specie, in individuis diuersitatem, vt ex vtriusque commixtione earum, quas creauit, rerum consistat perfectio. Vna scriptura sacra cunctis est Catholicis, vnus etiam illius & Orthodoxus intellectus, vnus Magister, vnus Mediator, homo Iesus Christus. Hac in vnitate, propter varias & locorum & temporum personarumq; circumstantias, insignis quædam est diuersitas: quæ sic virtutem matrem colit, vt filias huius ex suggestu templi producat in forum, in curiam, in singulas domos. Et hoc expressit Gregorius Nazianzenus suauissimo versu.

ἄλλης ἀλλοίην ἀρετὴν ὑπὸ χῶρον ἀγῶσης,
πολλαὶ γὰρ πολλῶν εἰσὶ μοναὶ βιότων.

Scilicet, vt ex hac diuersitate diuersa emanarent iustitiæ præmia, ex illa vnitate communis per Christum iustificatrix gratia agnosceretur. Sed hoc ei, quem circumferunt hæretici, Spiritui ignotum, & absconditum est. Illud dicant velim, quoniam diuersis linguis locuti leguntur Apostoli, ideone discordes?

Monachorum varij quidem ordines sunt, sed idem Christus tamen: eadem scriptura, eadem fides, eadem Sacramenta vniuersis. Alius se hoc modo iugum Christi commodiùs portare posse credit, alius illo, alius isto: cùm omnibus eiusdem vnius ferendi iugi, eadem sit mens, eadem voluntas,

Diuersitas ordinũ an repugnet vnitati Ecclesiæ.

Ita quoq;

Diuersitas Cęremoniarum Agendarum, & Breuiariorum.

Ita quoq; statuendum de Cæremoniis, de Agendis, de Breuiariis: in quibus omnibus vnum est idemque corpus, vestitus diuersus: quem, ex consensu capitis, pro commoditate sua & decori totius corporis, cuilibet membro, hoc est, cuiuis particulari Ecclesiæ & ordini, peculiarem sumere licuit semper.

1. Ioan. 1.

Quare autem, inquis, contendunt hi, quòd ordo suus præstet: illi contrà, quod suus? Quia homines sunt, de quibus rectè dici potest, quòd si negent se peccatum habere, veritas in eis non habitet. Luctatur enim & in Monachis caro aduersùs peccatum, & spiritus aduersùs carnem: atque ne succumbat spiritus, vincat caro, mundi illecebras disciplina monastica vitare studens: tametsi sic euitare plerique non possunt, quin etiam in id superbiæ malum impingant nonnunquam, vt regulam sui ordinis meliorem esse glorientur, deteriorem alterius.

OBIECTIO NOVATORVM XXXIII.

Scholastici disputationes obiiciuntur contra vnitatem Ecclesiæ.

Scholastici Doctores, inter Papistarum Theologos præcipui, de summis fidei Christianæ capitibus acerrimas inter se habent lites. Videatur enim tantùm, quomodo Magistro Sententiarum cum reliquis Scholasticis, in doctrina de libero arbitrio, quomodo rursus alijs Scholasticis in doctrina de opere operato, Item de bonis operibus, inter se conueniat. Erasmus certè & Rossensis has Scholasticorũ mutuas lites apertè confessi sunt. Vnde consequitur, ipsam quoq; Papistarum Ecclesiam non vnam esse, sicuti gloriantur.

RE-

RESPONSIO CATHOLICA.

De scholasticorum Doctorum discordiis sibi censuram vendicat Nouator, sumitque sibi de tantis viris iudicium, quos ne legit quidem vnquam, tantum abest, vt quoquo modo rectè intellexerit. Per occasionem fortuito, opinor, aspectu, si quando vocula̅m arripiunt isti homunculi, quàm putent non sic dictam oportuisse, mox eam censura collisi cerebri sui feriunt. Ne autem ego & tempus inutiliter teram, & ineptias Nouatorum cogar discutere, id ab iis efflagito, nominatim nobis vt enuncient, num audeant dicere, dissensiones eas, quas inter se dubio sensu exercent Scholastici Doctores, esse de iure diuino, hoc est, vel de solidis membris Christianæ doctrinæ, vel de ipsis fidei Catholicæ articulis: an verò de capillaribus venis, subtilibusque illis & minutis intricatissimarum quæstionum spinis: an de iuris positiui emergentibus casibus. Hisce positis Diuini iuris & Humani differentiis, quid erit difficultatis porrò, quò minùs discernere possimus, Lutheranæne potiùs, an Scholasticorum Doctorum disceptationes sint hæreticæ, sint errorum plenæ, sint seditiosæ ciuilium contentionum flammæ atque faces? Punctim de his, non eminus velitando, oportebat determinare metas. Ego verò, ne, quod præcisè constituendum fuit, ambiguè pronunciem, nec quod in specie tractandum, generatim, quasi per transennas tractasse videar: aio omnes Scholasticorum disceptationes, quas ipsi inter

De quibus rebus Scholastici Theologi inter se dissentiant.

ſeſe dubio contrarioque ſenſu controuertunt, eſſe vel de caſibus ad ius poſitiuum pertinentibus, vel de minutioribus Theologicarum quæſtionum ſpinetis, vel de his denique, de quibus adhuc nulla extent decreta Catholicæ Eccleſiæ: non autem de ſolidis Chriſtianæ doctrinæ membris, non de ipſis fidei noſtræ articulis, non de aliis quæſtionibus per Eccleſiæ iudicium definitis. Huc prodi Nouatur: hîc, qui ſis vir, oſtende: hîc, quid valeas, declara: hîc etenim tibi, crede mihi, reſtabit inſignis pro te ſectaque tua dicenda corona.

Mag. ſent. libr. 2. diſt. 25. & 26. Petri Lombardi error de libero arbitrio Catholicis obiicitur.

Atqui verò dicis, Magiſtrum Sententiarum aſſerere, adeò hominis vires corruptas eſſe, vt nihil boni queat penitus ex libero arbitrio facere, niſi Deus de nouo creet in illo nouum liberum arbitrium. Latherus, tametſi aliàs iniquus erat & durus cenſor Petri Lombardi & Scholaſticorum Doctorum, haud dubiè tamen, ſi aliquem ex grege ſuorum ſequacium talia negantem audiſſet, exclamaſſet, & pro autoritate ſua dixiſſet, ſpectate, vt ſe delirus aſinus in Theologia iactat. Ait homo, & ſui & honoris publici oblitus, Magiſtrum affirmare, adeò corruptam naturam eſſe, vt prorſus nihil habeat amplius liberi arbitrij, poſt lapſum: cùm iſta veſana dementia non ſomnianti quidem Magiſtro vnquã venerit in mentem. Triplicem ille eodem in loco, quem Nouator allegauit, recenſet libertatem: vnam à neceſſitate: alteram à peccato: tertiam à miſeria: quarum poſteriores duas

res duas amissas dicit, primam duntaxat post lapsum hominis mansisse: nec ab hac Magistri sententia Scholastici Doctores recesserunt, sed affirmant vnanimes, quòd alia sit libertas naturæ, alia gratiæ, alia gloriæ: primam remansisse, reliquas amissas esse ac perditas peccato primi hominis. Neque ita solùm Magister, &, qui hunc frequenter secuti sunt, Doctores Scholastici, sed etiam Augustinus, etiam Chrysostomus, etiam Bernardus, Patresque sancti omnes. Quid igitur nugaris Nouator? Quis te Spiritus in eos adegit Manichæos scopulos? Cacodæmon certè: qui te, sociosque tuos docuit, edeò naturam hominis corruptam esse, vt existimetis hominem non minus, quid Deus in ipso agat, sentire: quàm incus, quid malleus. Perge Nouator: habes Stoicos Manichæosque Magistros, habes ducem ipsum Satanam, habes comites Caluinum, Amsdorphium, Gallum: dies vos docebit & supplicium, quos Ecclesia Christi non potuit docere.

Calumniæ Lutheranorum, de dissensionibus Scholasticorum Theologorum.

De opere operato, deq; bonis operibus quod Scholasticis Doctoribus obiicis, tuum mendacium est Nouator, non dogma illorum. Fingitis tu tuiique similes ista commenta: Nemo Scholasticorũ ita scripsit: Nemo ita sensit, & si qui ita senserunt vnquàm, damnatos ab Ecclesia scito. Tuum erat nominatim dicta istorum, quos insimulas, asscribere, & quo in loco, & à quibus. At tu horum prorsus nihil, ne vulgo impostura tua patefiant.

Autoritas Eraſmi nobis, ſanctiſque Martyris Anglici Roſenſis opponitur, affirmantium de argutiis Scholaſticarum diſputationum inter Doctores eſſe lites: id ſi quis noſtrûm negaret, fortè cauillandi haberet occaſionem Nouator: At verò quis refellit? Hoc quæro, hoc poſtulo, nobis ediſſeri abs te Nouator, num Eraſmus, vel Roſenſis Scholaſticos Doctores affirmet diſſentire de ſolidis Chriſtianæ doctrinæ membris, diſcordes eſſe in articulis fidei, de fundamento contendere, hæreſes tueri. Neque Roſenſis hoc, neque Eraſmus dicit: quô igitur tua iſta ſpecie allegatæ autoritatis vanitas? Nimirum, vt te inſignem declares impoſtorem, illos turpis mendacij teſtes cupias eſſe. Sunt contentiones inter Scholaſticos, ſed qua de re? De ſpinoſis quibuſdam & obſcuris quæſtionibus: quæ ſi explicatæ ſint, non parum lucis poſſint aliis ſcripturæ locis afferre: ſin minus, maneant ſub iudice lites, nec inde quicquam capiet detrimenti Chriſtiana reſpublica, nihil inde metuendum hæreſeos, nihil ſchiſmatis: contenditur enim ſaluo charitatis vinculo, ſaluis Catholicæ fidei articulis. An apud Lutheranos etiam? Libri horum legantur, conciones audiantur, notentur ſchiſmata. Adeò ipſum Chriſtianæ doctrinæ corpus conuulſerunt, vt ne vllus quidem articulus vlli cohæreat, nec vllum ſuo loco membrum conſiſtat amplius.

OBIECTIO NOVATORVM XXXIIII.

Ambroſio Catharino acerrima diſputatio fuit, non ſolùm

solùm in ipso Concilio Tridentino, verùm etiam diu antea, cum Dominico à Soto de certitudine gratiæ Diuinæ. Id quod libri eorũ, in publicum contra se inuicem æditi, in oculis totius mundi testãtur. Ergo Papistæ, nolint velint, concedere tandem cogentur, inter ipsos quoq; hæreticas esse discordias, & per consequens ipsorum Ecclesiam non esse vnam.

Catharini & Soti disputatio de certitudine gratiæ, obiicitur contra vnitatem Ecclesiæ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Cum insigni impudentia, mentiendi turpitudinem coniungunt Nouatores, cùm idcirco hæreticas discordias fuisse inter Patres Tridentini Concilij asseuerant, quòd Ambrosio Catharino, cum Dominico à Soto disceptatio fuit de certitudine Diuinæ gratiæ. Nam quemadmodum vestra assertio, quòd sola fide possit homo certè statuere, se esse in gratia Dei, omnino Eunomiana hæresis est: sic contrà, veritas Catholica, quòd nesciat homo, amore ne, an odio dignus sit, cùm nemo scire possit certitudine fidei Diuinæ, cui non potest subesse falsum (speciale priuilegium excipitur, quale Maria habuit & Petrus) an perseuraturus sit ad finem vsque, vel non, an morti prædestinatus, aut vitæ. De vtraque sententia inter Patres Tridentini Concilij disputatũ est explicandæ veritatis caussa: estq; prior ista, quoniam impia & Eunomiana hæresis est, concordissimo iudicio legitimè damnata, atque reiecta: altera admissa in subtiliorem discutiendi modum.

Sūma controuersiæ inter Catharinū & Sotum, de certitudine gratiæ.

Punctus autem huius controuersiæ, quæ inter Sotum & Catharinum est, versatur in eo, quòd hic affirmat, posse hominem, se esse in gratia Dei, scire ex fide per charitatem operante, non tamen tanta certitudine, quanta est Catholicæ fidei: ille contrà, non posse, sed tantum queat habere certitudinis, quantum probabiliter ex eo, quòd diligat, valeat statuere. Nouator ex hac Dominici Soti Catharinique lite, puta se euincere, inter Catholicos esse hæreticas dissensiones: at quid Theologo indignius, quàm quale hoc genus disceptationis sit, non animaduertere? Crede mihi, neutrius Theologi opera, Catharini Venetiis, Soti Lutetiæ emitti in vulgus proceres consensissent, nisi dubiæ litis rem cognouissent esse. Nihil verò pœne cupio suæ temeritatis luere Nouatorem, nisi, vt scripta vtriusque Doctoris legat: at legat (inquam) non voluat: & legat hoc pacto, ne tergiuersetur, sed alterutrum è duobus faciat: aut, vt polliceatur, se effecturum, ne vlla remaneat necessaria deinceps ea in quæstione dubitatio: aut, si id se videat præstare non posse, sinat istam inter Catholicos Doctores agitari quæstionem, quoad, ex illa disputationum collisione, veritatis scintillæ emicent clariores: cum neuter illorum interea neque charitatis soluat vinculum, neq; præiudicet quicquam vlli articulo fidei.

OBIECTIO NOVATORVM XXXV.

Etiamsi certissimam hæreseos notam esse probaretur, quòd

tur, quòd hæretici semper inter sese soleant esse discordes, de præcipuis Christianæ fidei articulis: Inde tamen non consequeretur, Lutheranos seu Euangelicos hæreticos esse. Ii enim in suo doctrinæ fundamento, ne in minimo quidem discrepant, sed si qua vspiam est controuersia, ea prorsus non est de vllo vel fidei, vel Augustanæ confessionis articulo, sed tantùm de rebus non maxmi momenti.

Lutheranos de nullo fidei articulo dissentire obiicitur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Vertiginem adfert hæreticis argumentum istud. Vbi scissuræ sint & schismata in præcipuis Christianæ doctrinæ articulis, ibi etiam hæreses non posse non esse. Atqui Lutherani negare non possunt, permultas apud ipsos hæreticas scissuras & schismata, etiam in præcipuis Augustanæ Confessionis ipsorum articulis reperiri: Sunt ergo inter eos Hæreses quoque & hæretici. Sed cùm primæ propositioni nemo absque veritatis iniuria possit contradicere, Nouator ad alteram sese transfert, pernegans apud Euangelicos vel de minima particula vllam extare controuersiam.

Quòd vt confutetur, & homo impudens coram toto orbe pudefiat, quosdam illius Symmystas & eius similes Sectarios huc adferam, qui illi pileum nonnihil à fronte remoueant, eumq; ad speculum adducant, vti vel sic oris sui impudentiam, frontemq; perfrictam possit animaduertere.

Itaque Nicolaus Amsdorphius libro suo, cui titu-

Amsdorphij testimoniũ, de dissensionibus Lutheranorum.

lum fecit, publica Confessio puræ doctrinæ Euangelij, & confutatio præsentium Suuermerorum, vel factiosorum: Res, inquit, nihilo fit melior, sed indies deterior. Omnia nihil præ se ferunt aliud, quàm Euangelium apud nos pessum iturum, & loco Euangelij, non nisi meros eosdemq; egregios errores nos habituros: non quidem aliam ob caussam, quàm quod humanæ rationis prudentiæ, non autem ipsius veritatis studiosi sumus. Brentius & Adiapohoristæ iam in Colloquio Vuormatiensi Zuinglium & Osiandrum, propterea quòd linguarum & artium insigni peritia fuerint, condemnare noluerunt: Nostros autem, qui Colloquio illi consentire recusârunt, nisi illi damnarentur, sannis & contumeliis laceratos, è Colloquio excluserunt, atq; abire compulerunt, &c.

En tibi Schmidelinum egregium conciliatorem.

Sunt qui dicant se condemnare Zuinglianismum, sed Brentij præfatio in librum Domini Iacobi Geppingensis, longè aliud testatur. Hîc enim piũm Lutherum & Zuinglium, si Diis placet, conciliare moliuntur: quod planè impossibile est. Quis enim vnquam audiuit, contradictoria posse redigi in concordiam? Eiusmodi res pueriles, & quæ omnino fieri nequeunt, non verentur illi proponere, qui orbis Christiani se Magistros haberi volunt: Perinde ac si omnes nos planè caudices & stipites simus. Atqui nos Zuinglianam & Osiandrinam hæreses & errores tranquilla conscientia amplecti non possumus, nec eorum, qua se illi à Luthero segregârunt, secessione ac nouã-

nouationi ſubſcribere & adſtipulari. Si verò Dei & Lutheri verbo conſtanter adhæſiſſent, nec rebus nouandis ſtudiuiſſent, vel illis, qui res nouas inuexerũt, neutiquàm accederent: nulla inter nos diſſenſio, nulla diſcreptantia extitiſſet, eaq; mala omnia, quæ iam impendent, ſublata fuiſſent.

Et quamuis Theologi, qui in Vuormatienſi Colloquio poſt noſtrorum diſceſſum permanſêre, publicè editis ſcriptis teſtati ſint, ſe ab Auguſtana Confeſſione nolle diſcedere, re tamen ipſa diuerſum planè faciunt. Cùm enim Zuinglianos & Oſiandrinos execrari nolint, non poſſunt Auguſtanæ Confeſſioni adhærere, ſed eo ipſo ab illa diſceſſerunt ac defecerunt: atq; ita paci quidem obicem, diſſenſioni verò materiam obiecêre. Si enim vnà nobiſcum ſuprà dictos errores condemnarent, iam à noſtra parte hac in re aduerſùm Papiſtas prorſùs concordes eſſemus. Quandò verò Auguſtana Confeſſio habet, Chriſti ſanguinem, perpeſſionem & mortem eſſe iuſtitiam noſtram, & panem in cœna eſſe corpus Chriſti, nõ poteſt ea Zuinglij & Oſiandri inſaniam ſecum tolerare. Itaq; non poſſunt hæc ſibi congruere, in Auguſtana Confeſſione permanere, & tamen Zuinglium & Oſiandrum purgare & defendere.

Melãchthonici verbo ſunt Lutherani, re ipſa minimè.

Nota Schmidelini concordiam.

Primò igitur damnamus nos Caſparum Schuenckfeldium & Anabaptiſtas, qui eam, quæ ore fit, Euangelij prædicationem non modò contemnunt ac reiiciunt, ſed etiam condemnant &c.

Errores Lutheranorũ ab Amſdorphio Lutherano damnati.

Secundò etiam Osiandrinam damnamus factionem, quippe quæ non minùs crassa & impudens hæresis est &c.

Tertiò Sacramentarios, Zuinglium, & eius sectatores condemnamus &c.

Vuittenbergenſ. imponunt Cæſari & ſuis ſymmyſtis, dum vtriſque geſtant humeris.

Quartò Adiaphoristas, propterea quòd præter Euangelium etiam humanas traditiones in ſuis Ecclesiis seruari iusserunt. Siquidem Euangelium nulla hominũ mandata secum in Ecclesiis obseruari patitur etc. Simulant enim & dissimulant Adiaphoristæ omnia, atq; ita se comparant, quasi Imperatori obtemperent, eiusq; gratiam Papisticam Missam & religionem rursus amplectuntur: neq; id faciunt tamen, ac nihilominus in Lutheri disciplina permanere nolunt.

Anne isthuc est Deum Deiq; verbum abnegare? An non hoc est Cæsari imponere? Non hoc est simulare Papisticam religionem, & Lutheranam dissimulare? Istud est, nisi fallor, claudicare in vtramq; partem, & vtroque gestare humero, Deo simul & Baal seruire, Deo pariter ac hominibus obsequi & placere velle &c.

Quintò etiam illam damnamus propositionem, bona opera ad salutem esse necessaria &c.

Lipſenſes Theologi iuxta Epiſcopi ſui ſententiã, Pelagiani ſunt.

Præter hæc quinque sunt alij quidam, vt Doctor Pfeffingerus, & qui eius factionis sunt, qui docent atq; contendunt, hominẽ naturalibus liberi arbitrij sui viribus sese ad gratiam disponere ac præparare posse, vt ipsi sanctus infundatur spiritus: quod idem Sophiste

illi

illi Thomas & Scotus tradidêre. In sua enim de libero arbitrio disputatione, quam ante biennium habuit, id ille magna audacia & temeritate definit his ferè verbis: Homo suis naturalibus viribus verbo assentiri, promissionẽ apprehendere, & Spiritui sancto non repugnare potest &c. Hucusque Amsdorffius.

Scholastici Doctores non ita docent.

Ex his perspicuè licet animaduertere Nicolaum Amsdorffium sex factiones & sectas à sua Lutherana Ecclesia prorsus explodere, damnare, ac diris deuouere, quæ tamen omnes (dempta fortassis Schuenckfeldiana) ad Confessionem Augustanam se referunt, eiusque doctrinam complexæ sunt, & in hunc vsque diem eam propugnare nituntur.

Quamuis autem obiici fortè queat, Zuinglianos ab hac Augustana Confessione fuisse exclusos, nec ad illam pertinere: at diuersum ego comperio in Ioannis Lasky scriptis ad Poloniæ Regem, & Ioannis Caluini libro aduersus Ioachimum Vuestphalum: in quibus vtrisq; ab vtroq; disertis verbis asseritur, Augustanam Confessionem de Sacramento altaris idem docere atq; fateri, quod Caluinus et reliqui Zuingliani tradant & sentiant.

Sacramentarij, an ad Confessionem Augustanam pertineant.

Caluinus vltima admonitione sua ad Ioachim. Vuestphalum.

Quandò igitur memoratæ sectæ de præcipuis religionis capitibus tam atrociter inter se digladiantur, vt ipsi quoque sectarij vicissim sese hæreticos palàm dicitent & proclament, nõ possunt illi sanè alio haberi loco, quàm quo ipsi se reponunt & habent. Potest autẽ ex hac Nicolai Amsdorffij sententia & censura luce meridiana

meridiana clariùs deprehendi, qua ratione vel fundamento subnixi Nouatores quidam, tam temerè scribere ausi sunt, inter Lutheranos nullam in Confessione Augustana de religionis capitibus dissensionem extare. Atque vt hæc illustriora testatioraq; reddantur, quædam alia hûc adscribam testimonia, si fortasis propria ipsorum conscientia hac irrefutabili possit veritate conuinci.

Gallus in Thesibus suis.

Nicolaus Gallus in Thesibus & Hypotyposibus suis extremo folio hunc in modum scribit: Non sunt leues inter nos concertationes de rebus leuibus, sed de sublimibus doctrinæ Christianæ Articulis, de lege & Euangelio, de iustificatione & bonis operibus, de Sacramentis & vsu ceremoniarum: nec vlla ratione componi & transigi possunt. Nam pleræq; meræ sunt contradictiones, quæ conciliari nequeant, vt, Legem in Christiana Ecclesia prædicandam, & item non esse prædicandam: Iustitiam nostram esse ipsam Dei essentiam in nobis, vel eius operationem, actionem & omissionem intra nos, vel obedientiæ illius imputationem extra nos: Sanguinem Iesu Christi neminem Iustificare, &, quod Apostolus ait, Iustificari nos in sanguine ipsius: Bona opera esse necessaria ad salutem, neminem vnquàm absque operibus bonis seruatum esse: Impossibile esse, absque bonis operibus seruari: & è diuerso: Bona opera non esse ad salutem necessaria, vel, vt

Galli Lutherani testimonium, de dissensionibus Lutheranorũ.

Psal. 31. Rom. 4.

Psalmus habet: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui non

imputauit

imputauit Dominus peccatum, qui non operi sectatur, nec vlla habet nec habere potest ad salutem: Christum esse & accipi corporaliter in cœna sub pane & vino à credentibus & incredulis, & rursus, solùm spiritualiter eum illîc esse, & à solis credentibus accipi &c. Hæc ille.

Quamuis autem iste Nicolaus Gallus non minori vehementia, atq; Amsdorffius, aliquammultos Augustanæ Confessionis articulos commemorat, qui apud Lutheranos non modò controuersi sint, sed planè in cõtradictiones & hæreses abierint, idem tamen ipse fatetur, eiusmodi hæreses permultas esse præ manibus, pleraſque etiamnum hærere in calamo. Neque dubium est, rem ita se habere, quandoquidem non ita pridem Saxoniæ Principes, & Comites Mansfeldienses, singuli singulos edidêre grandes libros typis excusos, in quibus vndecim enumerantur sectæ, eædemque ceu execrabiles hæreses condemnãtur: nẽpe, Anabaptistæ, Seruetiani, Stancariani, Antinomi, Iesuitæ, (quanquàm Iesuitæ in his factionibus longè minùs numerandi sunt, quàm columbæ inter ceruos,) Osiandrini, Melanchthonici, Maioristæ, Adiaphoristæ, Schuenckfeldiani, Sacramentarij.

Gallus libri memorati folio vltimo.

Quando verò Nouatores aliqui planè negant, inter Euangelicos status vel Ecclesiastas vllos esse hæreticos, vllas hæreses, vllam in fundamento & Augustanæ Confessionis Articulis dissensionem, quid igitur illi Lutherani Superintendentes, Amsdorffius

dorffius & Gallus memoratis illis suis sententiis condemnant? Quid sibi volunt Saxoniæ Principes & Mansfeldienses Comites? An verò iam dictæ sectæ ad Augustanam Confessionem sese non referunt? Anabaptistæ quidem minimè, et Iesuitæ multò etiam minùs. Alij verò omnes sub noui Euangelij obtentu & tegmine sese prodidêre, & sub Augustanæ Confessionis prætextu se tueri, & hactenus asserere ac conseruare moliti sunt. Quid enim in Polonia Laski? quid in Sabaudia Caluinus aliud hucusque conati sunt, quàm vt id omnibus persuadeant, ipsorum dogma Sacramentarium, in Confessione Augustana expressum haberi?

Hîc igitur ex Nouatoribus illis, qui dissensiones mutuas & hæreses Lutheranorum negare non verentur, ego percontor, num Articuli illi, quos ante dicti Principes & Comites & c. itemque Amsdorffius, Gallus & Illyricus condemnant, atq; suprà memoratæ decẽ sectæ fatentur, & propugnandos sibi sumunt, ad Augustanam Confessionem propriè pertineant? Equidem, inquam, hîc nosse velim, ec quodnam hoc loco dicti Nouatores responsum afferre queãt: Si enim illi affirmẽt, hosce articulos, quorum nomine iam enumeratæ sectæ damnatæ sunt, ad Augustanæ Confessionis fundamentum neutiquàm pertinere: iam hoc ego solùm ab illis peto, vt honoris & existimationis suæ tuendæ caussa hoc ipsum, vel minimo quaternione typis excuso aduersùs Amsdorffiũ, Gallum, Illyricum, & si-

& imprimis eos, quos antè attulimus, Illustriss. Principes & Comites asseuerent. Quòd si attentare non ausi fuerint, non possunt illi non esse homines perfrictæ frontis, dum palàm asserunt, Lutheranos in fundamento & præcipuis Confessionis ipsorum Articulis neutiquàm discrepare ac dissentire. Ex his cassibus, sat scio, non mihi elabentur Nouatores, etiamsi in mille sese formas transmutent, instar Protei.

OBIECTIO NOVATORVM XXXVI.

Necessum est ita fieri, vt, penes quos est veritas, penes eosdem, ob eam ipsam causam, schismata, sectas, & hæreses esse oporteat. Et hoc scandalum nemo curare debet, cùm id semper inter Christianos fuerit. Imò in ipsa Ecclesia, & in medio verè fidelium cœtu, oportet sectas esse, certumque signum est veræ Ecclesiæ Dei, quòd Diabolus eam tot tamque variis sectis & hæresibus oppugnat. Apostolus Paulus certè hoc ipsum significare voluit, scribens: Oportet hæreses esse.

Schmidelinus in confutationib⁹ causarū defectionis ab Augustana Cōfessione fol. 141. In Ecclesia oportere esse hæreses, obiicitur cō tra vnitatē Ecclesiæ. 1. Cor. 11.

RESPONSIO CATHOLICA.

Hactenus quidem, vllas in religione Lutheranorum esse dissensiones & schismata, constanter pernegauit Schmidelinus, quin leuiusculas tantùm & Scholasticas, de rebus non magni momenti, altercationes, vel amicas concertationes potiùs, quæ religioni nihil incommodarent, inter ipsos esse, magna impudentia asserere non dubitauit. Qua quidem assertione sua, si cum iis, quæ nunc sentit & scribit, conferatur, verè

verè testatum fecit, nec veram religionem verámue Ecclesiam, apud Lutheranos esse. Perpetuas enim in vera Ecclesia quocunque tempore fuisse hæreses, quasi priorum oblitus, nunc asserit, & necessariò quidem tanquam certissimum Ecclesiæ argumentum, requirit contendit, eô quòd Diabolus non alia re magis, quam hæresium multitudine, veram Dei Ecclesiam impugnare soleat. Illud igitur, cùm dissensiones in religione Lutheranorum esse antea negaret, nunc apertè videtur esse assecutus, vt, quia veræ Ecclesiæ testimonium suam priuaret, se suosque complices extra eiusdem finum reponeret.

Quàm vellem verò etiamnum, malleum illum hæreticorum Fridericum Staphylum, viuere, haud impunè, vt opinor, ferret Schmidelinus, qui fraudulentiæ nunc concedit, quod olim improbè non perneganit tantùm, sed & in eo clarissimum illum virum mendacij quoq; arguere impudẽtissimè ausus est. Etenim nugæ erant Schmidelino omnia, mendacia & blasphemiæ, quicquid de Lutheranorum dissidiis, scriberet Staphylus, quantumuis verissima esse omnia, ipsa experientia, & ipsimet Sectariorum libri euidentissimè conuincebant.

At vide, quô res, immutata paulatim, tandẽ euaserit, vt non verum tantùm, sed & necesse sit factum, esse hæreses, adeo vt veræ Ecclesiæ, quam Schmidelinus Lutheranorum esse opinatur, vnum illud & infallibile quoddam sit argumentum. Nempe quia res

res ita manifesta & nota est facta omnibus, ita sese hæreticorum mutuæ prodiderũt altercationes, vt negationi locus non sit amplius, alia via res tentanda est, accersenda videlicet in patrocinium, & qui hominum istorũ mos est, torquenda scriptura, vt nolens volens laboranti Schmidelino manus auxiliatrices porrigat, et ille errorem suum, suorumq; contentiones quocunq; fuco oblinat. Verum infirmum fortasse, necdum satis confirmatũ in Spiritu huc vsq; fuisse Schmidelinum, credere par est. Et quemadmodum errores quosdam Lutheri egregiè scilicet, hac ratione alio quodã in loco excusat, non potuit ille simul perfectè omnia, & sine errore scire. Alioquin an non tum quoque idem, quod nunc fatetur, Staphylo oblaterasset? Et quid nobis dissensiones nostras obiicitis Papistæ, quibus veritatem religionis nostræ vultis euersam? An eam Ecclesiæ conditionem esse ignoratis, vt necesse sit in ea, Diuina id approbante scriptura, esse hæreses, quæ puram apud nos doctrinam, veramque demonstrant Ecclesiam?

Schmidelinus superstite adhuc Staphylo, fuit infirmus in Spiritu.

1. Cor. 11.

Sed ita Schmidelino, omnibusque schismaticis euenire necesse est, vt quia indies perfectiores fiunt, modò affirment, modò negent, & ex eodem ore calidum simul & frigidum efflent. Quæ res luculenter demonstrat, Staphylúsne, an Schmidelinus errore fuerit ductus, illéne, an hic veritatem sit tutatus.

Verùm enimuerò, quia velum vertit Schmidelinus, & alias, ad quas appellat, terras prospectat, ac

tandem longa rerum inuestigatione doctior factus, id agnoscit, quòd oporteat in Ecclesia hæreses esse, adeò vt infallibile veræ Ecclesiæ testimonium censeri debeat, equidem (quod illi à me responsum volo) nescio, malitiámne magis & temeritatem hominis, an stultitiam illius & cæcitatem admirer, quòd tam absurdam & impiam opinionem tam impudenter confidenterque ausit asserere. Etenim ea ratione Ecclesia regnum in se diuisum sit oportet, quod stare nullo modo potest; nec Spiritus sanctus, qui Spiritus est veritatis, sed vertiginis Spiritus eam inhabitabit, & Arrius potiùs, cæterique hæretici, quàm pij ac Catholici Christiani, sibi vendicabunt, vtpote sub quibus horrendas in Ecclesia dissensiones fuisse Ecclesiasticæ historiæ, & sanctorum Patrum monumenta loquuntur.

Ecclesiæ signũ nequaquã esse mutuas dissensiones, & schismata.

Luc. 11.

Ioan. 16.

Nauclerus volum. 2. Gen. 6. Epiph. li. 3. in histor. & refutatione Arrianorũ. Item histo. tripar. li 9. cap. 40.

Marcionis certè hæresiarchæ sectam, & in seipsam, & in alias multas sectas diuisam legimus: Arrianos in tres partes dissectos scribit Epiphanius, & meras impostoras fraudesque iis fuisse testatur. Quod enim huic videbatur, displicuit alteri, ita vt mutuis quibusdam odiis in plurimas alias sectas scinderentur.

August. de baptis. cont. Donat. li. 1. cap. 6.

Hæretici sunt inter se diuisi.

Egregiè profectò Augustinus, vt multinarias Donatistarum sectiones ostenderet, non ipsam solùm Donati hæresin in plures alias diuisam docet, sed & has ipsas rursus in alias complures minutiores dissectas particulas, quarum singulæ eos, qui Maximianistarum

ſtarum baptiſma recepiſſent, damnabant, vt eô res tandem deuenirent, vt ſingulæ, quantumuis minutæ ſectæ, verum ſibi vendicarent baptiſma, apud alios minimè eſſe arbitrantes.

In eundem penè ſenſum de hæreticis ſcribit etiam D. Hilarius, vbi dicit: Hæretici omnes contra Eccleſiam veniunt, ſed dum hæretici omnes, per inuicem vincunt, nihil tamen ſibi vincunt: Victoria enim eorum Eccleſiæ triumphus ex omnibus eſt, dum in eo hæreſis contra alteram pugnat, quod in hæreſi altera fides Eccleſiæ damnat. Hilar. lib. 7. de Trinita.

Idem etiam teſtatus eſt Lutherus, ſcilicet hæreticos nec vi nec aſtu ſuperatos vnquam, ſed mutuis tantùm ac domeſticis altercationibus, cùm inter ſe conuenire non poſſent, euerſos. Neque enim aliis armis contra hæreticos pugnat Chriſtus, quàm Spiritu vertiginis ac domeſticis diſſidiis, quemadmodum & Sichimitas, Pelagianos, aliosque eius generis ſectarios confudiſſe & euertiſſe legitur. Adde his Iudæos, qui & ipſi inteſtimis diſſenſionibus perierunt; adeò vt verè ſanctus Hilarius glorietur, quòd hæreticorum bellum pax ſit Eccleſiæ. Vnde manifeſtum euadit, & ipſos inter ſeſe diuiſos hæreticos, & plures alias ſectas alere. Lutherus in Pſal. 5. Iud. 9. Gen. 11.

At econtrà Catholicis vnum cor & fides, & ſunt in ſectas diuiſi nullas: Vna enim eſt Eccleſia, vna fides, veluti vnus eſt tantùm Chriſtus, vnus Spiritus, Ephes. 4. Catholicorum vnitas.

qui gentes in vnitate fidei congregat, & in ea, tanquam vnitatis Spiritus, conseruat, adeò vt vnanimes in domo Dei, id est, in Ecclesia, quemadmodum

1. Tim. 3. *D. Paulus appellare solet, habitent: De quo D. Cy-*

Cypr. lib. 1. epist. 6. *prianus Martyr scripsit: In domo Dei, id est, in Ecclesia Dei non nisi concordes atque vnanimes habitant, loquente in Psalmis Spiritu sancto, & dicente: Deus*

Psal. 67. *qui habitare facit vnanimes in domo. Id quod etiam de primitiua Ecclesia & in ea Christi fidelium con-*

Actor. 4. *sensu legimus. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.*

Hanc ipsam vnanimem in doctrina concordiam sibi præcipuam fuisse caussam testatur D. Augustinus, vt desertis Manichæorum placitis, ad Catholicam Ecclesiam transiret, in qua mirus esset doctrinæ consensus. De qua re illud eius illustre extat testimonium:

Aug. contra Epist. Manich. cap. 4. *Tenet me in Ecclesia, inquit, consensus populorum atque gentium &c.*

Testantur idem & reliqui cùm Patres ac Doctores Ecclesiæ, tum verò sanctus Cyprianus, qui præterquàm quòd hinc inde honorificam eius facit mentionem, insuper etiàm æquè ac Augustinus, speciale de consensu Ecclesiæ Tractatum scripsit.

Qua igitur impudentia, qua Schmidelinus confidentia audet asserere, perpetuas in Ecclesia fuisse hæreses? Imò etiam, quod tanquam euidentissimum Ecclesiæ argumentũ est, eas inter verè Catholicos esse in

necesse

necesse? Id quod ille mihi de sua suorumque, id est, Diaboli Ecclesia longè facilius persuaserit: Quis enim absurdius quicquam audiuit, quàm dissensiones Ecclesiæ esse testimonium? Præsertim cum ex charitate & vnitate suos cognitos iri doceat Christus, & ipsemet pacis ac concordiæ, non dissensionis sit Deus. Ioan. 13. 1. Cor. 14.

Quid igitur Schmidelinus agit aliud, quàm quòd, Deo qui debetur locus, in eo Diabolum reponat? Spiritum vertiginis in medio Ecclesiæ in sedem Spiritus veritatis & vnitatis collocet? Ex regno Dei, Diabolicum, & in semetipsum diuisum constituat regnum, quod stare non potest? Ex Ecclesia denique, in qua Deus regnat, Babylonicam latrinam ac confusionem faciat?

Veritas vniformis mendatium varium.

Quamobrem vt alienum hoc ipsum ab Ecclesia Catholica scimus, ita sectariis maximè proprium esse asserimus: Neque enim verè Christi fideles, sed hæretici ex dissensionibus noscuntur: Et mendacium schismata, non veritas admittit, quæ vti perpetuò vniformis est, & sibi constans, ita mendacium varium semper, mutabile & inconstans est. Quemadmodum eleganter de hæreticis S. Epiphanius in hanc sententiam iudicat, scribens, quòd cùm vno tantùm verbo à vera semita exorbitare cæperint, in varios & inexplicabiles incidant errores: Vniformis enim veritas: multiforme ac varium est mendacium.

Illud igitur in confesso est, propriũ hæreticis fuisse

perpetuò, vt de doctrina illis inter se neutiquam conueniret, & in varias secarentur partes, stultitiam procul dubio suam ea in re manifestè prodentes. Vnde D. Hilarius: Proficit autem semper cõtradictio stultorum ad stultitiæ demonstrationem.

Iis ipsis armis aduersùs eos præliatur Deus, ipsosq; confundit: Spiritum enim vertiginis eis immittit, quo in varias pro suo arbitrio, attestante id ipsomet Lutherus in præfatione super librũ, quem inscripsit Syngrãma. Lutherus, dispergit sectas: Idem enim ille Lutherus, cùm aduersùs Zuinglianos propter dissensiones, quæ inter ipsos erant exortæ, scriberet, adeò fœcundam eorum sectam esse dicit, vt sex iam inde sint enata capita. Et hîc videre licet, quàm abunde satis ab eiusmodi sectis præcauendum nobis Spiritus Dei moneat, quæ intus statim in tam varias scinduntur opiniones. Et quò illam sex capitum beluam commodiùs referas, quàm in animalium Apocalypsios numerum, ex quibus aliquot multorum in vno corpore sunt capitum? Quemadmodum sectarij, quanquam in principali negotio inter se conueniunt, & vnius quasi sunt corporis, sua tamen cuique in caussis & religionis fundamentis est opinio, nisi quòd in eo conueniunt omnes, vt Catholicam veritatem calumnientur. Apoc. 13.

Atque idem Lutherus rursus, nullo euidentiori signo cognosci posse Diabolum, testatur, quàm mendaciis & in religione dissensionibus, veluti econtrà veritas certissimum est Diuini Spiritus testimonium. Et iterum, sed alio in loco, Zuinglianorum Doctores pronuntiat, Luth. ibid.

pronuntiat esse Diabolum, quia dissensiones suas velint excusare ac defendere. Non enim Deus, teste Paulo, dissensionis est Deus, sed pacis. Et vnitatem seruant Christiani, nec dissidia inter se excitant, sed integrum sunt corpus, eadem mente & sententia. Atque hac ratione hæreticorum spiritus, scilicet ex fructu eorundem & vnitate cognosci debet. 1.Cor.14. Ephes.4. 1.Cor.4.

Quamobrem, attestante hoc ipsum scriptura, comprobante experientia, & ipsomet affirmante Luthero, adhuc rectè ac verè in hunc modum argumentamur. Inter Lutheranos sunt schismata, dissensiones & hæreses, ideoque est impossibile, synceram veritatem apud eos esse; quin certissimum hoc est signum, hæreticos ipsos, & nequaquam verè Christi fideles esse, neq; à Dei Spiritu, sed Diabolo patre mendaciorum eos agi & regi. Argumentum firmũ Lutheranos esse hæreticos.

Atque hæc est genuina verborum Diui Pauli scribentis: Oportet hæreses esse, quantumuis torqueat & retorqueat Schmidelinus, sententia: Neque enim idcirco hæreses inter Corinthios esse necesse erat, quia veram habebant doctrinam, sed quia contentiosi erant, idcirco hæreses inter eos oriri tandem oportebat; adeò vt sectis dissidia caussam, non veritas doctrinæ præbitura esset: Id quod etiam Diuus Hieronymus iterũ atque iterum luculenter testatur. Alioqui si Schmidelini standum sit iudicio, non in Corinthiaca solùm, sed etiam in quacunq; alia Christi fideliũ Ecclesia schismata esse, necessum erat; adeò vt sine iis Ecclesia Dei 1.Cor.11. Oportet hæreses esse.

& doctrinæ veritas nullibi stare potuisset. Quid igitur de Hierosolymitana Ecclesia credere par fuisset,
Actor. 4. de qua scriptum erat: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna?

Et quid opus, contrario iam elucescente, verbis, cùm eam ipsam ob causſam nullæ in Ecclesia Dei hæreses locum habeant, quia ibi vera est religio, quam cùm oppugnent hæreses, vnà consistere neutiquam possunt.

Ratum proinde illud nobis & firmum maneat, si
1. Cor. 11. contentiones Corinthiorum, cùm ea diceret, D. Paulum respexisse, ex quibus sectas oriri necesse est, quæ licet in Ecclesia initium capiant, ex ea tamen postea egrediuntur, nec amplius coniunctæ sunt Ecclesiæ, vllóue modo ad eam pertinent, vel membra aut partes eius haberi queunt. Vnde D. Ioannes: Ex nobis
1. Ioan. 2. exierunt, sed non erant ex nobis: Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Et D. Paulus
1. Cor. 11. quasi rationem subiungens, vt probati manifesti fiant in vobis, inquit.

Etenim tum demum cuiusque in religione vel constantia vel infirmitas spectatur, cùm secessionem molitur hæresis; tum demum, qui grassantibus hæresibus immobiles, & in Ecclesia Catholica persistant constantes, apparet, adeò vt probati qui sunt, ea ratione manifestentur. In eum igitur finem perquàm sapienter Deus hæreses dirigit, vt cùm manifestum quidem

quidem, qui in religione constanter perseuerent, fiat, tum verò triticum à paleis, quemadmodum Cyprianus scribit, separetur repurgeturque. Sic igitur Christi fideles probãtur, manifestantur profugi. Sic etiam num probatorum animæ in hoc seculo ab impiorum & reproborum separantur. Quamobrem licet à contentionis in Ecclesia oriantur hæreses, in ea tamen persistere non possunt, egrediuntur & deserunt Ecclesiam, eò quòd ad eam non magis pertineant, quàm ad corpus abscissum ab eo membrum. Et vt paucis omnia complectamur, verum est, & in æternum manebit verum, quod scriptum legimus: Ex nobis exierunt; id quod Schmidelinus fortassis non satis perspexit. 1. Ioan. 2.

Item: Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita. Atque iterum: Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Quamobrem in Ecclesia sectæ, schismata & hæreses esse non possunt, multò minus oportet eas esse in Ecclesia, vti ex dicto Pauli, in alienum detorto sensum, concludere nititur ter quaterq; miser Schmidelinus. Tit. 3. Rom. vlt.

Cc 5 CAPVT

CAPVT IX.

OBIECTIONES ADVERSARIORUM contra ſanctitatem Eccleſiæ, earumq; ſolutiones.

OBIECTIO ADVERSARIORVM I.

CANTATVR in Eccleſia in hymno angelico ſcilicet: *Gloria in excelſis Deo; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quia tu ſolus ſanctus. Si ergo Chriſtus ſolus eſt ſanctus, cùm Eccleſia non ſit Chriſtus, Eccleſia non videtur dicenda ſancta.*

RESPONSIO CATHOLICA.

Quomodo Chriſtus ſolus ſanctus ſit.

Chriſtus dicitur ſolus ſanctus, ſicut ſolus bonus, quia ſcilicet ipſe ſolus ſecundùm quòd Deus, ex ſe, & naturaliter bonus & ſanctus eſt, & ſecundùm quod homo in ſummo ſanctitatis. Quamobrem in Daniele ſanctus Sanctorum nominatur. Et in Pſalmo decantatur Propheta dicens: Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ participibus tuis; ſecundùm quem modum ipſe ſolus ſanctus eſt. Et hoc eſt, quod dicitur: Quis ſanctus, vt eſt Dominus? Vel vt habet alia litera: Non eſt ſanctus præter te Domine, quia vt ait gloſſa: Nemo ſit ſanctus, niſi Deus, & ſi ſint qui dicunt, Dij multi, & Domini multi: nullus tamen eorum naturaliter eſt id quod eſt Deus, nam ipſe eſt ſolus, qui ait: Ego ſum, qui ſum.

Daniel. 9.
Pſal. 44.
1. Reg. 2.
Exod. 3.

Per hoc ergo non negatur, quin participatione gratiæ ejus fideles boni & iuſti & ſancti ſint. Vnde Dominus

mus ait: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Et Augustinus tractans illud Psalmi: Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: ita fideles exhortatur. Dicat vnusquisque fidelium sanctus sum, non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si enim te dixeris, ex te esse sanctum, superbus es: rursus fidelis in Christo, & membrum Christi, si te dixeris non esse sanctum, ingratus es. Leuit. 20. Augu. super Psalm. 75. Fideles quo modo sint & dicantur sancti.

OBIECTIO ADVERSARIORVM II.

Sanctitas, vt dicit Dionysius, est ab omni immunditia libera, & perfecta, & omnino immaculata in munditia. Sed Ecclesia in præsenti statu non est libera ab omni immunditia illa peccati, dicente beato Ioanne Apostolo: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Ergo Ecclesia pro præsenti statu non est sancta dicenda. Dionys. 12. capit. distinct. no. Ecclesiam non esse sanctam. 1. Ioan. 1.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ad hoc argumentum respondetur, præmittendo duo notabilia. Primò notandum, quòd duplex hoc loco potest distingui sanctitas. Vno modo, quæ dicat liberationem omnimodam ab omni immunditia & corruptione culpæ & pœnæ, & ista est sanctitas patriæ, de qua in Psalmo: Gloria hæc est omnibus sanctis eius. Alio modo sanctitas dicit emundationem, non à quocunq; peccato, aut imperfectione, sed ab eis immunditiis, quæ puritatis gratiæ & charitatis luci aduersantur, cuiusmodi sunt culpa originalis & mortalis, de qua Sanctitas duplex. Psalm. 149.

Roman. 1. *qua dicitur: Omnibus, qui sunt Romæ, dilectis Dei vocatis sanctis. Vbi Glossa: Sancti erant sanctificati*

1. Cor. 3. *per Baptismum. Item: Templum Dei sanctum est, quod estis vos, vbi Glossa dicit sanctum est à tempore Baptismi, quia in nemine habitat Deus, quem non antea Spiritus sanctus sanctificet & purget.*

Ecclesia quomodo in hac vita sancta dicatur.

Secundò notandum, quòd sanctitas, qua Ecclesia in præsenti vita sancta dicitur, non dicit immunitatem ab omni peccato, corruptione & imperfectione,

1. Ioan. 4. *sed immunitatem ab his vitiis & peccatis, cum quibus charitas Dei stare non potest, per quam Deus manet in nobis, & nos in Deo, cuiusmodi sunt peccata*

Glossa sup Canti. 4. *criminalia siue mortalia. Vnde Glossa super illud: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te: dicit macula scilicet criminalis culpæ, & ita habet glossa decreti in C. omnibus considerati 24. q. 1. super verbo sine macula. Et ideo venerabilis Beda super cantica tractans præfatum verbum Cant. 4. Tota pulchra es: &c. ita dicit. Hæc autem dicta sunt, non quòd in hac vita sanctorum quispiam vel à culpis omnib⁹ im-*

Eccle. 7. *munis, vel perfectus possit esse virtutib⁹: cùm veraciter scriptũ sit: Quia non est homo in terra iustus, qui faciat bonũ & nõ peccet, sed quòd sancta Ecclesia, in quãtũ Ecclesia Christi est, & fide recta & munda sit operi.*

Quibus notatis respondetur ad rationem, & primo dicitur, quod munditia, cuius mentio fit in diffinitione sanctitatis, posita à beato Dionysio, dicit munditiam siue puritatem à peccato, siue in intellectu, siue in

affectu,

affectu, quod contrarietatem habet ad gratiam, cuiusmodi est originale & mortale, non autem dicit emundationem à peccato veniali. Vnde Augustinus in definitionibus rectæ fidei dicit. Nullus sanctorum vel iustorum, caret peccato, nec tamen ex hoc desinunt esse iusti, vel sancti, cùm affectu teneant sanctitatem.

Iusti quomodo non omni peccato careant.

Secundò ad Minorem, vbi dicitur, quòd Ecclesia in præsenti statu non est omnino libera ab immunditia, quæ diuinæ gratiæ contrariatur, & ad autoritatem beati Ioannis dicentis. Si dixerimus, quòd peccatum &c. Respondetur dupliciter. Vno modo de peccatis venialibus, quæ in præsenti vita non possunt totaliter vitari: Dicitur enim: Septies in die cadit iustus. Et Augustinus dicit, & habetur in Glossa. Impossibile est, quemlibet sanctum aliquando non cadere in minimis peccatis, neq; iusti esse desistunt, quia citius opitulante Deo resurgunt. Secundò respondetur ad idem, quòd si beatus Ioannes loquitur de mortali, tunc non est sensus, quòd omnes fideles habeant peccatum mortale, sed quòd si dixerimus ex elatione, scilicet, vt dicit Glossa interlinearis, elati de aliqua iustitia: Quia cùm nemo sciat, vtrum dignus odio vel amore sit, vt dicitur in Ecclesiastico, qui absq; reuelatione asserit se esse sine peccato mortali, incurrit peccatum iactantiæ, superbiæ, & falsitatis, asserens quod nescit. Et ideo dicit: Et veritas in nobis non est.

1. Ioan. 1.

Prouer. 24.

Eccles. 9.

1. Ioan. 1.

OBIECTIO ADVERSARIORVM III.

In Matthæo docet Christus omnes fideles orare pro pecca-

Matth. 6.

Fideliũ oratio quotidiana pro remissione peccatorũ obiicitur cõtra sanctitatem Ecclesiæ.

Aug. in lib. de bono perseuerant.

peccatorum suorum remissione, sic: Dimitte nobis debita nostra &c. quam orationem continuè facit Ecclesia: Quod tamen vanũ esse videretur, si Ecclesia nullum haberet peccatum, maximè cum Augustinus alicubi dicat: Hoc loco Pelagiani confodiuntur hæretici, qui audent dicere, hominem iustum in hac vita habere nullum omnino peccatum, & in talibus hominibus esse iam in præsenti tempore Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam.

RESPONSIO CATHOLICA.

Per illam autoritatem Matth. 6. licet quilibet mistrum instruatur se peccare quotidie, dum pro peccatis quotidie iubetur orare, nõ tamen datur intelligi, quòd quotidie peccemus omnes fideles peccato, quod sanctitati aduersetur. Vnde Hieronymus exponens illud:

Hieron. sup Psal. 118.

Beati immaculati in via, dicit: Quomodo immaculati? Quia sine minutis peccatis, homo esse non potest, sicut

1. Ioan. 1.

sanctus Ioannes dicit: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in

Psal. 14.

nobis non est. Et Propheta dicit: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: Et respondens ait: Sine macula, hoc est, sine mortalibus criminibus.

OBIECTIO ADVERSARIORVM IIII.

Rom. 3. Omnis homo mẽdax.

Apostolus dicit: Est autem Deus verax, omnis homo mendax. Ergo non videtur, quòd Ecclesia, quæ est collectio omnium fidelium, dicenda sit sancta.

RESPONSIO CATHOLICA.

Non vult Apostolus dicere in illis verbis, quòd omnis

omnis homo mentiatur: Nam & de se ipso alibi dicit: Deus scit, quòd nõ mentior. Sed vt colligitur ex Glossa, datur intelligi in verbis Apostoli & Prophetæ, dicentium: Omnis homo mendax, quòd omnis homo est mutabilis naturæ & voluntatis, & ideo potest esse mendax in promissis, non sic autem Deus, cùm sit inuariabilis, & impermutabilis, & ita, vt dicit Glossa: Omnis homo mendax dicitur, quia quantum à se ipso est labilis in essentia & per peccata defluens est. Et ita argumentum sumptum ex illa autoritate nòn militat contra propositum, quoniam licet omnis homo, quantum est ex se ipso, labilis sit & defluxibilis per peccatum, per gratiam tamen potest non defluere. Vnde Propheta dicit: Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua adiuuabat me. Et Apostolus: Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit.

2. Cor. 12.

Psal. 115. Quomodo omnis homo mẽdax dicatur.

Psal. 93.

1. Cor. 15.

OBIECTIO ADVERSARIORVM V.

Ecclesiæ non conuenit, pro statu præsentis vitæ, non habere maculam, aut rugam, sed tantùm pro statu futuræ vitæ, quando apparebit gloriosa: Ergo nunc non est dicenda sancta, sed in futura vita. Consequentia patet: Et antecedens probatur autoritate beati Augustini, qui in fine primi libri enchiridiõn, tractans verbum illud Apostoli, vt exhiberet sibi Ecclesiam non habentem maculam, nec rugam, &c. ita dicit: Per hoc omnes prorsus hominum maculæ Christiani lauacri sanctitate tolluntur, quo mundat Ecclesiam suam Christus,

Ecclesiã militantẽ non esse sine macula & ruga, obiicitur.

Ephes. 5.

Christus, vt exhibeat eam sibi non in isto seculo, sed in futuro, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi. Nam qui modo eam talem esse dicunt, & tamen in illa sunt, quoniam & ipsi fatentur se habere peccata. Si verum dicunt, profectò quoniam mundi non sunt à peccatis, habet in eis Ecclesia maculam. Si autem falsum dicunt, quia corde duplici loquuntur, habet in eis Ecclesia rugam. Si autem dicunt se habere ista, non ipsam, ergo se non esse membra eius, nec ad corpus eius pertinere fatentur, vt etiam sua cõfessione damnentur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quæ sanctitas Ecclesiæ militanti non conueniat.

Sanctitas importans omnimodam liberationem, & immunitatem ab omni corruptione, & vetustate culpæ & pœnæ, & cuiuscunq; imperfectionis contagione, non est Ecclesiæ pro statu præsentis vitæ, sed futuræ, quando apparebit gloriosa, & per consequens isto modo loquendo non conuenit Ecclesiæ, pro statu præsentis vitæ, non habere maculam, aut rugam, vt sonant manifestæ sanctorum autoritates.

Quę sanctitas Ecclesiæ militanti conueniat.

Sanctitas verò, quæ dicit immunitatem earum culparum, & rugarum, quæ Diuinæ gratiæ animam illustranti repugnant, bene conuenit Ecclesiæ, & per consequens hoc modo competit Ecclesiæ, etiam pro statu vitæ præsentis, non habere maculam, neq; rugam, aut aliquid huiusmodi.

OBIECTIO ADVERSARIORVM VI.

In Ecclesia sunt boni & mali permixti, & mali in multò

multò ampliori numero quàm boni. Cùm ergo denominatio debeat fieri à maiori parte, videtur, quòd Ecclesia simpliciter magis immunda quàm sancta dicenda sit. Et confirmatur ex C. Et hoc diximus 16. q. 7. vbi dicit Origenes, & ponitur in glossa continua: Quod carnaliter viuentes, domum orationis, ex lapidibus viuis constructam, faciunt speluncam esse latronum actibus suis.

Multitudo malorũ obiicitur contra sanctitatẽ Ecclesiæ.

Confirmatio. Matth. 21.

RESPONSIO CATHOLICA.

Licet mali numero sint de Ecclesia, non tamen merito. Ecclesia autem tota est sancta in omnibus, qui de Ecclesia sunt numero et merito, cuiusmodi sunt omnes fideles, qui dilectione charitatis in Christo radicati sunt: Ait enim beatus Hilarius: Sanctus es, si fide es perfectè credulus, si spe inconcussa firmus, si charitate es perfectè radicatus. Vnde licet multi fideles peccatores dicantur esse in Ecclesia, nihilominus quia isti non sunt propria membra corporis Christi, nec perfecta vnitate, quæ est per charitatem, pertinent ad Ecclesiam, non sequitur, quòd Ecclesia simpliciter non sit dicenda sancta: Sancta quidem est, vt prædiximus, in omnibus, qui ad eam pertinent numero & merito, siue in omnibus membris suis,

Mali quomodo sint de Ecclesia.

Hilarius lib. trinit.

Ad confirmationem autem, quæ sumpta est ex autoritate Origenis, dicendum, quòd quanquam Ecclesia habeat malos permixtos bonis; quia tamen mali non sunt verè & propriè mẽbra corporis Christi, quod est Ecclesia, non est fatendum simpliciter, quòd Eccle-

Ecclesia quomodo in malis aliquam fœditatem patiatur.

sia Christi sit fœda, aut non sancta, aut spelunca latronum, sed bene dicitur à sanctis Doctoribus, quòd in aliquibus, qui non sunt membra eius perfectè & propriè, infirmetur, aut patiatur aliquam fœditatem, & ex peruersitate actuum malorum, quos operantur fideles, aliquas eiusmodi denominationes, vt puta, quòd dicatur spelunca latronum, & si quid aliud ei eius generis, suscipiat.

OBIECTIO ADVERSARIORVM VII.

Præsciti obiiciuntur cõtra sanctitatẽ Ecclesiæ.

In Ecclesia continentur non modò peccatores, sed etiam multi præsciti, qui licet modò fidem habeant Christi, finaliter tamen in fide vera & charitate Dei non permanebunt: Ergo non videtur, quòd Ecclesia simpliciter dicenda sit sancta.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quomodo etiã in præscitis Ecclesia sancta sit.

Negatur consequentia: Quia fideles præsciti aut habent maculam peccati mortalis, aut non, sed sunt in gratia: Si detur primum, sentiendum est de illis, sicut de aliis fidelibus peccatoribus. Si verò sine macula sunt peccati mortalis, habentes Christi gratiam, dicendum, quòd in illis etiã Ecclesia sancta dicitur, licet in futurum sint maculam aut contagionem habituri, infidelitatis & impietatis rugam. Iudicium quippe de membris Ecclesiæ sumitur secundùm dispositionem præsentis temporis, & non futuri, sicut homo dicitur quis nunc mundus in membris, quæ cras aut pòst immunda futura sunt.

OBIE-

OBIECTIO ADVERSARIORVM VIII.

Dicit Sapiens: Nemo scit, vtrùm quis sit dignus odio vel amore, & minus de alio, quàm de se: Ergo etiam nemo potest scire, quis sit sanctus aut immũdus: Ergo videtur, quòd non pertineat ad articulum fidei credere, quòd Ecclesia, quæ est congregatio fidelium, sit sancta. Eccles. 9. Incertitudo gratiæ obiicitur contra sanctitatẽ Ecclesiæ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Negatur consequentia: Quoniam scire quidem non possumus via humana, quis de adultis, in vita præsenti, sanctus sit sanctitate gratiæ & inhabitatione Spiritus sancti. Nihilominus tamen certissimi sumus, quòd talis sanctitas sit in membris Ecclesiæ, quæ illius vera & propria membra sunt, in quibus ipsa sancta dicitur, vtpote quæ corpus Christi & sponsa illius dilecta, pulchra & sine macula esse describitur. Cant. 4. De sanctitate Ecclesiæ quomodo certi simus.

OBIECTIO ADVERSARIORVM IX.

Fideles non sunt confirmati in fide, siue in gratia Dei in statu præsentis peregrinationis: Ergo non videtur, quòd Ecclesia, quæ est fidelium collectio, dicenda sit sancta. Incertitudo perseuerantiæ obiicitur contra sanctitatem Ecclesiæ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ecclesia, pro statu vitæ præsentis, non ita in fide & charitate dicitur firmata, quòd eius omnia & singula membra ita in gratia sint confirmata, vt ampliùs peccare non possint: Sed ea ratione, quia semper erunt in Ecclesia aliqui homines fideles & sancti.

OBIECTIO ADVERSARIORVM X.

Fœditas Ecclesiæ nondū redēptæ p Christū, obiicitur cō trasanctitatē Ecclesiæ.

De pœnit. dist. 1. Ecclesia.

Hiero. sup. Psalm. 20.

Ecclesia aliquando dicitur fuisse fœda & maculata: Ergo non semper videtur dicenda fuisse sancta. Cōsequentia videtur manifesta: Antecedens patet. Dicit enim beatus Hieronymus & habetur in Canone. Possibile autem est, vt quando Ecclesia, quæ priùs rugam habuit & maculum & immunditiam, postea restituta est, ita & peccator currens ad medicum &c. Et idem beatus Hieronymus exponens illud Psalmi: Audi filia & vide inclina aurem tuam, & obliuiscere populum patris tui, de Ecclesia dicit sic: Obliuiscere populum patris tui, id est, Diabolum, qui te priùs generat, quia totus mundus in maligno positus erat, ideo inclina aurem tuam, quoniam concupiuit rex speciem tuam, Christus Iesus, à quo regeris, quia nigra eras in domo Patris. Nunc autem ascendens post baptismum vel intus abluta, vel gratia fidei candida, quia ipse est Dominus, à quo redempta es. Et infra: Antè fœdata & deformis erat Ecclesia, sed postea pulchra & speciosa per lauacrum Baptismi, quia iustus pro impijs mortuus est, id est, Christus mundans eam per lauacrum sanguinis sui, vt ait Apostolus, non habentem maculam, neque rugam. Et Augustinus ad idem propositum super eundem Psalmum ita loquitur: Assumpta est Ecclesia ex genere humano, vt Christus caput esset Ecclesiæ. Et infrà: Gaudeat sponsa amata à Deo: Quando amata? Dum adhuc fœda: Omnes enim peccauerunt, Rom. 3. *dicit Apostolus, & egent gloria Dei. Et iterum*

Etenim

Etenim pro impiis Christus mortuus est, amata est fœda, ne remaneret fœda: Non enim verè fœda amata est, quia non fœditas amata est. Hæc Augustinus. Roman. 5.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ad hoc argumentum respondetur: Primò, quòd capiendo Ecclesiam prout comprehendit Angelos & homines, Ecclesia semper sancta fuit, quia Angeli boni in sanctitate, in qua creati sunt, immobiles permanserunt. Si verò loquimur de Ecclesia, quatenus scilicet sumpta est & collecta ex hominibus fidelibus: dicimus etiam quòd semper Ecclesia in aliquo, vel in aliquibus sancta fuit, dicente beato Augustino: Olim est Ecclesia & ex quo vocantur sancti est Ecclesia in terra.

Ecclesia quomodo semper sancta fuerit.

Aug. super Psalm. 124.

Ad auctoritates autem inductas in contrarium dicitur, quòd Augustinus & Hieronymus non loquuntur de Ecclesia vniuersali, quæ ab Abel iusto dicitur incepisse vsq; ad vltimum iustum, sed de Ecclesia, secundum quòd significat collectionem fidelium ex populo gentilium venientiũ, qui populus priùs fuit fœdus sordibus Idolatriæ. Vnde Augustinus subiungit: Nonne ista est, quæ iacebat in cœno iniquitatũ? Nonne ista est, quæ iacebat in fornicatione Idolorum?

Aug. super Psal. 103.

Vel dicendum & fortè meliùs, quòd Ecclesia sumpta ex humano genere, non est ita intelligenda priùs fuisse fœda, quòd postquàm Ecclesia cœpit esse, fuerit fœda in omnibus membris suis. Quoniam in Ecclesia, quæ ab Abel dicitur incepisse, semper fuerunt aliqui

Ecclesia quomodo fœda fuerit.

vel aliquis ſanctus: Sed ſic accipiendum eſt: Quia omnia membra Eccleſiæ de genere humano ſumpta, excepto Saluatore noſtro, qui non humano ſemine, ſed de Spiritu ſancto conceptus, fuerunt priùs & ſi non pro eodem tempore fœda fœditate alicuius peccati, ſaltem originalis contaminata. Et hæc videtur eſſe intelligentia Auguſtini, vt apparet ex autoritatibus, quas inducit ad probandū, Eccleſiam priùs fuiſſe fœdam, vt patet ex illa ad Romanos: Omnes peccauerunt (Gloſſa, ex vno peccatore omnes naſcūtur peccatores) & egent gloria Dei. Et ex eadem: Pro impiis mortuus eſt.

Roman. 3.

Roman. 5.

OBIECTIO NOVATORVM XI.

Eccleſiam non quamlibet, ſed ſanctam fideles tenetur credere. At in ſancta congregatione non niſi ſancti intelligūtur: Filij ſapientiæ, inquit, Eccleſia iuſtorum. Quòd ſi homines aliquot demonſtres, quorum vel vnus, iniquus ſit, falſò dixeris hos eſſe æquos. Quemadmodum ſi ex decem viris vnus ſedeat, ceteris licet currentibus, decem currere falſum eſt.

Eccleſ. 3.

Mali, qui ſunt in Eccleſia, obiiciuntur cōtra ſanctitatē Eccleſiæ.

Eſt quoq; altera cauſſa eiuſdem rei vehementiſſima: Quòd ſi mali membra Eccleſiæ ſunt, membra etiam Chriſti erunt. Sunt autem haud dubiè membra Diaboli. Quare & iidem ciues Hieruſalem ac Babylonis ſimul erunt, & membra quoq; ſimul Chriſti & Diaboli. Quo quid abſurdius aut dici aut excogitari poteſt? Niſi fortè ſocietas eſt luci ad tenebras, conuentio Chriſto ad Belial. Membra certè corporis eiuſdem ſibi viciſſim contraria eſſe non queunt; at contra bonum malum eſt,

2. Cor. 6.

lum est, contra vitam mors, & contra virum iustum peccator, vt Sapiens ait: Non ergo iustus & peccator Ecclesiastici sunt corporis membra. Eccles. 33.

Docet item Aristoteles autor sentiendi grauissimus, cui etiam D. Thomas assentit, membra mortua non aliter esse membra atque ea, quæ picta & figurata sunt: Peccator ergo, cùm mortuus sit, membrum Ecclesiæ & pars verè ac propriè non est, sed æquiuocè ac figuratè.

Præterea vnus panis & vnum corpus multi sumus, quemadmodum Apostolus tradidit: Constat autem, vt acutè Cyprianus ad Magnum argumentatur, panem ex multorum granorum adunatione congestũ: Peccatores ergo, qui paleæ sunt, sicut nec in panis, ita nec in corporis Ecclesiæ compositionem veniunt: Id quod Augustinus non obscurè testatur, atq; ita multis in locis, vt de iudicio eius dubitari non possit, quin hanc habuerit firmam perpetuamque sententiam. Ita enim ait: Nec putandi sunt mali, in Christi corpore esse, quod est Ecclesia, quamuis Sacramentorum eius corporaliter participes fiant. Et iterum alio loco: Qui mente, inquit, peruersa videtur intus esse, cùm foris sit, ab ipso Christo iam iudicatus est. Et posteriùs, etiã nesciente Ecclesia, propter malam pollutamq; conscientiam, damnati à Christo, iam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniã non potest habere Christus membra damnata. Proinde & ipsi extra Ecclesiã baptizant: Omnia quippe ista monstra absit omnino, vt

1. Cor. 10.

Cyprianus Epist. 6. li. 1.

Aug. libr. 2. contra Petilianum. ca. postremo.

Aug. libr. 2. contra Crescentium cap. 21.

in membris columbæ illius vnicæ computentur. Loquitur autẽ dubio procul de fidelibus peccatoribus, vt ex antecedentibus & consequentibus liquidò apparet.

Aug. lib. de vnitate Ecclesiæ capit. 12. & 3.

Item denuo affirmat, malos in Ecclesia minimè deputari. Et rursus disertè affirmat, qui contra Christi mandata faciunt, eos ad illam Ecclesiam non pertinere, quam Christus mundat lauacro aquæ, & de qua

Aug. libr. 4. & 6. de bap. cõtra Dona.

scriptum est: Vna est columba mea. Et iterum ait malos non pertinere ad compagem domus, quæ est Ecclesia, atq; haud secus in domo esse, quàm palea dicitur esse in frumento. Sed & in eodem libro Cyprianum refert in Epistola ad Magnum, huius sententiæ non solùm autorem, sed etiam confirmatorem. Confirmat autem eam illo prophetico testimonio: Qui inhabitare facit vnius moris in domo. Quibus igitur nec vna anima, nec vnũ cor in Domino est, hi in Ecclesia, quæ domus Dei est, nullo modo habitãt. Et Hieronymus Ecclesia, ait, Christi non habet maculam, nec rugam. Qui ergo peccator est, & aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari. Possibile est autem, vt peccator currat ad medicũ, et curentur vulnera ipsius & fiat de Ecclesia, quæ corpus est Christi.

Aug. libr. 7. ca. 49. & 50

Psalm. 67.

Actor. 4.

Hieronym. in Epistol. ad Ephes. ca. 5.

Quòd si Ecclesiam, cuius autoritati deferimus, sanctam esse, necesse est, atq; adeò ex piis solùm iustisq; constare; nusquam porrò faciet certam in Theologia fidẽ, quousque certo iudicio demonstret, se sanctam esse: Id quod nullo modo potest, si quidem solus Deus nouit corda filiorum hominum.

2. Paral. 6.

RE-

RESPONSIO CATHOLICA.

Ecclesia quomodo sancta sit, etiãsi sint mali in ea.

Facile est, quod in hoc argumento primùm opponitur: Certum enim est, vt Ecclesia sancta sit, non oportere omnes eos sanctos esse, qui illius partes esse dicuntur. Non autem, Ecclesiam dupliciter vsurpamus, & eam, quæ vndique sancta & tota corpus Christi sit: & eam, quæ cum sanctis malos habeat permixtos. Sed id docemus, populum Christianum verè sanctum dici: licet non omnes, qui in hoc populo numerantur, sancti sint: Nam argutias illas elegantissimas, quibus hoc impugnatum est, consilium est negligere: Sophistarum quippe sunt meræ nugæ, gerris, vt aiunt, siculis vaniores: Præterquàm quòd forsitan Ecclesiam sanctam credimus, quia populus est Deo per baptismum dicatus, consecratus, sanctificatus, hos enim scriptura sanctos appellare solet.

Mali partes, non membra Ecclesiæ sunt.

Illud verò, quod statim additur, diligenter expendendum est. Aliud porrò est partes Ecclesiæ esse, aliud esse Ecclesiæ membra. Nomen siquidem partis latiùs diffunditur, nomen membri contractius est. Pars ad totum refertur, membrum ad animantis corpus. Ita pars siue vita inuenitur, vt in lapide, ligno ac cæteris eiusmodi. Membrum autem verè & propriè sine vita ne intelligi quidem potest. Quamobrem improbi partes quidem Ecclesiæ sunt; membra Ecclesiæ aut Christi non sunt. Sunt autem Diaboli membra. At in Ecclesia esse censentur, ciuesq; ciuitati huic & annumerati & adscripti; ciues mali & flagitiosi tamen.

D. Tho. 3. p. q. 8. Ar. 3. ad secun.

Boni & mali quomodo faciant vnã Ecclesiam. 2. Cor. 6. Augu. cont. Dona. post collat. cap. 6.

Quo verò pacto probi atq; improbi eundem omnino populum conflent, nec sit tamen societas lucis ad tenebras, conuentio Christi ad Belial, D. Augustinus egregiè explicat: Quæ vna ex re cæteræ huius argumenti confirmationes extremis, quod aiunt, digitulis euertuntur: Siue enim dicas corpus, siue panem, siue granum, siue triticum, seu alia similia quæuis; nomina sunt, quæ bonis per se conueniunt quidem, sed per bonos illi etiam populo, cuius boni primariæ sunt partes.

Augus. vide 3. de doct. Chr. ca. 32.

Hunc verò sensum omnia quoque Augustini verba præ se ferre notius est, quàm vt iudicandum sit: Negat enim malos in corpore Christi esse, nec posse habere Christum membra damnata. Negat in columbæ membris computari. Negat ad illam Ecclesiam pertinere,

Ephes. 5.

quæ non habet maculã nec rugam. Negat aspectare ad compagem domus Dei, aut in ea etiam habitare, in qua

Psal. 67.

vnanimes solùm habitant. Etenim hæc vniuersa, vt persæpe dictum est, tantùm probis ex se attribuuntur, & horum ratione attribuuntur Ecclesiæ. Quemadmodum ratione partis in toto ipso, insignes atque præcipuæ quædam de toto enuntiari solent, quæ partibus singulis perinde conueniunt. Quanquam Augustinus illam fortasse partitionem secutus est, vt Ecclesiam bifariàm distribueret; & eam, quæ omni ex parte bona Christiq́ue corpus sit; & eam quæ ex bonis malisque confletur.

Qua verò fronte nobis Augustinum obiicient, qui plurimis in locis nostram habet apertissimè constantissimeq́

stantissimeq; sententiam? Nec dubium est Cyprianum atq; Hieronymum eadem nobiscum concinuisse; illũ in epistola ad Maximum, hunc in comment. epistol. ad Galatas, & in dialogo aduersùm Luciferianos. Aug. lib. 2. retract. cap. 18.

OBIECTIO NOVATORVM XII.

Iniquorum multitudo obiicitur cõtra sanctitatẽ Ecclesiæ.

Si Ecclesiam boni simul ac mali constituerent, qua ratione propter iustos pauculos sancta dicitur, eadem ac multò etiam maiore propter iniquos plurimos iniqua Ecclesia diceretur. Quamobrem idem omnino cœtus & Christi esset Ecclesia & Synagoga Satanæ. Nõ igitur nisi boni Ecclesiã Christi conficiunt. Quocirca inuisa hominibus illa est, atq; adeò minùs cognita, quàm vt eius testimonium certam & explorat.am faciat fidẽ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Non abhorret à sacrarum literarum consuetudine, si eundem omnino populum nunc propter iustos felicem beatumq; dicamus, nunc propter improbos miserum & infelicem. En Moyses Israëlem modò vocat populum electum, beatum, gentem sanctam, populum Dei peculiarem; modò durissimæ ceruicis populum, stultum & insipientem. Atq; Esaias interdum populum Gomorrhæ, interdum etiam populum Dei appellat. Et re vera si scripturæ vsus est, perinde populum reprehendere ac si omnes mali essent, atq; ita consolari, vt si omnes essent boni; consectariũ est quoq;, vt populus idem & in reprehensione vituperationeq; vocetur iniquus, & in cõsolatione ac laudatione sanctus. Nec Augustinus dubitauit, Ecclesiam nigrã in malis, formq- Deut. 7. 9. 14. 26. 32. 33. 34. Exo. 19. 32. 33. 34. Esa. 1. 62. &c. Aug. lib. 3. de doctrin. Chr. ca. 32.

Origenes tractat. in Matth. 15.

formosam in bonis interpretari: Quin Origenes Ecclesiam propter eos, qui columbas in illa vendunt, speluncam latronum appellauit.

Quòd si hoc nos præsidium deficeret, habemus alterum; quòd in huiusmodi maior quædam vis boni, quàm mali est. Plusq; omnino valent pauci boni, vt plebs bona sit, quàm multi mali, vt nominetur mala.

Ecclesiam præterea sanctam dicimus, quòd Deo peculiariter sacra sit; qua ratione, quamuis malorum sint plurimi, Synagoga Satanæ appellari nec debet, nec potest: Hinc enim in Concilio Constantiensi eius impudens maledicētia damnata est, qui Romanā Ecclesiam, Synagogam Satanæ appellauit.

OBIECTIO NOVATORVM XVII.

Ephes. 1. 5. Coloss. 1. Ehes. 4.

Paulus Apostolus vbiq; Ecclesiam Christi corpus Christi facit, cuius ille caput & nos membra sumus, de carne eius & de ossibus eius. Sic certè ad Ephesios scribit: Veritatē facientes crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationē in mensuram vnius cuiusq; membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Ex quo constat, vt à capite illius mystici corporis, per membra eius vniuersa, vitalis quidā Spiritus discurrat, per quem, arcano quodam instinctu, sympathiam conspirationemq; inter se habeant, per quem & operentur quodque, quod est sui officij. Sed peccato, præsertim mortali, obnoxij, vi-

Malos non esse mēbra mystici corporis Christi obiicitur

tæ il-

tæ illius spiritualis expertes sunt; nullum proinde influxum recipiunt à capite, aut membris cæteris, nec vllam cum eisdem conspirationem, vllum consensum habere possunt. Quare non videntur pertinere ad illud mysticum Christi corpus, hoc est, Ecclesiam, nec eius vllo pacto membra esse, nisi planè mortua ac putrida, quæ reuera membra dici non possunt corporis.

RESPONSIO CATHOLICA.

Si dixerimus, inquit ille, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Peccatores plerosq; etiam mortali peccato obnoxios, esse vera membra Ecclesiæ, & per quæuis illa viuifici Spiritus à capite Christo, ad totius corporis vtilitatem, verè influit etiam in membra alia, apud neminem dubium esse debet. 1. Ioan. 1.

Quòd ergo ex Apostolo inducitur, Ecclesiam vnũ quoddam esse corpus, cuius caput Christus, & nos membra eius, velut de carne & ossibus eius, libenter amplectimur: Æque & illud, quòd à capite illius corporis vitalis quidam Spiritus influat per membra singula, per quem operetur quodque, quod est sui officij. Ephes. 5.

Sed his, quod subsumitur: Peccatorem prorsus expertem vitæ spiritualis illius mystici corporis, & proinde nullum influxum recipere à capite aut membris cæteris; nullam cum eisdem conspirationem consensumque habere, euidenter falsum coarguit peccatorum in Ecclesia ministerium. Qui nisi eiusmodi influxum recipiant à capite, & membris cæteris, secundùm rationem sui

Peccatorẽ nõ esse planè expertẽ vitę spiritalis illius mystici corporis, & influxũ à capite.

nem sui ordinis & officij, influant, profectò, inutiliter inefficaciterque administrarent Sacramenta in Ecclesia.

Qualis intelligenda sit vita totius corporis Ecclesiæ, vt eiusmodi.

Neq; enim intelligendum est, vniuersum illud corpus, quatenus eiusmodi, viuere vita charitatis, ac gratos nos Deo facientis gratiæ, sed alia quædam eius, vt totius, vita intelligenda est, quam, ad ædificationē totius, influit membris caput Christus, per Spiritum suum; quo facit totius connexionem & compagem quandam in vnum fidei Sacramentum, vnam Christi familiā, vnum gregem, vnum ouile sub pastore vno. Et cuique membro propriam conuenientemq; operationem distribuit, ad totius augmentum, in ædificationem cuiusq; membri in charitate, quæ huius compositionis finis est. Sicut, inquit Apostolus: In vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autē alter alterius membra; habentes donationes secundùm rationem fidei; siue ministerium in ministrando; siue qui docet in doctrina; qui exhortatur in exhortando. Et rursus: Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & diuisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuiq; autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatē totius corporis; alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum:

Rom. 12.

1. Cor. 12.

alteri

alteri fides in eodem Spiritu; alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus; dividens singulis, prout vult, & efficiens, vt quodque membrum indigeat opera alterius; ne esset, inquit, schisma in corpore, sed in idipsum pro se invicem solicita essent membra, & compaterentur, congauderentque invicem: Et quosdam, inquit, posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò doctores, deinde virtutes, eximde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Ibidem.

Audis itaque corpus Ecclesiæ & eius membra; audis eorundem membrorum functiones, quas à capite in ea influit ille Christi vitalis Spiritus. Quæ tamen non necessario præsupponunt, nec requirunt in illis ipsis membris, quorum functiones sunt, vitam charitatis & gratiæ. Posuit, inquit, Deus in Ecclesia primùm Apostolos. Sed numquid etiam Iudas non erat Apostolus? Licet sceleratus & auarus, in hoc electus à Domino fortè, vt istorũ, quam præuiderat, impietatẽ confunderet. An tu, inquit ille Bernardus, de illius Apostolatu dubitas, quẽ elegit Dominus? Nonne ego, inquit, vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus est? Audis eundẽ electũ esse Apostolũ, et extitisse Diabolũ; & negas qualẽcunq; membrũ esse posse Ecclesiæ, quod non viuat vita charitatis & gratiæ? Ioan. 6. Influxus gratiæ etiã fit in peccatores.

Nun-

Matth. 26. 1. Cor. 12. *Nuncquid Petrus Apostolatu excidit, postquàm ſu-ter abnegauit Dominum? Posuit, inquit, Deus pri-mùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum. Sed nun-*

Matth. 7. *quid non sunt multi dicturi in die illa: Domine, Do-mine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in no-mine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo mul-tas virtutes fecimus? Et tunc, inquit, confitebor illis, quia nunquam noui vos. Discite à me operarij in-quitatis. Nunquid ergo adhuc dubitas, diuisiones & donationes illas gratiarum, quas ad totius corporis vtilitatem, Ecclesiæ membris ille Spiritus influit, etiam malæ vitæ & operariis iniquitatis distribuat, per eosdem, si non in suam, in aliorum tamen vtili-tatem, exerceri?*

Influx⁹ Spiritus sancti in malos Sacerdotes. *Itaq; Pontifices & Sacerdotes omnes, legitima or-dinatione sedentes in cathedra Apostolica, & ab eo-dem ordinationem habentes, quamdiu suam statione retinent, & in sua quisq; vocatione permanet mem-brum Ecclesiæ, nec ab eius vnitate se separat, reci-piunt influxum sancti illius Spiritus, quo per eorum ministerium in Ecclesia remittuntur peccata; tamet-*

Ioan. 20. Matth. 18. *ipsi mali sint & iniquitatis operarij: Ad omnes enim illos pertinet: Accipite Spiritum sanctum, quorum re-miseritis peccata, remittuntur eis. Accipite, inquit, Spiritum sanctum, non quo vos sancti sitis, sed per quem aliorum peccata vestro remittantur ministerio. Vt doceret, non ministri merito, sed per eorum mini-*

sterium

sterium (quod idem est bonorum & malorum omnium) Spiritus sancti operatione, qui & ipse idem est, hæc fieri in salutem fidelium, & augmentum Ecclesiastici corporis, & in ædificationem vniuscuiusq; membri in charitate.

Falsum est ergo, peccatorem, etiam mortali peccato obnoxium, non esse capacem influxus illius Spiritus, qui à capite illius mystici corporis diffusus, membris singulis suas functiones tribuit; nullum vitæ habere officium, nullam cõspirationem, aut sympathiam cum membris reliquis.

OBIECTIO NOVATORVM XIIII.

Paulus Apostolus Corinthios obiurgat, quòd flagitiosum hominem suo contubernio dignarentur; deindeq; generalem sententiã vibrat, qua nefas esse pronuntiat, cum homine probrosæ vitæ vel panem comedere: Quòd si verò vulgarem panem cum homine peccatore manducare non licet, multò minùs panem Domini, id est, Dominicam cœnam, qui cibus est Ecclesiasticus. Non igitur ad Ecclesiam pertinent peccatores, qui tam vrgenti Apostolico præcepto prohibentur admitti.

1. Corin. 5. Punitio Corinthij incestuosi obiicitur contra sanctitatem Ecclesiæ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ratio illa, quæ ex punitione Corinthij incestuosi, & subiuncta Apostoli Pauli sententia generali, qua iubet ab Ecclesiastico conuictu peccatores abscindi, nectitur, tantùm abest, vt peccatores non esse Ecclesiæ Catholicæ portiones ostendat, vt potiùs aduersam sen-

1. Corin. 5. Peccatores sunt partes Ecclesiæ Catholicæ.

tentiam nostris aduersariis violentissimè intorqueat. Enimuerò Corinthium illũ, multò antè quàm à Paulo Ecclesia excluſus, Satanæ traderetur, in interitum carnis, flagitium perpetrasse, dubitari non potest. Quid igitur hinc aliud infertur, quàm quòd etiã atrocibus sceleribus, quæ nec inter gentes audiantur, implicati homines, extra Ecclesiam nullo pacto protrudantur? Nam si ille iam ipsa flagitij commissione extra Ecclesiam constitutus erat, quo pacto Paulus Apostolus eum extra Ecclesiam fecisset? aut, cùm de eodem in loco fateatur ingenuè, se in eos, qui foris sunt, non habere potestatem, quo pacto in eundem, si foris erat, potestatem exercuit? Nam quòd illa generali sententia, qua iubet, improbis ac flagitiosis hominibus, conuictu non congredi, idem prorsus ostendat, eiiciendos, inquam, esse ab Ecclesia peccatores, & per ipsam peccati commissionem nondum eiectos, quis, quæso, non videat?

Adde quòd eo loco, non quoscunq; peccatores Christiana familiaritate priuandos, sed eos, quos vita improbitas fecit infames, ne nomen Domini, potissimùm verò eo seculo, quo inter Gentes viuebatur, blasphemetur, decernit Apostolus: Nam id ipsum illa eadem vitiorum nomina, quæ illic scribuntur, apertissimè indicant? Si is, inquit, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huius-

1. Corin. 5.

huiusmodi nec cibum sumite. Statuitur igitur hoc Apostolico loco peccatores incorrigibiles ab Ecclesia arcendi Ecclesiastica potestas; non item peccatores ab Ecclesia extriduntur.

OBIECTIO NOVATORVM XV.

Paulus monet, vt simus vnum corpus, vnus Spiritus, vt est vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma. Vnus autem Spiritus nisi sit in nobis, vnus Dei Spiritus esse non possumus. Peccatores igitur non sunt Ecclesiæ membra: Nam quòd per Spiritus sancti in nobis per gratiam habitantis vnitatem, Ecclesiæ membra in vnum corpus conueniant, multis aliis locis docet Apostolus: In vno Spiritu, inquit, omnes nos baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno Spiritu potati sumus. Quo loco de Spiritu sancto Paulum sermonem facere, non est dubitandum. Ephes. 4. Peccatores non esse mẽbra Ecclesiæ. 1. Cor. 12

RESPONSIO CATHOLICA.

Quod ex Apostolica exhortatione producunt, tale profectò mihi esse videtur, vt responsione non egeat: Quis enim vel parum eruditus, locum illum Apostoli in hoc totum scribi, non videat, vt concordiam, amorem, & mutuam in fidelibus dilectionem accendat? Profectò vnitatem Spiritus, illo loco pro vnitate Spiritus sancti, in nobis manentis, ita vt omnes simus idem corpus, quòd vnus & idem sit in nobis SPIRITVS sanctus, accipere stultum est prorsus. Vnitas Spiritus.

tentiam nostris aduersariis violentissimè intorquet. Enimuerò Corinthium illũ, multò antè quàm à Paulo Ecclesia excluſus, Satanæ traderetur, in interitum carnis, flagitium perpetrasse, dubitari non potest. Quid igitur hinc aliud infertur, quàm quòd etiã atrocibus sceleribus, quæ nec inter gentes audiantur, implicati homines, extra Ecclesiam nullo pacto protrudantur? Nam si ille iam ipsa flagitij commissione extra Ecclesiam constitutus erat, quo pacto Paulus Apostolus eum extra Ecclesiam feciſſet? aut, cùm in eodem in loco fateatur ingenuè, se in eos, qui foris sunt, non habere potestatem, quo pacto in eundem foris erat, potestatem exercuit? Nam quòd illa generali sententia, qua iubet, improbis ac flagitiosis hominibus, conuictu non congredi, idem prorsus ostendat, eiiciendos, inquam, esse ab Ecclesia peccatores, & per ipsam peccati commissionem nondum excitos, quis, quæso, non videat?

Adde quòd eo loco, non quoscunq; peccatores Christiana familiaritate priuandos, sed eos, quos vitæ improbitas fecit infames, ne nomen Domini, potissimùm verò eo seculo, quo inter Gentes viuebatur, blasphemetur, decernit Apostolus: Nam id ipsum illa eadem vitiorum nomina, quæ illic scribuntur, apertissimè indicant? Si is, inquit, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hui-

1. Corin. 5.

huiusmodi nec cibum sumite. Statuitur igitur hoc Apostolico loco peccatores incorrigibiles ab Ecclesia arcendi Ecclesiastica potestas; non item peccatores ab Ecclesia extriduntur.

OBIECTIO NOVATORVM XV.

Paulus monet, vt simus vnum corpus, vnus Spiritus, vt est vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma. Vnus autem Spiritus nisi sit in nobis, vnus Dei Spiritus esse non possumus. Peccatores igitur non sunt Ecclesiæ membra: Nam quòd per Spiritus sancti in nobis per gratiam habitantis vnitatem, Ecclesiæ membra in vnum corpus conueniant, multis aliis locis docet Apostolus: In vno Spiritu, inquit, omnes nos baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno Spiritu potati sumus. Quo loco de Spiritu sancto Paulum sermonem facere, non est dubitandum.

Ephes. 4.

Peccatores non esse mẽmbra Ecclesiæ.

1. Cor. 12

RESPONSIO CATHOLICA.

Quod ex Apostolica exhortatione producunt, tale profectò mihi esse videtur, vt responsione non egeat: Quis enim vel parum eruditus, locum illum Apostoli in hoc totum scribi, non videat, vt concordiam, amorem, & mutuam in fidelibus dilectionem accendat? Profectò vnitatem Spiritus, illo loco pro vnitate Spiritus sancti, in nobis manentis, ita vt omnes simus idem corpus, quòd vnus & idem sit in nobis SPIRITVS sanctus, accipere stultum est prorsus.

Vnitas Spiritus.

Significat igitur vnitas Spiritus illic, vnitatem voluntatis, vnitatem animorum & mentium Hebraica ratione loquendi, in qua lingua id Spiritus frequentissimè pollet; pacem (inquam) & concordiam, quæ in Christianis magis, quàm in aliis quibusq; vigere debet, quòd scilicet in illis sit vnus Deus, vna eadem

Ephes. 4. *fidei professio, vnum Baptisma, vna spes vocationis, vnus Deus & Pater omnium, qui sit super omnes & in omnibus. Quòd si vnitas Spiritus pro vnitate, ac vnione Spiritus sancti ibi caperetur; nihil tamen minùs illic insinuaretur, quàm peccatores extra Ecclesiã esse: Non enim ibi Paulus vnitate illa sancti Spiritus fideles esse vnitos decernit; sed eosdem Ecclesiastica vnitate per fidei professionem & Baptismum coniunctos, in ampliorem illam Spiritus sancti vnitatem, prouocando, exhortatur.*

Fatemur nihilominus, eo loco, quem ex Epistola

1. Cor. 12. *ad Corinthios promunt, nonnullisq; aliis, vnum Spiritum, pro vno Spiritu sancto, quo iusti omnes, id est, viua Ecclesiastici corporis mẽbra viuunt, ab Apostolo accipi, in quo vno eodemq; Spiritu, qui Sacramentorum ministerio indulgetur, omnes sumus baptizati & potati. Ac perinde consequenter fatemur, iustos, hac vnitate Spiritus, esse cum Christi membris coniunctos. Verùm non inde sequitur, non esse Ecclesiastici corporis membra peccatores. Quemadmodũ arida membra, quamuis Spiritu quidem vitali, animali, aut naturali, cæteris viuis membris non vniantur; vnitate*

Mali qualia sint mẽbra Ecclesiæ.

untur tamen situ, neruis, tendonibus, ligamentis, cartilaginibus & cute, ita vt ad idem corpus pertinere dicantur.

Baptizamur omnes deinde in eodē Spiritu: Omnibus enim non ponentibus obicem, Spiritum sanctum Sacramenta propinant, fateor. Essemus deinde vnum vnitate illa Spiritus, si inde albam innocentiæ tunicam conseruare vellemus, sit ita; at, quòd non conseruemus, vnitate illa Spiritus sancti, quæ maxima vnitas erat, per peccatorum languores, foras protrusa, manemus sub eadem Ecclesiæ pelle, fidei (inquam) confessione ac cæteris Ecclesiasticis membris, non iam Spiritus, quo, quasi stupida & arida membra, sumus destituti, sed articulorum fidei ligamentis astringimur.

OBIECTIO NOVATORVM XVI.

Non alio pacto de Catholica Ecclesia nunc loquendum est, quàm olim de Synagoga. A Synagoga verò non modò fidei desertione, sed scelerosæ vitæ contagione homines præscindebantur, iuxta illud Pauli: Si præuaricator es legis, circumcisio tua præputium facta est: Et illud, quod ad Iudæos quosdam in Apocalysi dicitur: Qui dicunt se esse Iudæos, & non sunt, sed Synagoga Satanæ: Et ab Ecclesia igitur, non modò infidelitas, sed quodcunque flagitium peccatores præscindet.

Synagogæ exēplo probare conantur, malos non esse in Ecclesia. Roman. 2. Apoc. 2.

RESPONSIO CATHOLICA.

Facilè soluitur hoc argumentum: Licet enim eodem

Ex Synagoga olim peccatores non fuerunt exclusi.

pacto de Ecclesia, quo olim de Synagoga, quam nihil aliud, quàm Ecclesiasticæ reipublicæ, quæ à mundi exordio sumpsit initium, veterem portionem definimus, loquendum ac sentiendum aduersariis nostris, libentissimè demus: Falsum est tamen, quod aiunt, peccatores vita sceleroſa, ab eadem fuisse præcisos, ita vt ad populum Dei non pertinerent, imò contrarium multis magnisq; exemplis comprobauimus.

Roman. 2. Neque verò Pauli Apostoli locus, quo docet, non seruantibus legem, circumcisionem factum esse preputium, illis adstipulatur: Non enim id docet, vt qui semel à legis exhibitione defecerint, ad Gentilismum aut Paganismum, continuò pertineant; sed quia cum legis præuaricatione ad salutem obtinendam circumcisio non prosit: Quemadmodum & nos quoque libenter fatemur, Baptismum sine charitate & bonis operibus, ad salutem conciliandam inutile esse. Itaque non de professione, sed de merito, ibidem loquebatur Apostolus. Perdebat Iudæus, legis omissione ac præuaricatione, salutis æternæ, quæ Iudaismo promissa erat, efficacissimum meritum; sed professio religionis, & tunc, & modò constituit Ecclesiam.

Est etiam aduertendum, ibi Apostolum, non de quosuis Iudæos verba facere, sed ad eos, qui iam Christi, sine cuius professione nihil circumcisio prodesset, aduentum sequebantur. Vnde, etiamsi sine legis, in qua, quasi in vtero Christus continebatur, exhibitione; cir-

ne, circumcisionem, præputium, id est, Gentilismum, factam esse doceret, ita vt qui legem non impleret, amplius in Synagogam aut Ecclesiam non pertinere sentiret, nihil Ecclesiasticos peccatores læsisset, qui in Christum tantùm credant, & Christiana professione censentur, cùm sit vtrorumque diuersissima ratio. Atque huic sensui accedere videtur Ambrosius in eius loci commentario, sic dicens: Hoc est quod dicit, quia si legis seruator non fuerit Iudæus, Gentilis efficitur; sed circumcisionem pro genere posuit Abrahæ, quia ex Abraham circumcisio: Neque enim poterat ædificare, quæ destruxerat: Hoc enim ait, vt doceat, tum prodesse ex genere Abrahæ esse, si lex seruetur, id est, in Christum credatur, qui promissus est Abrahæ; quia & suum meritum habent iustificati per fidem, & honore Patrum sublimantur: Omnis enim salus in lege de Christo est. Hic igitur seruat legem, qui credit in Christo: Si autem non credit, transgressor est legis, quia non recipit Christum, quem lex ad iustificationem venturum cecinit, quam ipsa dare non potuit, & nihil proderit dici filium Abrahæ, quia hic secundùm meritum est filius Abrahæ, qui fidem sequitur, per quam dignus Deo extitit Abraham. Vnde ait: Circumcisio tua præputium facta est, id est, Gentili similis factus est, non credens in eum, qui in signo circumcisionis, filius promissus est Abrahæ. Hactenus Ambrosius. Ambrosi. in commenta. super epist. ad Rom. 2. Roman. 2.

Roman. 2. *Cui sententiæ, quod immediatè in Paulo subiungitur, adstipulari videtur: Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nónne præputium eius in circumcisione reputabitur? In quæ verba idem Ambrosius:* Ambrosius vt supra. *Iustitia, inquit, legis, fides est Christiana; sicut alio loco dicit:* Rom. 10. *Finis legis est Christus ad iustitiam omni credenti. Ideo manifestum est, quia si Gentilis credat in Christum, sit filius Abrahæ, qui Pater est fidei; meritò igitur illi, qui se Iudæos, id est, legis Mosaicæ seruatores, tamen cum Christi abiectione & repudiatione, dicebant, ad Satanæ Synagogam, non ad Christi Ecclesiam aut Mosis Synagogam pertinere cuntur.*

OBIECTIO NOVATORVM XVII.

Epithetis Ecclesię peccatores ab ea excludere nituntur. *Ecclesiæ in scriptura multa tribuuntur, quæ multo pacto illi, si peccatores sint eius membra, conuenire poterunt; quale est, quòd plerisq; locis, corpus Christi vocatur, Grex ouium, Domus Dei, Ædificium Dei, Structura Dei, quæ omnia non nisi ei tantummodò congregationi aptari queunt, quæ nihil habeat peccatorum admistum. Num brachium, pedem, aut* 1. Corin. 3. *oculum aridum, corpus Christi habebit? Num in Dominico grege, ouibus & agnis, capræ, tauri, sues, leones, aut vrsi miscebuntur?* 2. Tim. 3. *Num in Christi Dei sa-* Ioan. 10. *pientiæ domo erit aliqua portio, quæ nõ ipsi totius aedi-* 1. Corin. 3. *ficij solido fundamento nitatur? Fundamentum verò aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Hic solus totum ædificium*

Dei

Dei sustentare potest, & contra Satanam, mundum, peccatum, & mortem, incorruptum seruare. Qui igitur illi, quasi fundamento cohæret, nec Satanæ, neque peccato, nec morti, nec mundo concutitur, sed cũ Paulo clamat: Quis me separabit à caritate Christi? an angustiæ? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius &c. nimirum quòd per fidem certus sit, quòd neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neq; profundum, neque creatura alia possit illum separare à charitate Christi. Rom. 8.

Quòd verò huic Ecclesiæ fundamento, non alij quàm iusti possint superstrui, ad Ephesios scribens, docet idem Apostolus: Ergo, inquit, iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei superædificati, supra fundamentum Apostolorum, Prophetarum, ipsi summo angulari lapidi, Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Ephes 2.

Sed & quòd huic sancto & quadrato lapidi nullum peccatum possit superædificari, clarioribus verbis docet Petrus Apostol⁹: Si gustastis, inquit, quàm dulcis est Dominus, accedentes ad eum, lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini, in domos spirituales, in Sacerdotium sanctum, offerentes hostias acceptabiles Deo per Iesum 1. Pet. 2.

Christum, propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, probatum, electum, pretiosum, et qui crediderit in eum, non confundetur. Quid his clarius? lapidi viuo non vult Petrus, nisi lapides quoque viuos superstrui; deinde non quocunque pacto superædificari nos monet Apostolus, sed per fidem. Ante fidem verò nullum est vinculum. Ergo qui fidem habet, Christo est superædificatus, & qui Christo quasi lapidi viuo, viuus ipse lapis non nititur, fidem non habet; qui verò fidem non habet, ad Ecclesiam non pertinet.

RESPONSIO CATHOLICA.

Vocatur, dicunt, Ecclesia in scripturis & sanctis autoribus, Christi corpus; vocatur Grex ouium; vocatur Dei domus & structura &c. libenter fatemur: Ergo non continet peccatores. Collectionem negamus: Tantum enim inde sequitur: Ergo in ea non sunt peccatores, quasi membra vegeta & viua, succumque spiritus, à corde & à capite trahentia: Ergo in ea non sunt peccatores omnes: Ergo in ea non sunt peccatores 1. Pet. 2. *lapides viui, vt Petrus dicebat. Aut: Ergo in ea non sunt, cæteris lapidibus charitatis calce & bitumine peccatores vniti. Esse tamen peccatores in Ecclesiastico corpore, quasi membra arida, aut, vt Augustinus* Aug. trac. 3. in cano. Ioã. Peccatores quomodo sint in Ecclesia. *aptissimè inquit, quasi malos humores, qui quando euomuntur, tunc releuant corpus: Esse in Ecclesiastico grege peccatores quasi capras aut hædos, qui oues et*

agnos, vsque ad diem illum, quo his ad dexteram, illis verò ad sinistram sequestratis, molestissimè vexent: Esse peccatores in Ecclesiastico ædificio, quasi lapides bitumine charitatis solutos, qui tamen vt cæteri alij, Christiani ædificij sint partes, licet non tam validæ, ex omnibus illis locis nullo pacto conuincuntur. Matt. 25.

Neque verò magnopere est mirandum, si Ecclesia in præsenti fragilitatis miseria, in hoc exilio, dum peregrinatur à Domino, in hac grauissima tentationis militia, qua non aduersùs carnem tantùm & sanguinem, sed aduersùs principes & potestates, aduersùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus, irreconciliabili bello perpetuò decertat; si in hoc teterrimi & squalidi carceris ergastulo, quo quotidie ingemiscit· Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est &c. eum decorem, & membrorum integritatem, quam postea, cùm renouabitur vt aquilæ, iuuentus eius, est habitura, nondum acceperit: Si (inquam) quandoque ex tot laboribus, ex tot ærumnis, ex tot inimicorum externorum, atque internorum violentissimis irruptionibus, aut oculus illi arescat, aut brachium stupescat, aut manus neruorum conuulsionem aut spasmum patiatur. Neque est magnopere mirandum, si tot carnis, tot mundi, tot Satanæ violentissimis tormentis impulsa, tot arietibus, tot vineis etiam impetita, sancta Dei ciuitate, (licet fundamenta eius Ephes. 6. Ecclesiæ militantis defectus, Psal. 119. Psal. 102.

eius sint in montibus sanctis, atq; adeò ea funditus excindi nequeant, ex lapidibus eius, quidam, qui & naturaliter grauitate & charitatis bitumine destituti erant, extra ipsum quidem ædificium pulsi, prosternuntur in terram: Quidam verò, licet bitumine ac calce charitatis, quibus aliis cohærebant, destituantur; in ipso tamen sancto ædificio, suaq; sede inconuulsi permaneant, donec rursum, per Christum cæmentarium, calce & bitumine reuniantur: Quidam verò neque hoc neque illud patiantur, sed inconcussi perseuerent neque sedem vt priores, neque bitumen vt posteriores vllo pacto amittentes. Priores sunt hæretici, secundi peccatores, tertij iusti, quos Petrus Apostolus lapides viuos elegantissimè vocat. Talesque sunt lapides illi, qui clamant: Quis me separabit à charitate Christi? an angustiæ, an fames &c. Haud profectò hæc omnium lapidum vox est, sed viuorum lapidum, prægrandium lapidum, qui ipsi Christo, primo huius structuræ lapidi, non vno latere, fide tantùm scilicet, sed tribus, fide, spe & charitate planissimè sternuntur: Imò verò eorum, qui non tam calce charitatis, quàm plumbo confirmationis fundamento cohærent.

1. Petri 2. Rom. 8.

In arcium profectò expugnationibus, cùm cæteri lapides, qui in ædificij fastigio sunt, partim impetu tormentorum labantur, partim calce, gypso & bitumine, quibus illigabantur, priuentur; hi tamen, qui fundamento, lapidi, inquam, viuo, id est, natiuo (in cuius generis lapidibus solent arces superstrui) immediatè cohærent,

Discrimen lapidum in ædificio Ecclesiæ.

cohærent, nulla vi commouentur. Ita viri Apostolici ipsi lapidi viuo, id est, Christo immediatè, in sancti huius ædificij structura cohærentes, nullis nedum non sunt tentationibus aut Diabolicis tormentis, quibus hæc sancta domus concutiebatur, attriti, aut prostrati, aut bitumine charitatis priuati, sed nec quidem concussi. Haud tamen hoc priuilegium aliorum est, qui in extremo fastigio domus reponuntur. Illic quidem plerunque sunt parui lapides, qui primo ictu prosternuntur; sunt ligna & tabulæ, quæ accenso igne tentationis comburantur; sunt denique regulæ, quæ cùm non minimam vtilitatem afferant, neque tamen calce neque bitumine, sed solo compositionis artificio cohærent.

Damus igitur libentissimè aduersariis, omnes Ecclesiastici ædificij partes, Christo lapidi viuo inniti: Damus, omnes partes domus Dei eundem Christum habere fundamentum; sed diuersa ratione. Viri quidem Apostolici, quasi magni lapides & tum iustitiæ pondere, tum confirmationis, quam per spiritum acceperunt, plumbo graues, immediatè & immobiliter eidem innituntur. Iusti omnes, charitatis bitumine & calce obligati, quasi mobiles quidem lapides, sed qui nondum ea, quibus cæteris cohærent, retinacula amiserint. Peccatores verò quasi lapides quidem concussi & bitumine soluti, sed qui nondum ceciderint, aut quasi tegulæ, solo artificio, in domus tutelam colligatæ: Nam hæretici, qui & calcem charitatis, & fidei

sedem

sedem amiserunt, cùm non sint amplius ædificij portiones, Christo fundamento nullo pacto nituntur. Desiderat verò Petrus Apostolus eo loco, vt non quouis modo, sed quasi lapides viui & ponderosi, qui nulla tentationis impetu concussi ruamus, Christi lapidi viuo superstruenti firmemur. Apostolicum autẽ desiderium nihil decernit, sed, quid esset melius, insinuat, vt scilicet, non ipsa nominis Christiani sola professione, sed fide integra & viua lapides viui effecti, lapidi viuo Christo, qui est fundamentum Prophetarum & Apostolorum, superædificemur: Nam si ipsam solam sterilem fidem in Christum, ad hoc genus ædificationis, in quo homines, quasi lapides viui & Christo lapidi viuo connituntur, (vt aduersarij docent) satis esse credidisset Apostolus, quorsum homines Christianos, & qui Christianæ fidei religionem tenerent, ad hanc eandem vnionem exhortaretur Apostolus? Ergo sua illa exhortatione apertissimè indicat, homines iam semel Christo per fidei simplicem professionem superstructos, alio quoq; pacto superstrui.

1. Petri 2.

Ephes. 2.

OBIECTIO NOVATORVM XVIII.

Non modò sponsam, vxorem, amicam &c. Ecclesiam, Scriptura, sed vnam carnem cum Christo, quæ vnio arctior est quàm Spiritus, frequentissimè vocat. Erunt, inquit Apostolus, duo in carne vna; hoc Sacramentum magnum est: Ego autem dico, in Christo & Ecclesia. Qui, quæso, esse poterit peccatorum maledicta

Cant. 4. 6. Sap. 8. Apocal. 2. Malos non esse mẽbra Ecclesiæ. Ephes. 5.

maledicta caro, vnà cùm Christi carne, cum quo Christo nec minori illa spiritus vnitate coniungitur? Qui, quæso, Christus (quod ibi quoque docet Apostolus) Ecclesiam suam diligat, in cuius membris feculentæ sint sordes? Quomodo carnem suam, id est, vxorem suam nutriet & fouebit, si horrenda peccatorum lepra videatur scabra? Ephes 5.

RESPONSIO CATHOLICA.

Nihil prorsus est incommodi, si laus illa Ecclesiæ, quæ perplurimos hinc inde Scripturæ locos, de nostra hac militante Ecclesia, ex iustis & peccatoribus coacta intelligatur. Enimuerò Ecclesiastica membra, non vnò pacto, sed multiplici dici, velint nolint aduersarij, confiteri tenentur. Dicuntur Ecclesiastica membra, aut per respectum ad Christum, & hoc modo soli iusti, iuxta eam meritorum & dignitatis distinctionem, quam humani corporis membra conseruant, membra eius Ecclesiæ, cuius Christus actu caput est, analogica ratione in scriptura dicuntur: Sic sancta Virgo Dei mater, Christo capiti proxima, collum: Sic Apostolicus cuneus, quo totius orbis triumphum duxit, pectus dicitur; sic Martyres, Virgines, Confessores, Viduæ & cæteri Ecclesiastici status, in hoc Ecclesiastico corpore suos locos accipiunt: Quo pacto non modò per Synecdochen, sed absoluta ratione, Ecclesia pulchra, & speciosa vocatur.

Multipliciter membra Ecclesiæ dicuntur.

Dicuntur

Alter modo, secundùm quem dicũtur Ecclesiastica membra.

Dicuntur rursus Ecclesiastica membra temporis præsentis respectu: Quo pacto est Ecclesiæ caput Pontifex Gregorius XIII. sui temporis, quo Ecclesiæ præsidet, tantùm respectu. Sunt Episcopi ac Sacerdotes, qui modò vigilant, huius Ecclesiæ, quæ nunc est tantùm, oculi aut os, quo Euangelici verbi rore populi respergũntur. Sunt Reges & Imperatores lacertosa brachia, quibus hostium violentiam à filiorum suorum iniuria repellit. Sunt & alia quædam ignobiliora mẽbra, quibus forsan hodie (si quando aliàs) abundantiorem honorem circumdamus. Est denique huius Ecclesiæ, quæ nunc viuit, qualiscunque illa sit, certa quædam membrorum integritas: At non sunt hæc illa, quæ absoluta ratione, corporis Ecclesiastici membra dicuntur, quibus, inquam, sancta illa Christi sponsa, quæ ab orbis exordio vsque ad finem in terris exulat, & pòst eum Christo in perfecto decore est coniugnatura, in sanctis scripturis conflari describitur; sed sunt diuersa seculorum & temporum momenta, quibus à se ipsa, & virtute & nobilitate tantùm distat Ecclesia, quantum membrum à membro. Sic olim totus mundi status, Danielis statua illa, cuius caput aureum, pectus argenteum, venter & femora ænea, tibiæ ferreæ, pedes fictiles erant, diuinitus panditur.

Daniel. 2.

Ecclesiæ diuersitas.

Ecclesiæ igitur, id est, Ecclesiastici regni membrorum diuersitas, non est aliud, quàm eiusdem Ecclesiæ per varios temporum excursus, variatio, vt ea, quæ à Christo incipit, Ecclesiæ sit caput Apostolicum

seculum,

seculum, quo vniuersum orbem Euangelium inundauit; collium, proximum tempus; pectus, in quo hominis fortitudo & robur sita sunt, aut tempus persecutionis, quo animosi Christi milites de mundo triumpharunt, aut imperium Christianum, quod idola contriuit: In eo enim loco imperio primo omnium, à Tyrannorum persecutione respirans Ecclesia, cœpit adolescere, et sanctorum Confessorum otio, duo eius vbera vnum rectæ vitæ, alterum excellentis doctrinæ, cœperunt intumescere, tantumque lactis, vberibus cœlo plenis, in paruulos filios cœpit effundere, vt nos, qui modò viuimus, qui residui sumus, de plenitudine eorum, ab vberibus consolationis satiemur. Talia sunt profectò Ecclesiastica membra, quæ ore sponsi in Scriptura laudantur; hæc verò membra, pulchra esse dicuntur, quòd in quouis eorum, iustitiæ pulchritudo emicuerit: Quouis enim tempore fuerunt in Ecclesia & erunt iusti, qui membrum illud Ecclesiastici corporis, venustate suffundant, ita vt optimo iure dici possit: Tota pulchra, tota, inquã, totalitate temporum, & sponsa & glorioſa, sine macula & ruga.

Ecclesia quomodo dicatur tota pulchra. Cant. 4. Ephes. 5.

Est illa mihi non inepta sententia, quæ omnes eiusscemodi scripturæ locos, non de absoluta pulchritudine aut iustitia, sed de respectiua, collata nimirum ad cæteras quascunque orbis nationes, aut congregationes, siue Ecclesias, intelligit: Ita vt tota Ecclesia siue partes eius pulchræ dicantur, non quòd labe careant omnino, sed quo pacto inter turpes et deformes, pulchrã

Ecclesia quomodo respectiuè sancta dicatur.

solemus appellare mulierem, non quæ absoluta pulchritudine constat, sed eam, quæ cæteris omnibus collata, sit pulchrior. Fuerunt ab orbis initio cæteræ quæcunq; Ecclesiæ aut hominum congregationes, siue hereses, cum aliis grauissimis peccatis, tum idololatriæ turpissimæ; adeò vt Dominus, illarũ appellari Deus, dedignatus sit. Contrà, Ecclesia nostra cùm illarum virtutum, tum veræ religionis cultura, fuit semper speciosa, & licet non cunctarum partium, sui tamen totius ratione, Deo ipsi fuit semper amabilis. Atq; hæc

Cant. 2. *forsan pertinet, quòd eam liliũ inter spinas sponsus appellat: In quem locum iustus Orgelitanus: Expulso,*

Gen. 3. *inquit, homine de Paradiso, dicitur: Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos germinabit tibi. Quæ terra vtique caro humana intelligitur, quæ aculeos libidinum & concupiscentiarum suarum producere*

Gregorius lib. 1. cap. 1. *consueuit. Quapropter, quod ait: Sicut lilium inter medios spinarum, sic amica mea inter filias; filias hæreses dicit, quæ per Baptismum quasi renatæ, filiarũ nomine nuncupantur, sed spinis comparatæ, corrumpentes & corruptibiles perdocentur; quam corruptionem Ecclesia nescit, quæ liliorum synceritati comparata, vltrò viuaque, redolet & resplendet. Hactenus ille.*

OBIECTIO NOVATORVM XIX.

Ephes. 5. *Apostolus Paulus scribit Christum se tradidisse*

Autoritate Pauli, malos ab Ecclesia excludere conãtur. *pro Ecclesia, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam,*

aut aliquid huiusmodi, sed vt esset sancta & immaculata. Ex quo consequens videtur, mortalis peccati maculam esse non posse in membro Ecclesiæ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Confitemur, quòd Christus seipsum tradiderit pro Ecclesia sua, vt illam sanctificaret, mundando eam lauacro aquæ in verbo vitæ, et exhiberet ipse sibi gloriosam, non habentem maculam nec rugam. Non quidē in præsenti, quamdiu est in hac militia, quamdiu stat in procinctu, in acie hac saucia, illic cicatricosa; obsita sudore & puluere, & à Solis æstu decolarata; quamdiu, inquam, hîc expurgatur ab illa peccati scoria, & malos vnà cum bonis intra sagenam suam permixtim inclusos retinet; neq; vllos perpetuo bonos, sed velut in lubrico decertantes, nunc cadentes, nunc resurgentes, nunc ex genu pugnantes: Sed facta tandem separatione in littore maris angelico ministerio, et recollectis bonis piscibus in vasa, foras abiectis malis, tum demū eam accipiet vir ille suus Christus gloriosam, non habentē maculam aut rugā, aut aliquid eiusmodi, sed sanctam & immaculatam. Alioqui nullus est sanctorū in hac vita, qui tamen non pauci sunt in Ecclesia, quantumuis perfectus, qui nō in sese peccata veraciter agnoscat, et fideliter confiteatur; clamante pro omnibus Ioanne: Si dixerimus, quia peccatū nō habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis nō est: Vbi vsq; adeò peccata à sanctis nō aliena putat, vt nihil magis sanctitati cōtrarū iudicet, qui àm se peccatorē negare. Si dixerim⁹, inquit,

Quomodò Christus se tradiderit p̄ sua Ecclesia, vt illam sanctificaret. Ephes. 5.

Ecclesia quādo sit futura gloriosa.

1. Ioan. 1. Iusti peccātores quomodo sint.

inquit: *Quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis: Si autem confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis, & emundet nos, ab omni iniquitate.*

Sanctitas hominū quæ nā propriè dicatur.

Vides igitur, vt sanctitatem in agnitione peccatorum, & continua emundatione constituit. Iacobus etiam ingenuè confitetur: In multis offendimus omnes: scilicet primum includens. *Et in lege veteri Daniel vir ille desideriorum, qui abstinentia et puritate magnam futurorum cognitionem à Deo promeruit: Cum orarem, inquit, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei; vt iam videlicet nulla restaret ambiguitas. Et Esaias, cùm Dominum meruit videre in gloria: Væ, inquit, mihi, quia vir pollutus labiis ego sum. Nullus itaque Sanctorum, aut noui, aut veteris Testamenti sine peccato se esse cogitet; quando & ex nouo Testamento Apostoli, et ex veteri Prophetæ sua manifestè peccata confitentur.*

Iacob. 3.
Daniel. 9.
Esaiæ 6.

Quomodo igitur Ecclesiam, cuius illi verè nobilissima membra sunt, agnoscere nolumus, nisi quæ sit sine macula & ruga? Nam quòd Christus exhibiturus est suam Ecclesiam sine macula & ruga, non ad hoc tempus pertinet, non ad hanc vitam. Ita Augustino interpretante: Nam exponens illud Christi: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, ita inquit: Homo in sancto Baptismate totus abluitur, non præter pedes, sed totus omnino: Veruntamẽ cùm in rebus humanis viuitur, vtique terra calcatur. Ii igitur humani affectus,

Augustinus tractatu 56. in Ioan.
Ioan. 13.

affectus, sine quibus in hac mortalitate non viuitur, quasi pedes sunt; vbi ex humanis rebus afficimur, & sic afficimur, vt si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos decipiamus, & veritas in nobis non est. Et post hæc quibusdam aliis confirmata ita infert: Proinde Ecclesiam, quam mundat Christus lauacro aquæ, non solùm in illis est sine macula & ruga, qui post lauacrum regenerationis ex huius vitæ contagione tolluntur: Verùm in his, quibus Dominus hanc misericordiam præbens, fecit illos de seculo isto lotis pedibus emigrare. In iis autem, qui hîc morantur, etiamsi munda sit, quoniam iustè viuunt; opus tamen habent pedes lauare, quoniam sine peccato non sunt.

1. Ioan. 1.

Ephes. 5.

Quòd peccata sanctorum, etsi minima peccata, tamen sunt pœnitētia remittenda.

Galat. 5.

Peccata sanctorum.

Sed fortè, ais hæc de leuioribus peccatis dicta esse, quæ non contraria sunt Ecclesiæ sanctitati; non verò, de quibus Paulus dicit, quòd qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Verum est, illa sunt, sine quibus sancti non viuunt, paulò immoderatior vsus rerum concessarum, aut profusior risus, vel minùs necessarium aliquod verbum: Verum est, parua hæc peccata sunt; sed talia, propter quæ meritò & peccatores omnes se debent agnoscere, & non se existimare aliquid, cùm reuera nihil sint. Quomodo igitur, qui hæc cogitat, non vult cognoscere Ecclesiam, nisi immaculatam & ab omni peccato puram? Aut quomodo sine præsumptione maxima ad hanc Ecclesiam quis se existimat pertinere?

Occulta peccata sanctorum.

Verùm ad maiora iam peccata accedamus: Rogo te, qualia sunt ea, quæ Paulus magnum certè vere Ecclesiæ membrum, non tantùm timet, tanquam quæ euenire possint, cùm inquit: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne, cùm aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar; sed etiam, de quibus tanquam præsentibus, dubius est, & inquit: Nec me ipsum iudico: Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est. Nonne de fide, aut infidelitate ministrorum, hîc agebatur, rem grauissima, & ad salutem necessaria. Hîc, inquit, iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. In qua re Paulus sibi ipsi timet, nec audet se iustum credere. Et mox admonet omnes dicens: Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.

1.Cor. 9.

1.Cor. 9.

1. Cor. 4.

Rogo te, vult Paulus, vt de omnibus dubitemus, an ad Ecclesiam pertineant, an eius membra sint, & ministri; vt videlicet nec Prælatum, nec subditum certum aliquem agnoscamus? Meritò igitur dicemus hæretico, quid si Lucianico corde, quid si Epicureo & atheo animo sint, Prælati, respondebitur: Noli eam tempus iudicare, sed potiùs considera te ipsum; & propter hoc humani cordis incertum & occultum dic potiùs cum Psalmista: Delicta quis intelligit: Ab occultis meis munda me: Et agnoscamus omnes, quod olim

1.Cor. 4.
Galat. 6.

Psal. 18.

Donatiste

Donatistæ ipsi confessi sunt, occulta peccata non alienum facere ab Ecclesia.

Sed quod iam vltimum est, nec manifesta quidem & grauia ab Ecclesia excludere, aut Ecclesiam ipsam sanctam maculare, constantissima olim fuit omnium Catholicorum Pontificum aduersùs Donatistas sententia: Quam Augustinus noui & veteris Testamenti manifestissimis testimoniis confirmat in quàm plurimis libris cõtra illos; ex quibus nunc pauca quædam, quibus hoc explicetur & manifestum fiat, sunt afferẽda. Et primò ex Prophetis, quantæ in illis, quàm duræ reprehensiones peccantium & peccatorum sunt; vsqueadeò vt nonnunquam nec vllus superesse videatur bonus; sed sicut in Psalmo scriptum est: Non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Arguunt populum grauissimorum peccatorũ: Arguunt Sacerdotes, Iudices, Reges: Nunquid tamen propterea separant se ab eorum communione; aut non participant eodem templo, eisdem sacrificiis, & orationibus cum eis ipsis, quos durissimè reprehendunt? Nunquid negant esse veram Ecclesiam, vbi illi sunt? Esaias quanta loquitur aduersùs peccata: Væ gẽti peccatrici, populo graui iniquitate: Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël &c. Et postea: A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. Vnde tandem ait: Audite verbum Domini, Princeps Sodomorũ; auribus percipite legem Dei vestri, populus Gomorrhæ: Quid, rogo, duri⁹ dici potest, et acerbius, q̃

Aug. col. 3. cõtra Dona. cap. 22.

Ecclesiã manifestos etiã peccatores & graues habere ostẽditur prophetarum testimoniis.

Esa. 1.

hoc et cætera, quæ ibi sequuntur? Vbi etiam sacrificia eorum Deo ostenduntur ingrata, & tamen eisdem eodem loco Diuinam misericordiam promittit: Si fuerint, inquit, peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur. Et bonitatem Dei circa eos ostendit, inquiens: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma essemus.

Ibidem.

Ibidem.

Similia etiam & acerbiora in arguendis vitiis Ecclesiæ apud alios Prophetas leguntur, quemadmodum etiam in nouo Testamento apud Apostolos: Quia Christus ipse Iudam inter Apostolos constituit, mittique ad prædicandum cum cæteris. De quo Ioannes quod etiam ante proditionem satis ostendit; ipsumque iam proditorem Saluator cum cæteris ad mysteria vltimæ cœnæ suæ admittit; pedes illi abluit; & proprio corpore, & sanguine reficit. Quæ, rogo, verior Ecclesia, quàm Apostolorum, sub oculis & præsentia Christi congregata? & tamen ab illa non est alienus Iudas, de quo inquit Christus: Vnus ex vobis Diabolus est.

Matt. 10.

Ioan. 6.

Ioan. 13.

In reliqua sua doctrina tot parabolis & manifestissimis documentis hoc ipsum ostendit, vt nec referri omnia possint: Simile, inquit, est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos; malos autem foras miserunt. Vbi vides vsque ad finem seculi malos intus: Et ne de occultis tantùm, & qui inter retia non videbantur, dictum audientes putemus,

Ioan. 6.

Matt. 13.

occultos

occultos tantùm peccatores esse in Ecclesia, audi à Ioanne aream vocari Ecclesiam, in qua manifesta est palea, quæ igne inextinguibili consumitur, cùm permundata fuerit area. Reliquas Christi similitudines hîc facientes breuitatis studio omittimus. Matth. 3.

Apostolos autem ipsos peccatores etiam publicos non pro alienis ab Ecclesia habuisse, exemplum Pauli docet, qui incestuosum Corinthium, quem priùs excommunicauerat, & Satanæ tradiderat in interitum carnis, iubet à cæteris in omni charitate suscipi; ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur. Quapropter, ait: E contrario magis donetis, & consolemini, & confirmetis in illum charitatem. Non itaq; excommunicati ipsi ita præcisi ab Ecclesia sunt, vt mox ad eam vel tunc etiam non pertineant saltem vt præcisa, sed quæ curatione rursus inseri possunt, membra; tenentur etiam & tunc Ecclesiæ legibus; & ipsa eos disciplinam sustinentes non aliter respicit, quàm Pater filios, quos dura correptione emendare cupit: Ob hoc enim medicinales pœnas illis imponit, & salutem illorum quærit, vt Spiritus eius, inquit Paulus, saluus fiat. Vnde apertiùs Thessalonicensibus loquitur: Quòd si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate; & ne commiseremini cum illo, vt confundatur. Quid verò hoc aliud est, quàm excommunicare? Sed statim subdit: Nolite quasi inimicum existimare; sed corripite vt fratrem. 1. Corin. 5. Apostoli peccatores non habuerũt pro alienis ab Ecclesia. 2. Corin. 2. Thessal. 3.

Quæ certè si attentè consideremus, agnoscemus Ec-

Quòd in Ecclesia Christi peccatores tanquã ægri fouendi sint.

Ecclesia apotheca.

cleſiam Chriſti in hoc ſeculo non aliud eſſe, quàm medicinas quaſdam, medicaminum videlicet apotheca, & medicorum atque infirmorum domus & habitacula, in quibus non aliud agitur, quàm ægrotantium & infirmorum cura; & ſub vno illo medico Chriſto adhibetur ſolicitudo, vt nullius morbo, ægritudini, vel vulneri deſint opportuna remedia, nullius imbecillitati fomenta & auxilia neceſſaria ſubtrahantur.

Matth. 9. Nam quid eſt aliud, quòd Chriſtus dicit: Non eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus; quàm vt intelligamus, nullum morbum, nullum peccatum, quàm diu in Eccleſia, qui eo laborat, ſuſtinetur, vt medicinali pœna, vt eum ſeruet, ſatagit, à cura & medicina Chriſti alienum reddere hominem, atque ita nec omnino ab Eccleſia eius, in qua & ipſi, qui medendi curam habent, agnoſcunt ab aliis etiam & ſibi præſtari oportere. Vnde & Paulus ſaluberrimè admonet: Fratres, inquiens, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in Spiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Quibus verbis quanta, vt ita dicam, lenitiua adhibuit fomenta peccantium vulneribus? Non, inquit, abiicite illum, tanquam alienum ab Eccleſia; ſed inſtruite, inquit, non cum obiurgatione & auſteritate; ſed cum blanda inſtructione, in Spiritu, inquit, lenitatis, accedite ad illum, cogitantes, quòd & vos ſimili, aut grauiori morbo laborare

Galat. 6.

Ibidem.

borare post modicum fortè continget; considerans, inquit, te ipsum, ne & tu tenteris. Vnde & priùs, cum peccantis memimisset, mirum est, quibus verbis extenuauerit malitiam & grauitatem culpæ, idque ex cõsideratione naturæ peccantis: Si præoccupatus, inquiens, fuerit homo in aliquo peccato; ac si diceret: Cogita quòd homo est fragilis & infirmus, non Angelus, vt propterea mirandum sit, quòd peccauerit; nec etiam Dæmon, vt deploratus haberi debeat, sed homo, qui ignorantia, obliuione, aut insultu hostis facilè præueniri imparatus potest; atque ita magis præoccupari & ante plenam considerationem lapsum fuisse, quàm malitia, aut plena deliberatione peccasse credi potest.

Demiq; vult, vt in illo seipsum quisq; cogitet: Alter, inquit, alterius onera portate; & tandem claudit omnia seuerissima sententia: Nã qui se, inquiens, existimat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Quid est aliud (Nam qui se existimat &c.) quàm apertè ostendere, omnem, qui peccatores abominatur, qui cõtemnit, ideo id facere, quia se existimat aliquid esse, cùm tamen re vera nihil sit? Nihil, inquam, sit omnis homo, quantumuis sanctus, quantũuis humilis; à quorum animis longè est, vt se aliquid esse putent; quantò magis, qui aliquid putat se esse, quod nõ est aliud, quàm se seducere? Quibus omnibus manifestũ fit, quantùm errent, qui peccatores ab Ecclesia alienos faciũt; quàm duram in se sententiam proferant; imò quàm sui ipsorum obliti sint. Galat. 6.

Quòd

Quòd igitur Ecclesiæ in sancta Scriptura ea encomia & elogia à Spiritu sancto donentur, quæ homini peccatori conuenire non queant, vt quòd sit speciosa, quòd sit columba, quòd sit Christi sponsa, quòd sit sine ruga, aut sine macula, quòd sit supra petram fundata, & proinde portæ inferi aduersùs illam non sint præualituræ, quòd sit Hierusalem sancta, per quam alieni non transeant, quòd sit sacrosanctum templum, quòd impuri non sint ingressuri, & similia talia, quæ illi Euangelica testimonia aut prophetica vaticinia frequentissimè tribuunt, non alia ratione ab istis accipitur, quàm quòd toto studio in hac vita ad sanctimoniam & solidam puritatem aspiret. Quemadmodum, aiunt, verum est, quod ad Ephesios ait Paulus, Christum se ipsum tradidisse pro Ecclesia, vt illam sanctificaret, & mundasse illam lauacro in verbo vitæ, vt sibi exhiberet gloriosam sponsam, non habentem maculam, aut rugam; ita verum est, Dominum quotidie operari in rugis eius expoliendis, maculisque imperfectionis, quæ ex huius mundi conuersatione afficantur, extergendis. Vnde isti pulchram, formosam, columbam, solidam, &c. vocant, non quòd modò in præsenti fragilitatis statu sit verè pulchra, formosa, columba, & impetu tentationis infracta, sed quòd per continuum vitæ studium, in hæc omnia contendat.

Cant. 6.
Ephes. 5.
Matth. 16.
Ioël. 3.
Esai. 35.
Phil. Melá.
Ioan. Calu.
Encomia & elogia quomodo conueniant Ecclesiæ.
Ephes. 5.
Cant. 2.
Ecclesia quomodo sit pulchra & formosa.

Sunt & ex nostris, qui non minùs aptè hanc pulchritudinem, splendorem & robur, in quod etiam inferorum

ferorum portæ prævalere non possint, non in vitæ iustitiam, sed in doctrinæ & dogmatum, quæ docet Ecclesia, pulchritudinem, robur & splendorẽ reiiciant: Nihil enim est iis pulchrius, nihil splendidius, fortius nihil, vtpote quæ superata Philosophorum sapientia, totum orbem peruicerint. Rufinus in expositione symboli. Matth. 16.

OBIECTIO NOVATORVM XX.

Fatemur quidem quòd præcipuè in publica pace & tranquillitate, multi impij, hypocritæ & impœnitentes, qui verbis tantùm Christum & Euangelion eius confitentur, corde autẽ alieni sunt à Christo, non tantùm admisceantur veræ Catholicæ Ecclesiæ, sed etiam tanta sint hypocrisi, tanta potentia & autoritate, vt fiant externi gubernatores Ecclesiæ, ac videantur in vero populo Dei, qui est verè Catholica Ecclesia, longè omnium primi. Sed hoc vtcunque se habeat, certè firmum fixumq; manet, quòd, qui non verè credit in Christum, non sit verum veræ Catholicæ Ecclesiæ membrum, nec verè fruatur eius Ecclesiæ beneficiis ac prærogatiuis coram Deo, etiamsi videatur summus in Ecclesia Monarcha. Impios non esse vera membra Ecclesiæ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Certum est, quòd viuum Ecclesiæ membrum non est, qui non verè credit in Christum; quoniam verò quis credat, quis non credat, solus ille scit, qui scrutatur corda & renes; nihil impedit, quò minùs eum, in quo publicam & legitimam professionem fidei & vocationem agnoscimus, pro verò Ecclesiæ membro habeamus, Psalm. 7. Hier. 11. 17 Apocal. 2. Mali vera, sed non viua membra Ecclesiæ.

beamus, etiamsi coram Deo viuum membrum non sit; quin si talis ad Ecclesiæ gubernacula sederet, propter hypocrisim eius non erit statim irritum, quod ab eo gestum fuerit: Nam vt verum illud sit, quòd coram Deo non rectè fruatur Ecclesiæ beneficiis & prærogatiuis; rectè tamen fruitur coram hominibus, & siue baptizauerit, siue consecrauerit, siue absoluerit, siue ius dixerit, hypocrisis hæc eius nihil impedier, quò minùs Ecclesiæ munera integra perficiat. Hactenus autem coram Deo non rectè fruitur, quòd dum talis est, non aliam habet, quam expectet, suæ functionis mercedem, quàm pœnas Gehennæ sempiternas. Docet hoc autem Caluinus vester, quòd etiam, qui mala conscientia ad ministerium accessit, coram Ecclesia ritè nihilominus vocatus est.

OBIECTIO NOVATORVM XXI.

Vocatio exterior Sacerdotum obiicitur contrasanctitatẽ Ecclesiæ.

Catholica Ecclesia ea videlicet, de qua nunc nobis est sermo, vera & in æternum beata, constat ex gratuita & clementi electione Domini Dei nostri per vnigenitum filium eius Iesum Christum, in Spiritu sancto. Non vos (inquit Christus) me elegistis, sed ego vos elegi, vt eatis, & fructũ afferatis. Et: Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Ac rursus: Nemo nouit Filium, nisi Pater: Neque Patrem quisquam nouit, nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius reuelare. Et Ioannes: In hoc (inquit) est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum,

Ioan. 15.
Ioan. 6.
Matth. 11.
1. Ioan. 4.

Deum, sed quòd ipse dilexerit nos. Et Paulus: Quos (inquit) præscierat, eosdem & præsciuit conformes fieri imagini filij sui, vt ipse sit primogenitus inter multos fratres. Quos autem prædestinarat, eosdem & vocauit. Et quos vocauit, eos & iustificauit. Ac iterum: Elegit nos in ipso, antequàm iacerentur fundamenta mundi. Rom. 12. Ephes. 1.

Papistica autem Ecclesia non constat ex electione Dei, sed sufficit, quòd ore confiteatur Christum, etiamsi corde sit Epicureo, & vita Sybaritica: Sic enim & sentiunt & scriptis in lucem editis, coram toto mundo profiteri non erubescunt, quòd videlicet Ecclesia, cui promissio illa Christi facta est: Portæ inferi non prævalebunt aduersùs eam; visibilis est, nec ex electione Dei aut vera fide & charitate internis pendet, vt quis ad Ecclesiam pertineat, siue vt subditus, siue vt Prælatus &c. Quin & hoc addunt, quòd nec gratia, nec certè interior aliqua virtus occulta, requirenda est vel in membris, vel in ministris eius, præter publicam & legitimam professionem fidei, & vocationem, vt ad eam pertineant, & eius munera integra perficiant. Hîc nunc expende mihi, quo iure Papistæ vendicent suæ Papisticæ Ecclesiæ, quæ ad solam verè Catholicam Ecclesiam pertinent. Matth. 16.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ipsa vox Ecclesia, cuius significatio non est obscura, admonere quemlibet potest, à vocatione ductum esse Ecclesia nõ est electorũ tantùm.

esse nomen, non ab electione, quod certò scio hæreticos non ignorare. Verùm excæcauit malitia cor ipsorum. Quis autem est, qui neget electos in Ecclesia esse? Sed Ecclesiam esse tantùm electorum, hoc est, quod constanter negamus; quin cum Christo, qui veritas est, dicimus, quòd multi vocati, pauci sunt electi. Simul ex iis verbis illud colligimus, quòd in Ecclesia plures peccatores, quàm iusti, plures mali, quàm boni, plures reiecti sunt, quàm electi. Interea tamen & illud asserere non dubitamus, quotquot electi sunt, eos non alibi, quàm in hoc vocatorum cætu reperiri: Nam etsi possunt etiam esse alibi, secundùm Dei præscientiam & prædestinationem, ad vocatorum tamen cætum ea aggregari necesse est: Siquidem electionem, quam in se ipso aliôqui absconditam habet, vocatione demum sua tanquam certa testificatione Dominus manifestat & comprobat, & velut sigillo quodam consignat, vt in electis vocatio quædam sit electionis testificatio.

Matth. 20.

Melanthon in locis communibus. Roman. 8.

Vidit hoc etiam Melanchthon vester, qui cùm admonuisset, in cõspectu omnibus semper esse debere Pauli dictum hoc: Quos elegit, hos vocauit: Quotiescunq; inquit, de Ecclesia cogitamus, intueamur cætum vocatorum, qui est Ecclesia visibilis, nec alibi electos vllos esse somniemus, nisi in hoc ipso cætu visibili. Non electorum, sed vocatorum cætum is vocat Ecclesiam, iuxta nominis ipsius etymon, nec alibi, quàm in isto cætu visibili vocatorum, electos esse dicit: Nam vocatos quidem videre nobis & agnoscere licet, electos etiamsi

Ecclesia cœtus vocatorum.

2. Timot. 2.

etiamsi videre possimus, non tamen agnoscimus. Solus est Dominus, qui nouit, qui sunt eius, secundùm cuius hanc præscientiam & prædestinationem, quàm multæ oues foris sunt, inquit Augustinus, quàm multi lupi intus, & quàm multæ oues intus, & quàm multi lupi foris? Quid est, quod dixi, quàm multæ oues foris? Quàm multi modò luxuriantur casti futuri? Quàm multi blasphemant Christum, credituri in Christum? Quàm multi se inebriant, futuri sobrij? Quàm multi rapiunt res alienas, donaturi suas? Verùm tamen vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quàm multi intus laudant, blasphematuri; casti sunt, fornicaturi; sobrij sunt, se vino postea sepulturi; stant casuri, & non sunt oues? De prædestinatis enim loquimur. Augustt. tractat. 45. in Ioannem.

Ex iis verbis discimus, quòd alij sunt in Ecclesia secundùm Dei prædestinationem, & ij soli sunt electi, alij secundùm præscientiam vocati tantùm. Illos nemo nouit nisi Deus: Nam etsi videatur aliquis hominibus electus, ac sit etiam pro tempore; fieri tamen potest, quòd qui hodie intus est, cras foris; qui hodie ouis, cras lupus; qui hodie electus, cras sit reiectus. Duplex hominum genus in Ecclesia.

De suis Apostolis dixit Christus: Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus est Diabolus? Fuit igitur inter electos etiam Iudas, fuit ouis, fuit intus; verùm postea progressus foràs, factus est lupus. Æquè fuit Apostolus Iudas atq; Petrus, æquè prædicauit vt Petrus, æquè baptizauit vt Petrus, nec impediebat Ioan. 6.

quicquam ea res eius ministerium; quo minùs aquæ foret efficax, quòd fur erat, quodque traditurus erat Dominum. Verùm hæc tu, sicut dixi, Nouator, non ignoras. Quò nequior es, qui sciens prudensque, contra manifestam veritatem, venire non vereris. Scis tu, quòd incerta esset salus Ecclesiæ, si ex ministrorum dignitate sanctitateque penderet; scis quòd à vocatione nomen trahit Ecclesia, non ab electione, & multos in ea vocatos esse, paucos electos.

Matth. 20.

Hæresis vnde dicatur.

Hæresis ab electione nomen ducit, non Ecclesia; non quòd à Deo electi sint Hæretici, sed quòd, sicut Hieronymus ait, eorum vnusquisque id sibi eligit, quod illi melius esse videtur: Non acquiescit in Ecclesiæ doctrina, sed illius iudicio suum iudicium anteponẽs, ipse sibi dogma eligit, quod pertinaciter tuetur, vel nouum aliquod, vel alicuius ex iis, qui pridem damnati sunt. Ex tali electione vestram Ecclesiam constare non negamus, sed hæc non Christi, verùm Diaboli est electio.

Hieronym. in Epist. ad Tit. 3.

Lutherana Ecclesia ex qualielectione constet.

Cæterùm Ecclesia Catholica, etsi pertinent ad illam electi, quos vocatione sua signat Deus, non ita tamen ex electione Dei constat, vt soli ad eam pertineant electi, nisi fortè electos vocatos intelligi velit, quomodo fuit electus etiam Iudas, quomodo etiam Ambrosius interpretatur illud Pauli: Vocauit vocatione sancta. Vocatio, inquit, sancta est, cùm electi sunt ad gubernandum populum sanctum Dei. Ex tali

2. Timot. 1.

Catholica Ecclesia quomodo constet ex electione.

tali gratuita Dei electione quin constet Ecclesia, non negamus. Cæterùm si prædestinatos electos intelligis, Ecclesia illa triumphantium, quæ est in cœlis, ex solis constat electis; sicut infernus ex solis reprobis. Hæc autem nostra Ecclesia, quæ est super terram, in qua perpetua quædam est militia, quam etiam ob caussam vocatur militans, habet per Dei gratiam electos, quos cœlo Deus dignatur, habet alios vocatos quidem Dei misericordia, sed sua postea culpa reiectos, quos iure suo sibi vendicat infernus. Iob. 7.

OBIECTIO NOVATORVM XXII.

Papistæ palàm & impudenter affirmant, non requirendam esse gratiam aut interiorem aliquam occultam virtutem vel in mmistris vel in membris Ecclesiæ, præter publicam & legitimam professionem fidei & vocationem. Scilicet etiamsi Prælati eius sint animo suo Epicurei & vita Sardanapali; tamen si sciant verba Symboli recitare, & sunt à Cardinalibus aut Canonicis ad Prælaturas electi, pertinent ad Ecclesiam, & sunt ordinati, vt in rebus æternæ nostræ salutis ab ipsorum iudicio pendeamus. Scimus quidem, veritatem Sacramentorum Christi non pendere à dignitate ministrorum; sed non esse requirendam gratiam Dei, aut viritutem Spiritus sancti in iis, qui de vera sententia sacræ Scripturæ, seu verbi Dei iudicare debent, hoc demum est cœlestia oracula Spiritus sancti subiicere Epicureis & Sardanapalis. Externa vocatio Sacerdotum obiicitur contra sanctitatē Ecclesiæ.

Caput IX. Solutiones obiectionum

RESPONSIO CATHOLICA.

Quæ hîc tam petulanter ab hæreticis contra Catholicos dicuntur, in nullum aliũ, quàm Christum ipsum recidunt: Cuius enim illa verba sunt, Papistarũm an Christi? Super cathedram Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi: Omnia, quæ dixerint vobis, seruate & facite; secundùm opera verò eorum nolite facere: Dicunt enim, & non faciunt? Quem igitur hîc alium quàm Christum ipsum reprehendunt hæretici? Ille enim est, qui iubet eos audiri, qui sedent super Mosi cathedram, etiamsi non faciant, quæ dicunt; etiam contraria faciant iis, quæ dicunt; etiamsi secundùm legem docentes, contra legem viuant. Quid autem, si ipsi non conceditis, quòd Sacramentorum dignitas non pendet à dignitate ministrorum? Quæ ratio diuersitatis est, vbi de verbo agitur? Quî magis pendere debet doctrinæ veritas ex dignitate ministrorum? Cùm præsertim, sicut in Sacramentis, non alium agnoscimus, qui baptizet, qui conficiat Eucharistiam, qui peccata remittat, qui per Sacramenta, tanquam per vasa quædam, gratiam suam fidelibus impartiat, quàm Christum. Sic etiam, vbi prædicatur Dei verbum, vbi de illo iudicium fit, non alium Doctorem & Magistrum agnoscimus, quàm eundem ipsum Christum; vt sicut in Sacramentorum, sic in verbi dispensatione, nihil nobis obesse queat, quamlibet scelerati sint & impij ministri; quandoquidem verus ipse & Sacramentorum suorum dispensator, & verbi sui Magister &

Matth. 23.

Ex dignitate ministrorũ non pendet aut doctrinæ, aut Sacramentorum veritas.

Iudex,

Iudex, non tam sanctus est, quàm ipsa sanctitas.

Præclarè sicut alia multa, sic & hoc Augustinus: Augustin. in Epist. Ioan. tract. 3. *Magisteria, inquit, forinsecùs adiutoria quædam sunt & admonitiones: Cathedram in cœlo habet, qui corda docet; interior magister est, qui docet; Christus docet; inspiratio ipsius docet. Vbi illius inspiratio & illius vnctio non est, forinsecùs maniter verba perstrepunt. Sic sunt ista verba, quæ forinsecùs dicuntur, quomodo est agricola ad arborem; forinsecùs operatur, adhibet aquam & diligentiam culturæ; quælibet forinsecùs adhibeat, nunquid poma format? numquid nuditatem lignorum vestit vmbra foliorum? numquid tale aliquid intrinsecùs agit? Sed quis agit hoc? audite agricolam Apostolum, & videte quid sumus, & audite magistrum interiorem: Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Hoc ergo vobis dicimus, siue plantemus, siue rigemus loquendo, non sumus aliquid, sed ille qui incrementum dat Deus, id est, vnctio illius docet vos de omnibus.* 1. Corin. 3.

Vides, Nouator, quemadmodum Sacerdotis non est nisi ministerium? ipse verò verus Doctor & Magister, ipse verus Iudex & interpres Scripturarum, qui docet efficaciter, Dei Spiritus est, sicut etiam ipse Christus dixit: Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Hic Spiritus potest loqui per Balaam, potest per Caipham, potest Confirmatio ab exemplis & similibus. Matth. 10. Num. 23. Ioan. 18. Matth. 27.

Num. 22. *per Iudam proditorem, deniq; potest etiam per asinam; nec ideo verbi Dei dignitati doctrinæq; veritati quic-*

Malitia Sacerdotũ nihil detrahit ministerio. *quam detrahetur, quæ non magis ex ministrorũ pendet dignitate, quàm ipsa veritas Sacramentorum. Nã sicut Sacramentorum, ita verbi quoque ministri vocantur, & sunt Sacerdotes & Episcopi, qui quali vita sunt, ipsorum quidem plurimùm refert ministrorũ, sed auditorum nihil interest: Nam qui mali sunt, dum ea quæ bona sunt, administrant, se tantummodo lædunt; sicut fax accensa, sibi quidem detrimentum præstat, aliis verò lumen in tenebris administrat, & unde commodum aliis præstat, inde sibi dispendium parit. Doctrinæ veritas à quocunq; proficiscatur homine, Dei, non hominis est: Et sicut Solis lux, etiamsi per immunda loca transeat, non inquinatur, sed abiis qui illuminantur, pura accipitur; sic Dei verbum, etiamsi nonnunquam ex ore prodeat hominis impuri, purum nihilominùs ab iis, qui audiunt, accipitur, nec ex docentis impuritate labis aut sordium quicquam contrahit. Hæc, Nouatores non sunt tam hebetes, vt non intelligant, sed ita malitia cor ipsorum excæcauit vt aliud nonnunquam scribant, quàm quod sentiunt ipsi, dum odium erga Catholicos suum expleturi, omnẽ ansam illos calumniandi quærunt.*

Neque verò propterea Catholici cœlestia oracula Spiritus sancti subiiciunt Epicuris & Sardanapalis, quòd negant ab iis, qui iudicant de sententia Scripturæ, gratiam Dei gratum facientem esse requirendam.

Non

Non sunt Epicurei, sed neque Sardanapali, à quibus publica & legitima professio fidei & vocatio requiritur. Porrò de animo cuiusque, quid in pectore suo clausum quisque gerat, Dei solius est iudicium. Si quis autem Ecclesiæ iudicio tanquam Epicureus & Sardanapalus est condemnatus, is ad iudicium de sententia Scripturæ non admittitur, quin è cœtu piorum eiicitur; quoad verò legitimi iudicis decreto talis pronuntiatus non fuerit, tolerari debet, quàm diu tolleratur ab Ecclesia, nec alicuius priuati sententia condemnari. Constat autem Martini Lutheri, qui dux vester est & antesignanus, testimonio, non paciores inter vos Epicureos & Sardanapalos reperiri, quàm inter nos, qui Catholici vocamur, & sumus per Dei gratiam, præcipuè si paucitatem vestrorum cum nostrorum conferas multitudine. Sed audite, quid ex vestris quidam scribat: Vestrum enim voco Ioannem à Lasko, qui priùs vestrum, postea gradu facto dogma Sacramentariorum est amplexus, quod amplexus nunquam fuisset, nisi vestro exemplo suum priuatum sensum publico totius Ecclesiæ sensui & consensui anteponere fas esse iudicasset. Is igitur in Epistola quadam, quam ad Serenissimum Regem Poloniæ scripsit, iis verbis vtitur: Summa, inquit, diligentia ac circumspectione opus est, ne sub prætextu ac fuco Euangelij, aut nouum rursus aliquod tyrannidis genus inuehatur, aut Sectis aliôqui omnibus, atque ita demum atheismo fenestra aperiatur,

Epicurei quam diu tolerentur in Ecclesia.

Ioañes Lasko in Epist. ad Regem Poloniæ.

ad quem nũc maxima ferè hominum pars neſcio quo modo inclinare videtur. Audin, tu Nouator, quemadmodum hic inter vos diu multumque verſatus, non obſcurè fatetur, quòd ſub prætextu ac fuco Euangelij veſtri (nihil iam dicam de tyrannide, de qua vehementer quæritur) maxima ferè pars hominum ad atheiſmum quendam inclinare videtur: Ad quem non inclinant modò multi, verùm etiam apertè ruunt, & præcipites in eum feruntur; quam ad rem grauidum illis doctrina veſtra fecit. Et hos tu iudices de ſententia Scripturæ dare nobis vis, quos palàm ad atheiſmum inclinare vel ruere potiùs, etiam ij, qui ſunt factionis veſtræ, profitentur?

OBIECTIO NOVATORVM XXIII.

Matth. 16. Peccatores non eſſe mẽbra Eccleſiæ.

Chriſtus promiſit Eccleſiæ ſuæ, quòd portæ inferorum non prævalebunt aduerſùs eam: Peccatores ergo & mali non erunt membra Eccleſiæ, vtpote aduerſus quos portæ inferorum prævaluerunt: Sicuti enim Chriſtus adeſt toti Eccleſiæ, ita adeſt ſingulis eius membris; & ſicut Spiritus ſanctus gubernat totam Eccleſiam, ita etiam gubernat ſingula eius membra.

Roman. 8. Ibidem.

Id quod Diuus Paulus teſtari videtur, inquiens: Si quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt eius. Et: Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.

1. Cor. 6.

Et: Non ſcitis, quòd membra veſtra, ſint membra Chriſti, quòd corpus veſtrum eſt templum habitantis in vobis Spiritus ſancti.

RE-

RESPONSIO CATHOLICA.

Certè qui non habet Spiritum Christi, alienus est & à Christo & ab Ecclesia: Nam, vt plurimũ, membrum mortuum dicimus hunc esse: Qui verò Spiritum Christi habent, illi sunt membra eius: Non tamen propterea eodem modo adest Christus illorum singulis, sicut toti Ecclesiæ: Nec sanctitas singulis est promissa, aut in singulis inuenitur, sed in quibusdam sic semper, vt modò in his, modò in illis, atque ita Ecclesia semper sancta est, & non singuli, qui ad eam pertinent: Peccant enim multi eorum, qui quidem membra sunt Christi & excidũtur per peccatum, & rursum eidem inseruntur. Non itaq; singulis membris Ecclesia promissa est perpetua præsentia Spiritus sancti: Non, inquam, promissa est etiam illis, qui vera sunt membra, quandoquidem excidunt à gratia, & nonnulli eorum perpetuò separabuntur; ij scilicet, quos Paulus luget, qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, fornicatione & impudicitia.

Ecclesia semp sancta est, non singula eius membra.

1. Cor. 12.

Nunquid ergo Christus singulis adest perpetuò? Nunquid singulis conuenit: Non te deseram, nec te derelinquã? Hoc quid aliud est, quàm Iouiniani commentum, nullum scilicet post Baptismum peccare posse? Namq; baptizatis omnibus: Christum, inquit Paulus, induistis. Quòd si nunquam eos desereret Christus, vt Ecclesiam non deserit, non laberentur: Peccant verò, & quidem moriuntur in peccato. Non igitur eodem modo adest singulis Christus, sicut Ecclesiæ, nec

Gal. 3.

singulos ita gubernat Spiritus sanctus, vt Ecclesiam.

Nunquid in nullum verum Christi membrũ praualent portæ inferi? Simon ille baptizatus nunquid nõ fuit membrum Christi, de quo dicitur, quòd et ipse credidit, Actor. 8. *& cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo? Et tamen de eo inquit Petrus: In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. Denique hic fuit Hæreticorum omnium parens, omniumq; perditissimus. Nonne ergo carent Hæretici cõsideratione, Christum eodem modo adesse dicentes singulis membris, sicut toti Ecclesiæ? Ecclesiæ namque perpetuò, infallibiliter & certò; singulis membris nec perpetuò, nec infallibiliter, sed modò adest, modò se subtrahit, cùm scilicet labuntur.*

Denique nec certò credimus alicui membro adesse; quicquid velint de sua certa fide docere Hæretici. Non tenemur credere, Spiritum sanctum gubernare istum aut illum Christianum quemcunque, aut eius animam inhabitare per gratiam: Nullus, inquam, de alio hoc tenetur credere, sed de Ecclesia omnes pariter 1. Tim. 3. *id credimus, quæ est domus Dei, columna & firmamentum veritatis.*

OBIECTIO NOVATORVM XXIIII.

1. Cor. 12. An Spiritus sanctus, semper singula membra Ecclesiæ gubernet.

Paulus inquit; Corpus vnum est, membra habet multa, omnia verò membra cùm multa sint, vnum sunt corpus; sic & Christus: Etenim per vnum Spiritum omnes in vnum corpus baptizati sumus. Quid verò manifestiùs dici potest, quàm quòd sicut se habet

corpus

corpus humanum, in quo sunt diuersa membra, ita se corpus Christi, quod est Ecclesia. Ergo sicut in humano corpore anima gubernat non tantùm corpus, sed singula membra (nisi fortè manus aut pedes destituantur viribus) ita in corpore Christi Spiritus gubernat totum corpus & singula eius membra.

RESPONSIO CATHOLICA.

In hoc argumento aduerte, animam singula gubernare; singula, inquam, membra viua & vnita corpori; at verò separata et mortua, iam non viuificat. Ita nos dicimus: Singula membra viua Ecclesiæ, quàm diu corpori adhærẽt, Spiritus sanctus gubernat. Quòd si se separant, iã non gubernantur à Spiritu sancto; qui tamen non propterea totũ reliquum corpus deserunt.

Argumenta, quæ ex mysticis verbis sumuntur, frequentissimè fallunt, nisi attentè dissimilitudo cogitetur: Si singula membra corporis humani haberent natura sua libertatem et mutabilitatem, vt possent se separare à corpore, & rursum illi vniri, haberet verò anima inseparabilẽ coniunctionẽ cum toto corpore; tũc per omnia corpus humanũ simile esset Ecclesiæ: Tunc enim posset anima viuificare modò hæc membra, modò illa; & ipsa, quæ viuificat, si separarentur non viuificaret; & vnita rursus viuificaret; cùm tamen corpori semper coniuncta essent. Hæc omnia fingenda sunt, vt illa sit omnimoda similitudo corporis humani, & Ecclesiæ, & sic illustrat etiam veritatem, quam asserimus: Sed quia illa duo desunt (nam membra nostra

Dissimilitudo corporis humani, & corporis Christi, q̃ est Ecclesia.

noſtra natura ſemel mortua, non rurſum viuificantur, nec libertatem vllam habent; nec anima coniunctionem indiſſolubilem cum toto corpore, neq; cum ſingulis partibus) oppoſitũ omnino eadem ratione ſequatur. Aganus ergo gratias hæreticis, qui hac ſimilitudine illuſtrant etiam, quod aſſerimus, ſi modò diſſimilitudo cogitetur; imò veritati ipſi potiùs illas aganus, quæ efficacia ſua, cùm magis impugnatur, fortior redditur. Et hæretici videant non communi ſenſu carere, qui totam Eccleſiam perpetuò aſſerit gubernari Spiritu ſancto, & errare non poſſe totam, nec totam peccare; ſingula verò membra quotidie errare & peccare.

OBIECTIO NOVATORVM XXV.

Peccatores non eſſe mẽbra regni Dei. Epheſ. 2. 2. Tim. 2.

Eccleſia eſt regnum Chriſti diſtinctum à regno Diaboli, quemadmodum docet Apoſtolus, cùm ait, Diabolum efficacem eſſe in incredulis: Et rurſus ad Timotheum, quòd teneantur captiui à Diabolo ad ipſius voluntatem.

RESPONSIO CATHOLICA.

Eccleſia Chriſti regnũ, in quo etiã hîc partem peccatores obtinent.

Non omnes peccatores pertinere ad regnum Diaboli, & qui?

Quòd hæretici Eccleſiam dicunt regnum Chriſti diſtinctum à regno Diaboli, confitemur & nos. Sed hoc negamus, peccatores omnes mortali peccato obnoxios eſſe membra regni Diaboli: Nam ad regnũ Diaboli eos tantùm pertinere dicimus, qui ſunt extra ſeptum ouilis Catholicæ Eccleſiæ, in quos ille plenum dominium obtinet, & quos totos poſſidet. Cuiuſmodi ſunt imprimis infideles & increduli, qui ignorant Deum.

Sunt

Sunt hæretici, oppugnatores veritatis & fidei, & doctrinæ Catholicæ Ecclesiæ: Sunt schismatici, qui se separarũt ab vnitate regni Christi, & ouile eius deserunt, nolentes communibus nobiscum legibus viuere, nec subesse eius rectori, quẽ ille nobis constituit: Sunt postremò, quos extra Ecclesiam fecit censuræ Ecclesiasticæ seueritas & tradidit Satanæ.

Status peccatorum in Ecclesia manentium.

Intra septa ouilis Christi manentibus, quantumuis peccatoribus, mali tamen sui sensus ademptus non est, sed intus accusat, torquet, reuocat misera conscientia, subleuantur adhuc Sympathia sanorum membrorum eiusdem corporis; iisdem ad correctionem adhuc valet, & viget Ecclesiasticæ disciplinæ seueritas; parata sunt insuper oblataque peccatorum remedia efficacia.

Status separantium se ab Ecclesia.

At quos extra arcam illam mysticam, vel offendit, vel quoquo colore, quaqua persuasione ad se illexit Serpens ille callidus, præcipitatos in perditionis barathrũ, hos totos securosq; possidet: Nam cùm extra Ecclesiam nulla sit peccatorum remissio, sed desperatio, non videntur tamen sibi deseruisse, imò tum primùm inuenisse Ecclesiam, cùm deseruerunt Ecclesiam; inuenisse Christum in deserto, in angulis & penetralibus, in quæ seducti sunt. Proinde nullo sui mali sensu tanguntur, & eo iam sunt loco, vt non solùm nullum ipsis remedium peccatorum pateat, sed etiam, vt illa ipsa remedia, intus manentibus salutaria, eisdem sint toxica & lethalia: Adeò, vt mortem pro confessione Christi nominis patienter libenterque perpessam ab hæretico aut

Matt. 24.

schisma-

ſchiſmatico, glorioſus ille Martyr, & doctiſſimus Epiſcopus Cyprianus, audacter pronuntiet eidem eſſe, non confeſſionis coronam, ſed pœnam perfidiæ. Recte ergo hos regno deputamus Diaboli.

Cõfirmatio noſtræ ſentẽtię ex verbis Apoſtoli, quæ aduerſũs nos inducũt aduerſarij. Ephes. 2. 2. Timot. 2.

Nihil his contradicit, ſed potiùs conſentit Apoſtolus. Nam ad Epheſios (quo loco citatur) dicit incredulos & filios diffidentiæ, qui in Deo ſpem nullam collocant, pertinere ad regnum Diaboli, & in ipſis, velut in membris ſuis, illum liberè operari; quod ipſum etiam nos dicimus. At dicit reſiſtentes veritati orthodoxæ et Catholicæ fidei, nempe Hæreticos, captiuos detineri à Diabolo; quod & nos quoque confitemur. Sed nuſquã hoc dicit in vniuerſum de peccatoribus omnibus, etiam peccato mortali obnoxiis, quàm diu intra ouilis Chriſti ſepta, ſub Paſtoris & rectoris eius cura & regimine, ſe continent.

OBIECTIO NOVATORVM XXVI.

Malos non eſſe de Eccleſia obiicitur.

Tametſi mali ſunt in Eccleſia, tamen non ſunt de Eccleſia; quia non ſunt de regno Chriſti, ſed de regno Diaboli.

RESPONSIO CATHOLICA.

Mali ſunt de Eccleſia.

Qui Chriſto credunt quiq; Chriſto per Baptiſmum mutorati ſunt, tametſi ex humana fragilitate peccent, non tamen mox de corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, abſcinduntur, niſi forte in hæreſim labantur aut in infidelitatem: Cohærent enim mutuo quodam fidei vinculo & Sacramentorum participatione. Vi

boni, ita mali Euangelio Christi credunt, audiunt Euangelium, docent Euangelium; hoc solum interest, quòd boni etiam Euangelio obediunt, mali minimè; & ob hoc maximè isti mali in ignem æternum destinantur: Boni & mali indifferenter Eucharistiam accipiunt, boni ad vitam, mali ad iudicium. Quando ergo boni et mali Christiani vnam habent fidem, vnum Euangelium, eadem Sacramenta, non est, quòd isti malos de Ecclesia excludant: Stat enim fortis Apostoli sententia: Vnus panis, & vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus. Quo dicto declarat Apostolus, quòd omnes, qui de corpore Christi & de sanguine eius participant; Christiani sunt, siue boni siue mali; licet mali indignæ communicationis arguantur. 1. Cor. 10.

Malos cum bonis vnam constituere Ecclesiam.

Rursum vel hinc constat, malos Christianos esse de corpore Christi, & cum bonis vnam Ecclesiam constituere, cuius caput Christum esse testatur Apostolus, sic Ephesios instruens: Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius & plenitudo eius qui omnia in omnibus adimplet. Vides hîc, Paulo Christum omnis, id est, vniuersalis Ecclesiæ caput dici, neque excipi malos. Ephes. 1.

Ecclesiæ etymon.

Neque patitur Ecclesiæ ἐτυμολογία, vt malos excipias, nam ἐκκλησία Græcè, Latinis congregationem sonat aut collectionem, certè bonorum & malorum promiscuam.

Neque

Neque sunt mali Christiani omnino à regno Christi excludendi; quia licet non regnet in eis per gratiam, potentia tamen omnium dominatur, longanimitate expectat, quos perdere poterat. Expectat autem, vt eorum misereatur; vt Isaias de Israële dicebat. Interim tamen dum peccatores sunt, non desinit in eis fidem, ne in errores incidant, præseruare, inspirat bonas cogitationes, immittit bonas affectiones, quibus interdum eos ad resipiscentiam perurget.

Isai. 30.

Iam quemadmodum humani corporis membra quantumlibet stupida vel arida sint, si vlla reliqua sit salutis spes, non præciduntur, sed vt saluentur, in corpore relinquuntur; ita Deus Opt. Max. eos, qui in peccatis versantur, tametsi eum factis negent, corde verò credant de eo omnia, quæ aut fecit aut pertulit pro eis, à corpore suo non præscindit, sed annuit, vt in corpore suo manentes, opera & solicitudine sanorũ membrorum, medicentur atq; sanentur: Ipse est enim, qui hominem multis plagis saucium, duxit in stabulum, id est, Ecclesiam, vbi & stabularium conuenit, vti malè affecti hominis curam ageret.

Tit. 1.

Christum significat Samaritanus; sauciu spec catorem.

Neque possunt aduersarij hoc iure reprehendere, quòd in Ecclesia sint boni & mali: Nam ipsimet confitentur, multos malos in hac vita bonis esse admixtos, qui habent externorum societatem signorum cum his, qui membra sunt Ecclesiæ. Sic & ipse Christus ait: Si quis in me nõ manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet; & colligent eũ & in ignem mittent & ardet.

Luc. 10.

Ioan. 15.

Non

Non dicit: Qui mortali crimine obnoxius, in me non manet per dilectionem, re ipsa iam extra Ecclesiam est, sed mittetur foras, quando Angeli ad hanc functionem delecti, separabunt malos de medio iustorum & mittent eos in caminum ignis, hoc est, in morte vniuscuiusque illorum & in extremo iudicio. Neque dixit: Aridus est, quia manet in eo viror Diuinæ cognitionis & fidei informis, qua iterum gratiam quærere potest: Nam signanter dixit: Arescet, futuro tempore, quod sit in morte, qua omnis decor intercipitur omnisque viror, adeò vt nulla reliqua sit spes recuperandæ sanitatis: Mortuo enim homine impio, quod ait in Prouerbijs Salomon, nulla erit vltra spes. Matth. 13. Prouer. 11.

OBIECTIO NOVATORVM XXVII.

Si mali essent in Ecclesia, hoc esset ratione fidei. Sed fidem non habent mali, eò quòd fides habet indiuiduam copulã cum Gratia; aliàs de ea non diceretur tã crebrò in Scriptura, quòd fides saluet hominem atque iustificet, cùm sine Gratia non sit salus homini, neque iustificatio, dicente Apostolo: Gratia Dei vita æterna. Ergo fides & Gratia sic sunt copulata, vt vbi vnum sit, et alterũ sit necesse est: Ergo mali non sunt de Ecclesia. Malos non esse in Ecclesia, quia fide careant, obiicitur. Rom. 6. Fides & Gratia diuersa sunt.

RESPONSIO CATHOLICA.

Falsum est, fidem habere copulam indiuiduam cum Gratia, quia Apostolus apertè distinguit inter fidem & Gratiam, inquiens: Et si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero &c. Hanc autem charitatẽ, infusam esse Gratiam, 1. Cor. 13.

1. Cor. 15. *per eundem patet, dicentem: Gratia Dei sum, id quod*
sum; sine qua si quis se aliquid esse putat, seipsum deci-
Galat. 6. *pit: Sic etiam dicitur* χάρις *Græcè, quod est Gratia*
Latinè. Et Apostolus iterùm distinguit fidem à chari-
Galat. 5. *tate: Fides, inquit, quæ per dilectionem operatur; quasi*
diceret, fidem sine charitate, id est, Gratia operante, ni-
hil facere ad meritum gloriæ. Aliàs sufficisset dicere;
Iacob. 2. *sed fides quæ operatur. Habent etiam Dæmones fidem,*
Ieremiæ 1. *sed non Gratiam. Habuerunt Ieremias & Ioannes*
Luc. 1. *Baptista Gratiam sanctificationis in vtero materno,*
sed non actualem fidem: Ergò fides & Gratia distin-
guuntur realiter, & non habent indiuidam copu-
lam &c.

Fides enim, quantum est ex parte nominis tantùm,
quo dicit cognitionem adhæsiuam, est res mortua, re-
spectu operum gloriæ meritorioum; sicut corpus homi-
nis sine anima, & carbo sine igne. Sed fides cum Gra-
tia, per quam viuit, operatur opera gloriæ meritoria,
quemadmodum corpus hominis per animam operatur,
& pruna per ignem; ratione cuius, opera fidei, quæ sa-
lutem operantur, potiùs gratiæ sunt tribuenda. Et sic
multi loci Scripturæ intelliguntur de fide,
quomodo operetur salutem.

CAPVT

CAPVT X.

OBIECTIONES ADVERSARIORVM contra Catholicam Ecclesiam & fidem, earumq; solutiones.

OBIECTIO ADVERSARIORVM I.

TEmpore, quo Apostoli condiderunt Symbolum, neq; fides nec Ecclesia erat per totũ orbem diffusa: Ergo sequitur, quòd Ecclesia Christi non est dicta Catholica illa ratione, quia scilicet per orbẽ totũ extẽsa est. Consequentia patet: Antecedens etiã ostẽditur ex eo, quòd, antequam per orbẽ ad prædicandum Apostoli diffunderentur, Symbolum condiderunt, in quo tunc iam affirmauerant, Ecclesiam esse Catholicam.

Ecclesiã nõ dici Catholicam, id est, toto orbe diffusam.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ad hanc obiectionem rẽspondetur dupliciter. Primò, quòd etiam illo ipso tempore, quo Apostoli Symbolum condiderunt, Ecclesia Catholica erat, & sic iustè nominabatur, quia fides eius Catholica, siue vniuersalis erat vniuersalitate veritatis; quia quicquid in sacra Scriptura docetur credendum, omnino & vniuersaliter sine aliqua instantia verum est: Nam, vt ait Augustinus: Si ad Scripturas sanctas admissa fuerint vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit autoritatis? Quæ tandem de scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere contentiosæ falsitatis obteretur improbitas?

Ecclesia initio Christianitatis fuit Catholica.

Augustinus in Epistola ad Hieron.

Secundò rẽspondetur, quòd & fides Catholica, & per consequens Ecclesia, tempore, quo Apostoli Eccle-

Ecclesia primitiua diffundēda habetur pro diffusa.

siam professi sunt Catholicam, non fuerit diffusa actu per totum orbem, erat tamen in proximo diffundenda, secundùm illud Psalmi: Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum; vbi Glossa, quæ ex Augustino sumitur, ita habet: Ostendit, quæ sit amplitudo regni, sic latum est, quòd dominabitur à mari, id est, à quolibet fine terræ vsque ad mare, id est, vsq; ad quemlibet finem terræ diffundetur, tam latè dilatabitur Ecclesia & à flumine Iordanis dominabitur, vbi vox Patris intonuit super Christum: Hic est filius meus dilectus. Inde ergo doctrina eius incepit, inde autoritas magisterij dilatatur vsq; ad terminos orbis terræ, prædicato Euangelio regni Christi, inde regula Baptismi per totum mundum emanauit. Hæc Glossa.

Psal. 71.

Matt. 3. 17.

OBIECTIO ADVERSARIORVM II.

Synagoga obiicitur Ecclesiæ Catholicæ.

Vna & eadem est Ecclesia, quæ fuit apud Patres veteris testamenti, & quæ apud nos est in nouo testamento: Sed Ecclesia antiquo tempore veteris testamenti non dicebatur Catholica, cùm in sola Iudæa notus esset Deus. Ergo videtur, quòd etiam nunc, tempore Gratiæ, Ecclesia nō venit Catholica nominanda.

Psal. 75.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ecclesia quomodo semper, & nō semper fuerit Catholica.

Negatur Minor vniuersaliter: Quoniam Ecclesia semper fuit Catholica vniuersalitate puritatis et veritatis ipsius fidei. Loquēdo autem de vniuersalitate dilatationis per orbem, Minor conceditur, & negatur Consequentia: Licet enim vna & eadem Ecclesia sit, & fuerit semper apud veteres Patres, quæ apud nos, nihilo-

nihilominùs per successionem temporum aliqua sunt in Ecclesia instituta, & ampliora Gratiarũ dona Ecclesiæ donata sunt, in quibus magna est differẽtia in Ecclesia, quo ad statum testamenti veteris, & quo ad statum plenitudinis Gratiæ, sicut in notitia vnius Dei patet, quæ quasi tantũ erat pro illo tempore in populo Iudæorum. Iuxta illud, quod inductũ est ex Psalmo: Notus Psal. 75.
in Iudæa Deus: Nunc verò per totum orbem claret. Vnde Hieronymus in Glossa super prædictũ Psalmũ, ita ait: Antequàm illuminaret crux mundum, antequàm videretur Dominꝰ in terra, notus erat in Iudæa Deus, & in Israël magnũ nomen eius: Quando autem Psal. 18.
venit Saluator, in omnem terram exiuit sonus eius, et Rom. 10.
in fines orbis terræ verba eius. Hæc Hieronymus. Vnde secundùm hanc vniuersalitatis rationẽ, Ecclesia à tempore Gratiæ, incepit esse Catholica. Vnde Ambro- Amb. super
sius tractans illud Psalmi. Annuntiaui iustitiã tuam Psal. 39.
in Ecclesia magna, dicit. Quid est, quòd addit magna, nisi quia fuit antè non magna? Quæ est magna, nisi de totius orbis terrarum partibus congregata?

OBIECTIO ADVERSARIORVM III.

Ecclesia Romana dicitur Vniuersalis, licet non sit per orbem diffusa. Ergo videtur, quod Ecclesia nõ sit dicenda Catholica ea ratione, quòd per totum mundũ extensa sit & omnium Gentium societate constituta. Ecclesiã nõ dici Catholicam, quia diffusa sit p mundum.

RESPONSIO CATHOLICA.

Respondetur iuxta Innocentiũ in epistola quadam, quòd Ecclesia dicitur vniuersalis dupliciter. Vno modo, quia de vniuersis constat Ecclesiis. Quo in sensu D. Ecclesia Romana quo in sensu non sit vniuersalis.

Cyp. in tra. de simplic. Prælat. siue de vnitate Eccleſiæ.

Cyprianus voce Eccleſiæ vtitur, ſcribẽs. Alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt, non poteſt Deum habere Patrem, qui vniuerſalis Eccleſiæ non tenet vnitatem. Secundùm quam acceptionem vocabuli Vniuerſalitatis Eccleſia Romana non eſt Vniuerſalis, ſed pars Vniuerſalis Eccleſiæ, prima videlicet & præcipua, velut caput in corpore, ſicut habetur in capite Quamuis, diſt. 21. vbi habetur: Quamuis vniuerſæ per orbẽ Catholicæ Eccleſiæ vnus thalamus Chriſti ſit; tamen ſancta Romana Eccleſia Catholica & Apoſtolica cæteris Eccleſiis prælata eſt.

Eccleſia Romana, quo in ſenſu dicatur Vniuerſalis.

Alio modo dicitur Vniuerſalis Eccleſia, quæ ſub ſe continet Eccleſias vniuerſas: Et hoc modo Eccleſia Romana dicitur Eccleſia Vniuerſalis; quoniam ipſa ſola cæteris prælata eſt, vt in prædicto capite, Quamuis; & in capite Omnes; & in C. Sacroſancta, diſt. 22. Dicitur etiam Eccleſia Romana maximè Catholica, quia in ea, extra maculam, ſemper eſt obſeruata religio Chriſtiana, vt in C. in ſede Apoſtolica 24. q. 1. & quæ per Dei Omnipotẽtis Gratiam, à tramite Apoſtolicæ traditionis nũquam erraſſe probatur, neq; Hæreticis nouitatibus deprauanda ſuccubuit, vt in ca. àrecta, eiſdem cauſſa, & q.

OBIECTIO ADVERSARIORVM IIII.

Eccleſiã nõ rectè dici Catholicã.

Omnes Eccleſiæ particulares per orbem diſperſæ Catholicæ appellantur, vt in C. Quamuis, diſt. 21. Ergo hoc non videtur eſſe proprium Vniuerſali Eccleſiæ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Eccleſiæ particulares dicuntur Catholicæ, non ra-

tione

tione diffusionis aut extensionis per orbem, sed ratione fidei Catholicæ, quæ communis est omnibus Christi Ecclesiis per orbem dispersis. In eo ergo sensu dicitur Ecclesia Catholica, sicut homo Catholicus qui scilicet fidem eam tenet, quam tota Ecclesia per orbẽ obseruat.

Ecclesiæ particulares quomodo dicantur Catholicæ.

OBIECTIO ADVERSARIORVM V.

Si Ecclesia esset dicenda Catholica, id est, Vniuersalis, videretur, quòd Pastor eius & Rector scilicet Romanus Pontifex dicendus veniret Vniuersalis: Sed hoc prohibetur, vt in Ca. nullus. Et Ca. Ecce, dist. 99. expressè habetur. Ergo nec Ecclesia est dicenda Catholica.

Papa non dicitur Vniuersalis: Ergo nec Ecclesia.

RESPONSIO CATHOLICA.

Papa veraciter est Vniuersalis Papa, & Rector Vniuersalis Ecclesiæ, vti in materia de Primatu Põtificis, si Dominus vitam & gratiam concesserit, clarè demõstrabimus. Multi etiam sancti Patres Romanos Pontifices Vniuersales nominârunt, et scripserũt. Vnde etiam tota Synodus Chalcedonensis dicitur acclamasse Leoni Papæ: Sanctissimus, Apostolicus, & Occumenic°, id est, Vniuersalis Patriarcha, per multos annos viuat. Prohibetur tamen vocari Vniuersalis, tum propter humilitatem, tum quia nõ præficitur cuilibet particulari Ecclesiæ, vt proprius, et specialis illius Ecclesiæ Rector: Sic enim cessarent omnium aliorum Pontificum potestates. Ista est sententia beati Thomæ in tractatu contra impugnantes religionem.

Romanus Põtifex Vniuersalis.

Ecclesia vniuersalis.

Ex his, quæ dicta sunt de vniuersalitate Ecclesiæ, elidit[ur] error Hæreticorum, qui in vno angulo terræ aut apud aliquam regionem aut gentem coarctantur, sicut fuit error Donati, qui apud solam Africam Christi Ecclesiam esse dicebat. Contra quẽ & sequaces suos Augustinus ita loquitur: Christum tales maledicum, qui dicunt: Periit Ecclesia de toto orbe terrarum, & remansit in sola Africa; quantam autem faciant iniuriã videre fratres, Scriptura dicit: In lata gente dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis.

Aug. super Psal. 8.

Prou. 14.

OBIECTIO ADVERSARIORVM VI.

Fidem non debere dici vniuersalẽ.

Cognitio debet cognoscibili siue obiecto suo esse proportionata: Non enim quodlibet quomodolibet cognoscitur: Sed fides est cognitio Dei, quæ non est vniuersalis neq; particularis, vt dicit Augustinus in libro de Trinitate. Ergo fides, quæ Dei cognitio est, non est dicenda vniuersalis.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quamuis Deus in se non sit Vniuersalis nec particularis; est tamen Vniuersalis omnium rerum causa & finis: Et sic cognitio, quæ de ipso habetur ad omnia quodammodo vniuersalis est.

OBIECTIO ADVERSARIORVM VII.

Fidem Christi non dicendam Catholicam.

De singularibus non potest esse nisi singularis cognitio; vnde singulariũ non est scientia: Sed fide quædam singularia facta tenemus, vt Natiuitatẽ Christi, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, Aduentum ad Iudicium, & huiusmodi: Ergo fides non debet dici Vniuersalis, & per consequens nec Catholica.

RESPON-

RESPONSIO CATHOLICA.

Ratio non militat: Quia illa particularia facta, puta, Natiuitatem, Passionem, Resurrectionem Christi &c. tenet fides vt Vniuersalia remedia ad totum genus humanum liberandum. Iuxta illud: Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus: Nullum excipit, qui vellet saluari. 1. Timot. 2.

OBIECTIO ADVERSARIORVM VIII.

Ab eo, quod est commune multis, non debet proprium nomen alicui rerum imponi; cùm nomen caussa innotescendæ rei imponatur. Sed quælibet traditio, vel Secta proponit, ea quæ tradit, vt vniuersaliter ab omnibus credenda vel obseruanda, vt vniuersaliter vera. Ergo non debet fides Christiana specialiter hoc sibi vendicare, vt Catholica siue Vniuersalis nominetur. Fidē Christi non dicendā Vniuersalem.

RESPONSIO CATHOLICA.

Aliæ Sectæ licet proponant & nitantur ea quæ tradunt, vt ab omnibus vniuersaliter obseruentur; hoc tamen eis non conuenit, & si hoc sibi vendicare præsumant, quod est proprium fidei Christianæ, nihilominus ad hoc pertingere nunquam possunt: Vnde etiam eis nunquam Vniuersalitatis conuenit nomen. Hæreticis nomen Catholicorum nunquam conuenit.

OBIECTIO ADVERSARIORVM IX.

Idololatria ad omnes mundi angulos peruenit. Sed fides Christiana non inuenitur ad omnes mundi fines Idololatria an possit dici Catholica.

peruenisse; cum aliqui Barbari sint, qui fidem Christi non cognoscant. Ergo idololatria magis debet dici Catholica, quàm Christiana fides.

RESPONSIO CATHOLICA.

Idololatria quare non possit dici Catholica.

Idololatria licet ad omnes partes orbis pertigerit, non tamen erat vna religio, sed apud diuersos diuersa, cùm diuersi diuersos sibi Deos colendos instituerint; nec iterum ab omnibus est recepta, cùm à veri Dei cultoribus fuerit reprobata, & etiam à sapientibus Gentilium, qui dicebant, huiusmodi ceremonias esse obseruandas tanquam legibus iussas, non tanquam Diis placitas; vt de Seneca dicit Augustinus.

Augustin. in 6. lib. de ciuit. Dei.

OBIECTIO ADVERSARIORVM X.

Fidē Christi non ab omnib⁹ recipi. Ergo nec rectè vniuersalem dici, obiicitur. Rom. 10. Esa. 53.

Quod non conuenit omnibus, non debet dici vniuersale: Sed fides Christiana à multis non recipitur, dicente Apostolo: Non omnes obediunt Euangelio. Esaias etiam dicit: Domine quis credidit auditui nostro? Glossa inquit, aliquis, sed non omnes: Ergo inconuenienter fides Christiana Catholica, siue vniuersalis nominatur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Fides Christiana nō dicitur, Catholica vel vniuersalis propter singula generū, sed propter genera singulorum; quia ex omni conditione hominum ei aliqui adhærent, secundùm vaticinium Prophetæ dicentis: Psal. 21. *Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ Gentium.*

OBIE-

OBIECTIO NOVATORVM XI.

Si nomen ipsum tam Ecclesiæ, quàm Catholicæ consideraueris, non est eruditis ignotum, quod latissimè pateat. Psalmus meminit Ecclesiæ, hoc est, congregationis malignantium, & odit eam. In Actis Apostolicis, Scriba vocat cætum suorum Ethnicorum Ecclesiam. Catholicum autem significat vniuersale: Et quia in cætu humani generis, iam inde à condito orbe, nihil est magis Catholicum, nihil vniuersalius & generalius, quàm peccare Hypocrisi, & Idolomaniæ studere, rapere, furari, occidere, inuidere, adulterium committere, impostoris operam dare, & alia scelera designare; idcirco si quis hypocrita, aut idololatra, aut raptor, aut homicida, aut adulter, aut impostor, se in impietate & scelere suo sectari Ecclesiam Catholicam profiteretur, scelerate quidem faceret, non autem falsò loqueretur. Quòd si hoc significato Papistæ iactauerint, se esse membra Ecclesiæ Catholicæ, etsi de sorte eorum dolemus; tamen nemo hominum, credo, impediet, quò minùs sic Catholici vocentur.

Psal. 25.

Actor. 19.

Varietas & multitudo peccantiũ obiicitur cõtra Catholicam Ecclesiam.

RESPONSIO CATHOLICA.

Vtrunq; tam Ecclesiæ, quàm Catholicæ nomen, latissimè patere dubium non est: Quam enim Ecclesiam Græci vocant, Latinè dicere possis euocatam concionem, ex quibuscunque tandem ea sit euocata, siue ex Ethnicis, siue ex Christianis, siue ex piis, siue ex impiis. Sed & Catholica Græcè dicitur, quæ Latinè vniuersalis, hoc est, sicut Augustinus interpretatur, toto orbe

Quid Ecclesia & cur Catholica dicta.

Augu. serm. 131. & ser. 181. de tempore.

to orbe diffusa: Quia diuersorum, inquit, Hæreticorũ Ecclesiæ ideo Catholicæ non dicuntur: quia per loca atq; per suas quasq; prouincias continentur; hæc veri à Solis ortu vsq; ad occasum fidei splendore diffunditur. Dicimus autem, Catholica Fides, Catholica Ecclesia, Catholicus homo. Cæterùm, Catholicus adulter, Catholicus impostor, Catholicus homicida, non dixit quisquam Catholicus. Hæretici sunt, qui ita loquuntur, quos nos cuperemus quidem fidem habere Catholicam, vt ad Ecclesiam Catholicam pertinerent, & Catholici dici possent: Sed si non volunt quicquam habere cum Catholicis commune, præter quorundam in Ecclesia Catholica crimina, qui sumus nos, qui, qui minùs, nouæ doctrinæ assertores, nouo loquendi genere à se excogitato, sint Catholici, impedire queamus?

Catholicus nebulo nemo dicit.

OBIECTIO NOVATORVM XII.

Quibus temporibus Arrius summa Christianissimi calamitas, cœpit virus suum in veram Ecclesiam Domini euomere, obtinuit vsus, & publicæ leges postea confirmârunt, vt Catholici dicerentur, qui Vniuersalem doctrinam Prophetarum & Apostolorum de vera & æterna Diuinitate Christi filij Dei sequebatur: Hæretici verò, qui Arrianam impietatem, aut aliam doctrinam, pugnantem cum Prophetica & Apostolica, profitebantur. Itaq; si hoc vsu de Catholica Ecclesia loquendum est, nihil minùs, quàm Catholici cognomen in Papistas competit: Etsi enim videntur sibi egregiè de æterna Diuinitate Christi sentire; tamen quas

Catholici cognomen Papistis nõ competere obiicitur.

quia transferunt officium, quod solus habet Christus, verus Deus & homo, in humana opera, idcirco aut habent Ethnicas de Diuinitate cogitationes, aut aliud verbis profitentur, aliud in latebris cordis sentiunt; & sequuntur multas alias impietates, quæ manifestè cum vera doctrina Prophetarum & Apostolorum pugnant.

RESPONSIO CATHOLICA.

Falsissimum est, quòd nos Catholici transferamus officium, quod solus habet Christus, in humana opera. quicquid est propitiationis, Christo tribuimus, qui factus est propitiatio pro peccatis nostris, illud subinde Psalmi vsurpantes: Apud te propitiatio est. Et ab eodem Dauide docti sic Deum alloquentes: Domine misericordia tua in æternum, opera manuum tuarum ne despicias. Quæ verba sic intelligimus, quemadmodum ea celebris Ecclesiæ Doctor Augustinus est interpretatus, quo cum iis verbis Deum deprecans quisq; nostrûm vtitur. Non dico: Domine ne despicias opera manuum mearum: Non me iacto de operibus meis. Exquisiui quidem Dominum manibus meis nocte coram eo, & non sum deceptus; sed tamen non commendo opera manuum mearum: Timeo, ne cùm inspexeris, inuenias plura peccata, quàm merita. Hoc solùm rogo; hoc dico; hoc impetrare desidero; opera manuum tuarum ne despicias. Opus tuũ in me vide, non meum: Nam meum si videris, damnas; tuum si videris, coronas; quia & quæcunq; sunt bona opera mea, abs te mihi

Catholici non transferunt officium Christi in humana opera. 1. Ioan. 2. Psal. 129. Psal. 137.

Aug. super Psal. 137.

mihi sunt, & ideo tua magis, quàm mea sunt. Num ita dicentes, aliquid operibus tribuimus, quod solius est Christi?

Summa doctrinæ Catholicæ de operibus.

Nostra de operibus doctrina, Nouator, hæc est, quòd quatenus nostra sunt, quamlibet esse bona videantur, nihil nobis tamen prosunt; quatenùs autem Dei sunt, quatenùs opera sunt manuũ illius, ex ipsius beneficentia singulari; & iustitiæ titulo, & mercede regni cœlestis digna habentur. Dei autem sunt, & quòd ea Deus operatur in nobis, & quòd, quicquid est in eis dignitatis, non est aliunde, quàm ex eo, quòd sunt respersa precioso Christi sanguine, cui debemus, quòd ea facientes, regni cœlestis præmia consequimur. Nam absque eo si esset, quicquid per omne vitæ nostræ tempus & faceremus & pateremur, ne minimũ quidem nobis prodesset ad gaudia regni cœlestis assequenda. Quare sicut ab Alberto Magno scriptum est: Iustitia meritorum Christi fulget in virtutibus Sanctorum. Tolle iustitiã hanc ex eorum virtutibus, damnari poterunt, seruari non poterunt: Remota enim illa, omnis iustitia nostra mera erit iniustitia: Nullũ enim à Sanctis exire potest opus, quod in se censeatur, confusionem iustam non mereatur.

Alb. Magn. ar. 3. quæst. 2. in 29. dist. Petri Lom. libr. 2.

Merces regni cœlestis quare & quomodo tribuatur operibus nostris.

Docemus igitur nos, quod in Scripturis legimus, datam iri mercedem regni cœlestis operibus nostris, verùm non propter eorum, quatenùs à nobis proficiscuntur, dignitatem, sed propter Christum, cuius manuum opera sunt: Ipse est enim, qui viuens & habi-

tans in

tans in nobis operaturea; propter Christum, ad quem operantes respicimus; propter Christum, qui dixit: Merces vestra copiosa est in cœlis; propter Christum, de quo seculis iam aliquot cantatum fuit apud vos vernacula lingua, quòd nisi natus puer ille fuisset, omnes eramus perituri: Nam nisi factus homo lauisset nos à peccatis nostris in sanguine suo, nisi dedisset semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, quid aliud essent vniuersæ iustitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ? Quæso te, quid est in hac doctrina nostra, quod arrodere queas? Num ita dicentes transferimus in opera humana, quæ solius Christi sunt? Certè quicquid in illis dignitatis esse dicimus, id omne non in alium, quàm in Christum transferimus.

Matth. 5.

Apocal. 1. Tit. 2.

Esa. 64.

Sic autem doctissimus, non à priscis tantùm illis Patribus, verùm etiam ab iis, quos vos contemnitis, sanctis Monachis & Doctoribus, Thoma, Alberto, Bonauentura, Scoto, Guilhelmo Parisiensi, Guilhelmo Durando, Gabriele Biel, Gersone, Dionysio Carthusiano, qui floruerunt illis temporibus, quibus vos Euangelij lucem extinctam fuisse vultis.

Falsò itaque nos insimulatis, quòd transferamus officium, quod solus habet Christus, in opera humana. Quin vos estis potiùs, qui Christi gloriæ detrahitis, qui crucem eius, quantum in vobis est, euacuatis, qui sanguinis eius pretium imminuitis: Cui namque detra-

Qui Christi cruci, meritis & gloriæ propriè detrahant.

detrahitis, quando regeneratorum operibus detrahitis? Cui nisi Christo, qui viuit, qui habitat, qui operatur in illis? Cuius nisi Christi meritis & dignitati detrahitis, cùm operum, quæ fiunt ab illis, meritis detrahitis? Vnde enim meritum operum nostrorum? Vnde dignitas eorum? Non aliunde, nisi ex pretio sanguinis Christi, quo respersa sunt. Illius itaq; dignitati derogatis, quando nostrorum operum in fide factorum dignitati derogatis. Tolle pretium hoc ex operibus nostris, non erit in illis meritum, nisi fortè Gehennæ.

Habes, quæ sit nostra de operibus sententia, simul & illud ex iis intelligis, impudens esse mendacium tuum, quòd scribis, habere nos Ethnicas de Diuinitate cogitationes, & aliud verbis profiteri, aliud in latebris cordis sentire. Vestrum fuit hoc semper, et est Hæreticorum proprium. Nos, quod corde credimus, ore confitemur. Est & illud falsissimum, quod scribis, sequi nos multas impietates: Nullam enim proferre potes. Ex iis itaq; falsis præmissis tuis, falsam esse constat Conclusionem illam tuam; videlicet Catholicis Ecclesiæ Catholicæ nomen ac titulum non competere.

OBIECTIO NOVATORVM XIII.

Euãgelicos profiteri in Symbolo Ecclesiam Catholicã obiicitur.

Papistæ faciunt iniuriam Euangelicis, cùm eos alienos esse ab Ecclesia Catholica asserunt: Credunt enim ipsi ac in Symbolo Apostolico profitentur, æque ac Papistæ, sanctam Ecclesiam Catholicam.

RESPONSIO CATHOLICA.

Apostoli Domini nostri Iesu Christi fidei præcipuos articulos

articulos in quandam summam redigentes, Symbolum, in quo conuenirent, & quo à non credentibus discernerentur, vniuersali Ecclesiæ tradiderunt, atque in illo hunc articulum: Sanctam Ecclesiam Catholicam: Et meritò quidem: Nam si omnes sub Christi militantes nomine, huius articuli rectam fidem habuissent, nec hæreses, nec schismata in Christi Ecclesia fuissent, cùm illa, vt Paulus ait, columna & firmamentum veritatis sit. Quare Hæretici, item Schismatici, se credere sanctam Ecclesiam, falsò affirmant: Si enim huius articuli germanus sensus perpendatur, tantum abest, vt illi credant Sanctam Ecclesiam Catholicam, vt potiùs corde, ore & factis illam negantes, hostiliter persequantur. Hoc quidem in præsenti seculo à Sectarijs facilitari experimur: Omnes enim se credere verã Dei Ecclesiam aiunt, quod Augustana Confessio clarè manifestat, dum inquit: Item docent (scilicet Confessionistæ) quòd Vna, Sancta Ecclesia perpetuò mansura sit. Caluinus quoq; ait: Ecclesia primo loco nobis credẽda proponitur. Et infrà: Statuendum tamen est, nullum fuisse in orbe terrarum tempus, quo Ecclesiam suam Dominus non habuerit, nullum etiam fore ad consummationẽ vsq; seculi, quo non sit habiturus &c. Denique isti omnes sicut Donatistæ se Ecclesiam Dei credere, ac eam non oppugnare, asserunt. Quod Augustinus de illis loquens, expressè exponit, dum ait: Confessi sunt enim contra Ecclesiam Catholicam, quæ toto terrarum orbe diffunditur, nihil se habere, quod

Tit. 3.

Hæretici nõ verè credũt Ecclesiam Catholicã.

Augustana Confessio artic. 7.

Caluinus cap. 8. P. 1.

Augustinus epist. 152.

dicerent, quia Diuinis sanctarum scripturarum testimoniis oppressi sunt, quibus Ecclesia designatur. Cum Donatistis in hoc articulo consentit Caluinus, cùm ait: *Vixit sanè Christi Ecclesia, & viuet, quamdiu Christus regnabit. Et infra: Aduersùs eam nulla nunc nobis pugna est, &c.*

Caluinus in præfat.

Sed Sectarij & Schismatici non aliter circa Ecclesiam, quæ est Christi corpus, quàm Iudæi circa Ecclesiæ caput, videlicet Christum, aberrant: Quia Iudæi beatæ Mariæ Virginis filium crucifixum sub Pontio Pilato, esse verum Christum negant, atque eam persequendo arbitrabantur se obsequium præstare Deo. Sectarij verò Ecclesiam, quæ à Christi Redemptoris nostri ad cœlos ascensione, per Episcoporum legitimam successionem, vsq; ad præsens seculum perseuerauit, & vsque in diem iudicij durabit, veram Dei Ecclesiam esse non credunt. Vnde persequentes eam, existimant se Deum colere. De vtrisq; tamen proculdubio cum Paulo dicere possumus: Æmulationem quidem Dei habent, sed non secundùm scientiam: Isti enim duo fidei articuli: Credo in Iesum Christum filium Dei, & : Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, non indefinitè, sed definitè in Diuina scriptura, & in Apostolorum Symbolo traduntur. Vnde post Apostolorum prædicationẽ non sufficit, credere in Christum Redemptorem indefinitè, sed necesse est, credere in Christum, quem Euangelium & Apostolorum prædicatio definitè exponit.

Ephes. 1.

Ioan. 16.

Roman. 1.

Neq

Neq; etiam est satis, credere Ecclesiam indefinitè; sed necesse est credere, quòd Ecclesia, quam Lutherus in terrarum orbe inuenit, definitè est Dei Ecclesia, quam Christus fundauit, quam etiam Apostoli & eorum successores, vsq; ad præsens seculum, docuerunt. Quam si Sectarij credidissent, non contra doctrinam Euangelicam varias Ecclesias constituissent: Quia quemadmodum vni capiti, varia corpora habere, repugnant; ita vni & vero Christo, qui est Ecclesiæ caput, non varias, sed vnam & definitam Ecclesiã, quæ est corpus eius, constituamus oportet.

Quomodo oporteat credere Ecclesiam.

Augustinus certè istam exponens sententiã: Quis autem, inquit, possit singulas quasi hæreses enumerare Gentium singularium? Si autem Christi Ecclesia Canonicarum scripturarum Diuinis & certissimis testimonijs in omnibus Gentibus designata est, quicquid attulerint, & vndecunq; recitauerint, qui dicunt: Ecce hîc Christus, ecce illic; audiamus potiùs, si oues eius sumus, vocem Pastoris nostri dicentis: Nolite credere: Illæ quippe singulæ in multis Gentibus, vbi ista est, non inueniuntur. Hæc autem, quæ vbiq; est, etiam vbi illæ sunt, inuenitur. Et infra: Quicunque credunt quidem, quòd Christus Iesus, ita vt dictum est, in carne venerit, & in eadem carne, in qua natus & passus est, resurrexerit, & ipse sit filius Dei, Deus apud Deum, & cum Patre vnum, & vnum incommutabile Verbum Patris, per quod sunt facta omnia; sed tamen ab eius corpore, quod est Ecclesia, ita dissen-

Aug. de Ecclesiæ vnitate. cap. 3.

Matth. 24.

tiunt, vt eorum communio non sit cum toto quacunq; diffunditur, sed in aliqua parte separata inueniatur, manifestum est, eos non esse in Catholica Ecclesia. Atque nostri seculi Sectariis quàm verissimè hæc Augustini sententia conueniat, piis viris æstimandum relinquo: Nam Sacramentaria, Confessionista, etiam Anabaptista Ecclesia nec in Italia, nec in Hispania, vbi Catholica est Ecclesia, inueniuntur. Catholica verò Ecclesia, in ipsa Germania, vbi Sectæ illæ omnes miserandum in modum grassantur quoque, inuenitur; quia adhuc illic Deus plures Ecclesias, membra Catholicæ Ecclesiæ, sibi reliquit, quæ non sunt à Sectariis seductæ. Ecclesia igitur, quam Symbolum definitè credendam præponit, Vniuersalis est Ecclesia.

OBIECTIO NOVATORVM XIIII.

Veritas doctrinæ Lutheranę obiicitur contra Catholicam Ecclesiam.

Cùm Lutherani, Diuina clementia, eam teneant de Christo, & Diuinitate ac officio eius, ac de omnibus reliquis articulis veræ nostræ Religionis sententiam, quam tradit Prophetica & Apostolica doctrina, & quã tenuit semper vniuersa verè piorum Ecclesia, iam inde ab initio totius orbis, nomen Catholicæ Ecclesiæ Papistis quidem optimo iure adimitur, Lutheranis autem rectè vendicatur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quis autem Lutheranos Iudices constituit? Equidem orbis totius Christiani Iudices, quem ausi sunt etiam inauditum condemnare. Sed si vera est de articulis religionis sententia, quam tenuerunt Sancti Magni,

Magus, Marcion, Manichæus, Petrus Adelhardus, Ioannes Vuiclef, Quintiliani, Pauperes de Lugduno, Eunomius, Iouinianus, Eustachius, Vigilantius, Petrobrussiani, Aërij, Felix, Iconomachus, Berengarius, & qui cum istis alij faciebant, rectè vobis nomen Catholicæ vendicatis ô Lutherani: Hi sunt enim Patriarchæ vestri, de quorum successione gloriari verè potestis, cùm in eorum impios errores successeritis.

Anteceſſores & Patres Lutheranorum.

Sin autem ea potiùs est vera sententia, quam de religionis articulis tenuerunt Simon Petrus cum Apostolis, cum Clemente successoribusque suis omnibus in hunc vsque diem, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Epiphanius, Bernardus, & alij sancti Doctores Ecclesiæ: Longum enim esset omnes enumerando recensere, quos etiam vos pro Catholicis habetis; quandoquidem ab horũ doctrina discessistis, illorum autem errores apertè profitemini, dic iam ipse tu ô Lutherane, qui fuerunt illi, quorum vestigiis incedatis? Pudet te proloqui? At magis pudere debebat, quòd eorum errores amplexus es. Sed quando tu non vis, dicemus nos: Fuerunt orbis totius Christiani iudicio Hæretici. Et vos igitur, quando cum illorum doctrina consentitis, à Patrum verò nostrorum sententia dissidetis, quos tamen Catholicos fuisse negare non potestis, Hæretici estis, non Catholici, falsoq; vobis Catholicorum nomen arrogatis.

Catholicorum Anteceſſores & Patres.

OBIECTIO NOVATORVM XV.

Catholica Ecclesia renascitur, non ex sanguine &

carne, non ex humana electione aut succeßione, ſed ex Deo, per ſermonẽ Dei viuentis; iuxta illud Ioannis: Quotquot receperunt eum, dedit eis, vt liceret filios Dei fieri (videlicet) his, qui credidiſſent in nomen ipſius: Qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Item illud Matthæi: Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis. Petrus quoq; dicit: Renati non ex ſemine mortali, ſed ex immortali, per ſermonem Dei viuentis & manentis in æternum. Et additur: Hoc autem eſt verbum, quod per Euangelion delatum eſt ad vos.

Ioan. 1.

Matth. 16.

1. Petri. 1.

Electio & ſucceſsio ordinaria obiicitur contra Eccleſiã Catholicã.

Papiſtica autem Eccleſia fit ex humana electione & ſucceßione: Dicunt enim Papiſtæ, confugiendum eſſe ad ſucceßionem non interruptam. Et: Vbi eſt (inquiunt) hæc Eccleſia Apoſtolis ſuccedens, ibi eſt verum Dei verbum. Scilicet hoc volunt Papiſtæ, quòd vbicunq; poßit ſucceßio ab Apoſtolorum tempore in Eccleſia numerari, ibi ſit vera Eccleſia, & verum verbum Dei. Quaſi verò, ſucceſſores Apoſtolorum & auditorum ipſorum, non poßint eſſe impiiſſimi & ſceleratiſſimi nebulones. Quid igitur ad Eccleſiam Papiſticam, quæ filius Dei ſuæ Eccleſiæ Catholicæ promiſit, & præſtare ſolet?

RESPONSIO CATHOLICA.

Succeßionem ordinariam ſicut oppugnant omnes Hæretici, ſic aſſerunt diligenter omnes Catholici. Sed ego non video, Nouator, quomodo poßis Catholicorum

rum vobis nomen vendicare; quandoquidem dum successionem hanc oppugnas, in eorum, quos Catholicos fuisse negare non potes, doctrinam vos minimè successisse confiteris: Siquidem non quod ad vniuersa loca, ad vniuersa hominum genera, ad vniuersas nationes pertinet, id solum Catholicum dicimus, verùm etiam quod pertinet ad vniuersa tempora.

Catholicũ vniuersa loca & tempora complectitur.

Cùm autem de successione loquimur, non hoc dicimus, quod tu vis, simul vt fuerit demonstratum, aliquem in locum alicuius Apostoli aut eius successoris successisse, vt statim esse Catholicus existimetur. Successerunt aliquot in locum Athanasii, qui fuit citra controuersiam Episcopus Catholicus; locus eos non fecit Catholicos, quandoquidem à doctrina Athanasii dissenserunt. Quando igitur nos de successione gloriamur, de eo gloriamur, quòd in Episcoporum Catholicorum, quorum loca tenemus, doctrinam successerimus. Verbi gratia: Negatis vos inuocandos esse sanctos, asseueramus nos: Probamus, hanc doctrinam esse veram ex eo, quòd quibus successimus nos, idem hoc docuerunt, non à centum, non à ducentis annis, sed ab ipsis propemodum Apostolorum temporibus; non in hoc aut illo orbis terrarum loco, sed in omnibus, quàm latè patet Christianorum nomen. Hac nos ratione Catholicos nos esse demonstramus; quod quia vos facere non potestis, ideo successionem hanc oppugnatis.

Successio Catholicorũ quomodo sit intelligenda.

Quod autem dicis, Ecclesiam nostram ex humana

An Ecclesia cõstet ex humana electione & successione.

electione & successione constare, si credentes omnes in Christum accipis Ecclesiæ nomine, falsum est: Talis enim Ecclesia fit ex Dei vocatione, non ex humana aliqua electione. Sin autem Ecclesiam intelligis Præsules & Præsidentes Ecclesiæ, sicut illum locum apud Matthæum: Dic Ecclesiæ, Chrysostomus interpretatur & alij nonnulli, fatemur, quòd ex humana electione & successione, quæ fit per electionem, Catholica nostra constat & Apostolica Ecclesia. Quid autem hîc sit, quod te offendat, equidem non intelligo. Nisi fortè hoc apud nos quoque fieri vis, quod vos facere Propheta scripsit: Ipsi currebant, inquit, & ego non mittebam eos. Requiritur apud nos missio, requiritur vocatio siue electio: Sic enim nos docuit Apostolus, dicens: Ne quisquam honorem sibi sumat, sed qui vocatur à Deo; qui autem rectè eligitur, is à Deo vocatur. Sic vocatus est Mathias, quem, vt in Iudæ locum succederet, electum ab Apostolis esse legimus, quos homines fuisse non negabis. Num & hunc eiicies ex Ecclesia, quòd ex humana electione sit factus Apostolus?

Matth. 18.

Electio & vocatio quomodo requiratur apud Catholicos.

Hier. 23.

Hebr. 5.

Actor. 1.

Electioni Catholicorum adest Spiritus sanctus.

Sed huic electioni præstò adfuit, inquies, Spiritus sanctus. Quanquam autem nos ab Apostolorum sanctitate quàm longissimè remotos esse confitemur, nec cum hac Apostolica nostras electiones comparamus; tamen & à nostra electione non abesse Spiritum sanctum confidimus.

Sed ele-

Sed electione vestra fit, ais, vt in Apostolorum locum succedat impius aliquis & sceleratus. Atqui, si quos ipse Christus duodecim tantùm elegit, fuit vnus ex eis Diabolus: Si quos minore etiam numero septem tantùm Diaconos elegerunt Apostoli, fuit ex illis quoque similiter vnus Diabolus; qui præstari potest ab iis, qui puri homines, quiq; tam longè sunt ab Apostolorum dignitate disiuncti, quò minùs inter eos, quos tanto numero eligunt, sint etiam aliquot Diaboli? Homines quidem eligunt homines ad munus Apostolicum, ad quod electus à Christo fuit Iudas, ad salutem verò non eligit, nisi solus Deus, qui non de omnibus loquitur: Ego scio, quos elegerim. Optimè igitur et salubriter Gregorius cùm dixisset, quoniam vocati sumus, nouimus; si sumus electi, nescimus. Tantò igitur, inquit, necesse est, vt vnusquisque nostrûm in humilitate se deprimat, quantò si sit electus, ignorat; quia etsi iam nouit hodie qualis sit, adhuc cras, quid futurus sit, nescit. Quia ergo nulli de se certum est, electum se esse, restat, vt omnes trepident, omnes de sua actione formident, omnes in sola Diuina misericordia gaudeant.

Catholici quomodo nonnunquam malos eligãt.

Ioan. 6.

Actu. 6.

Alia hominũ. alia Dei electio.

Ioan. 13.

Greg. hom. 38. in Euangel.

Eligunt igitur homines ad ministerium tantùm, quos eo dignos iudicant: Eligit Deus non tantùm ad ministerium, verùm etiam ad cœlestis regni consortium, quos ipse dignos iudicat. Ad ministerium electos videmus, & noscimus: Ad regni consortium electos, solus Deus nouit. Quamlibet autem sit indignus, qui

Etiam mali non absque Deo vocantur & eligũtur.

Cypr. lib. 1. epist. 3. *vocatur ad ministerium, si Cypriano credimus, non fit absque Deo talis vocatio: Sic enim ille loquitur: Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, nec ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Cui si, secundùm magisteria Diuina, obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersùs Sacerdotum collegium quicquam moueret, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post Coëpiscoporum consensum, iudicem se non iam Episcopi, sed Dei faceret; nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet; nemo sibi placens ac tumens, seorsum foràs nouam hæresim conderet. Nisi si ita est aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, vt putet, sine Dei iudicio fieri Sacerdotes, cùm Dominus in* Matth. 10. *Euangelio suo dicat: Nonne duo passeres asse veneũt, & neuter cadit in terram sine Patris vestri voluntate? Cùm ille nec minima fieri sine voluntate Dei dicat, existimat aliquis, summa & magna, aut non sciente, aut non permittente Deo in Ecclesia Dei fieri? & Sacerdotes, id est, dispensatores eius non de eius sententia ordinari? Hoc est fidem non habere, qua viuimus, hoc est Deo honorem non dare, cuius nutu & arbitrio regi & gubernari omnia scimus, & credimus. Hactenus Cyprianus.*

Audin' tu Nouator, quàm grauiter sanctus Martyr in eos inuehatur, qui sine Dei iudicio fieri Sacerdotes putant? quos quidem sacrilegæ temeritatis &

perfidiæ

perfidæ mentis esse dicit, & fidem habere quodammodò negat, neq; suum honorem Deo tribuere. Asserit is omnino de sententia Dei Sacerdotes ordinari, idq; aut sciente, aut permittente Deo. Sciente Deo fiunt electi, permittente reprobi: Electos enim nouit Dominus, de quibus dicit Paulus: Nouit Dominus, qui sunt eius. 1. Tim. 2.
Et Dauid: Nouit Dominus viam iustorum. Et ipse Psal. 1.
Christus: Ego cognosco oues meas. Reprobos autem se Ioan. 10.
nescire fatetur ipse, dicens illis: Nescio vos, vnde sitis. Luc. 13.
Et fatuis virginibus: Amen dico vobis, nescio vos. Matt. 25.
Quamobrem siue reprobi Sacerdotes & Pontifices eligantur; de voluntate tamen Dei eligi eos affirmat Cyprianus: Facit enim quandoq; Deus hypocritam regnare propter peccata populi, vt sit sicut populus, ita & Sacerdos: Solos enim eos Episcopos non de voluntate Dei fieri docet, qui extra Ecclesiam fiunt. Quamobrem etiamsi sit Episcopus non ea pietate, qua eum esse prædatum oportet; tamen si constat, quòd is in antecessorum suorum, qui quidem Catholici fuerint, piã doctrinam successerit, nihil impedit, quò minùs Episcopi munere fungatur, nec ex eius improbitate quicq ad eos, quibus præest, detrimenti perueniat: Sibi malus est, si malus est; tibi nihil officit, si factis eius malis nõ cõmunicaueris. Iob. 34. Esa. 24.

OBIECTIO NOVATORVM XVI.

Si successio ordinaria Ecclesiæ custos et cõseruatrix est, qd de Africa, Ægypto et tota Asia, in quibus regionibus omnib⁹ sacra hæc Episcoporũ successio deest, sentiendũ? Cur etiã apud Græcos periisse Ecclesiã dicunt,

apud

apud quos tamen nunquam interrupta fuit illa Episcoporum successio? Cur eos faciunt Schismaticos?

RESPONSIO CATHOLICA.

Greci Schismatici.

Nos Catholici eos non facimus Schismaticos, sed ipsimet se ipsos, dum à Sede Petri desciuerunt, & dum simul Christi veritatem, quam à Patribus per manus acceperunt, in qua Romanæ Sedis obseruantia bonum locum obtinebat, saluam & incorruptam ipsi non retinuerunt, nec in ea, quæ fuit olim suorum Patrum, fide permanserunt, se ipsos tanto priuilegio priuârunt. Cumque etiam apud eos multi Patriarchæ & Imperatores Hæretici & seditiosi homines suborti sint, qui porrò religionem administrantibus, legitima illa successio Catholicorum Episcoporum, interrupta seruari nõ potuit; quamuis ea, quam videmus, apud ipsos Patriarcharum & Episcoporum continuatio floreret.

Constantinopoli sederunt hi, Macedonius, Acacius, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Anastasius, & alij; Hierosolymis verò Ioannes Origenista, Salustius, Arsenius, Heraclius, Hilarius; Antiochiæ, Paulus Samosathenus, Eulalius, Euzoius, Ioannes Domnus, Petrus Gnaphæus, Macharius, non enim de quauis Episcoporum successione hîc tractamus, sed de legitima, quæ ab Apostolis, Petro potissimùm & eius Cathedra, originẽ suam trahit. Magnus Basilius, Cæsareæ Cappadociæ & Orientis totius singulare fidus, quò legitimus haberetur Apostolorum successor, Petri Cathedram, omniũ aliarum Ecclesiarum parentem esse

esse, magistram & principem, ac proinde semper fore consulendam, sæpe prædicauit, ac sæpe hortatus est. Epistola verò quinquagesima secunda in Romani Pontificis obedientiam disertissima, eáque valde Catholica oratione, ad Athanasium scribens, seipsum ac cæteros Coëpiscopos vehementer incitat. Quod & confirmat in altera epistola ad vltra marinos missa. Asia Petri primatum recognouit.

Nicænum Concilium, quod vnum totam illam Asiæ prouinciam benemeritam de Christiana religione reddidit, huius principatus meminit: Quem honorem secunda Synodus Nicæna Romano Pastori non detulit? In Bithynia celebrata fuit Chalcedonensis Synodus; ea tamen quanto honore ac reuerentia Romanum Pastorem Leonem prosecuta fuerit, res est lippis ac tonsoribus, vt vulgò dicitur, notissima. Concilium Nicænum can. 4. Cõcilia primatum Romani Pontificis agnouerunt.

Asiæ erat nobilissima pars, Gregorius nimirum Nazianzenus, qui in oratione funebri in obitum Magni Basilij, cum fratre suo, primum ac summum in terris iudicem, Romanum certè Pontificem recognoscit.

Si Græciam commemorare etiam velimus, quis, rogo, Chrysostomum in suam sedem, Antiochenam scilicet, nisi Romanus Pontifex restituit? Quis Maximum? Quis Flauianum? Quis Ignatium? Supremum, Apostolicum, summum Pontificem, Papam ac Martyrem Martinum Episcopum Romanum à Maximo monacho Græco vocari sæpe audies. Theodoritus Cyrensis Leonem beatissimum non minùs, quàm fecerat antea Diuus Hieronymus Damasum Papã, suarum Græcia primatũ summi Pontificis agnouit. Synodus septima.

ſuarum cauſſarum iudicem à Deo in Petro Apoſtolo creatum fuiſſe, ſcribens ad ipſum atque ad Renatum Presbyterum ex collegio Cardinalium, diſertis verbis frequentiſsimè nominat.

Conſtantinopolitanus Patriarcha primatum Romani Pontificis agnouit.

Conſtantinopolitanus Patriarcha Photius, autor in omni genere literarum eruditiſsimus, ad Nicolaum Pontificẽ ſcribens, ſatis explicatè ſignificauit, eſſe Epiſcopum Romanum iudicem primum Eccleſiaſticarum rerum, cui conueniat ἐπικυρῶσυνοδικὴν ἀποφάσιν (his enim verbis vtitur) id eſt, autoritatem tribuere Synodicæ ſententiæ.

Africa primatũ Rom. Pont. agnouit.

Si ad Africam venerimus, putas defutura nobis illuſtria exempla, quibus probemus, tam diu illas Eccleſiæ Romanæ adhæſiſſe, quàm diu ipſa regio in veri Chriſti fide perſtitit? An non in gloriam Alexandrinæ Eccleſiæ Hieronymus ſcribens ad Theophilũ Epiſcopum, reponebat, quòd Romanæ ſemper adhæſiſſet? An non ad Pammachium & Marcellam idem autor ſcribit, Alexandrinam ſedem Iuliũ, Liberium, Marcũ Pontifices Romanos ſummos & Apoſtolicos viros & orbis totius rectores, ſuſcipere ac venerari? Quis Athanaſium exulem ſuæ ſedi reddidit? Quis Appionem? Quis, niſi ille omnium moderator, qui, Romæ ſedẽs, totius Chriſtiani orbis clauum tenebat? Ad quem niſi ad Innocentium primũ Mileuitanum Concilium pro ſuo robore atq; confirmatione geſtorum confugit? Quoties Africæ meminerimus, reuocemꝰ, rogo, animos noſtros ad præclariſsimorum luminum memoriam

Hiero. tom. 2. fol. 103. & to. 2. fol. 105.

Cypriani,

Cypriani, Augustini, Tertulliani Optatiq́, huic Sedi maximè addictorũ. Cuius autoritate duo illa Africana Concilia, tertium videlicet & quartum, nisi Zosimi vniuersalis magistri illustrata emitêre videntur? altera verò duo nónne Bonifacius confirmauit?

Aug. epist. 90. & 91. Cypri. li. 2. epist. 11.

OBIECTIO NOVATORVM XVII.

Si summus Sacerdos fieret pseudopropheta & somniator, ac iuberet alienos Deos sequi, haberetq́ suæ sentẽtiæ suffragatores, maximã partem sacrificulorũ; an tum non liceret Principi, vnà cum paucis reliquis, siue secularibus, vt vocãt, siue spiritualibus, de impietate Sacerdotis & suorum suffragatorum iudicare, et iuxta seueritatem legum in eos animaduertere? Hîc iam respondent nobis Papistæ, quòd in Ecclesia (cuius Synagogam vmbram fuisse ait, perinde ac si in veteri Testamento non fuisset vera Ecclesia) non possit deesse legitima Sacerdotum successio, nec in illis doctrinæ veritas, quippe quòd habeat promissionem sempiternæ præsentiæ Spiritus sancti.

Si cœlũ rueret, obiicitur contra Ecclesiã Catholicam.

RESPONSIO CATHOLICA.

Nihil certè verius dici potuit, quàm quod à Papistis tibi responderi asseris, nisi fortè non sunt veræ voces illæ Christi: Ego vobiscũ sum vsq; ad consummationem seculi: Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum: Quodq́ue dixit idem de Ecclesia: Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Quòd si potuit non verum dicere veritas, falsum sentire Catholicos confitebimur: Neque enim solis hæc Apostolis, verùm & eorum successoribus

Matt. 28. Ioan. 14. Matt. 16.

Successio Sacerdotũ fundata in scriptura.

ſucceſſoribus dicta ſunt. Sed nihil eſt, quod minùs ferre poſſint Hæretici, quàm vt aliquid Sacerdotum legitimæ ſucceſſioni tribuatur; quæ ſi quam debet autoritatem retinuerit, iam Sectas ſuas conſiſtere non poſſe facilè perſpiciunt. Atqui conſtat, quòd & ibi eſt Eccleſia, vbi eſt legitima Sacerdotum & Epiſcoporum ſucceſsio, & ab hac ſucceſsione ſemper doctrinæ veritas eſt petita.

Veteres Doctores agnouerunt ſucceſsionẽ Sacerdotum.

Teſtatur autem hoc aureus ille Vincẽtij Lirinenſis libellus, quem ante mille ducentos plus minus annos, hac ipſa de re conſcripſit: Neque fuit ferè veterum quiſquã, qui, quoties eſſet de dogmatibus Eccleſiæ exorta diſputatio, nõ ad hanc, tanquam ad ſacram anchoram quandam, ſibi confugiendum eſſe putaret.

Irenæus lib. 4. cap. 63.

Longè vetuſtiſsimus fuit Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, qui docet, agnitionem veram eſſe doctrinam Apoſtolorum, & antiquum Eccleſiæ ſtatum in vniuerſo mundo, ſecundùm ſucceſsiones Epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in vniuerſo loco eſt, Eccleſiam tradiderunt, quæ peruenit vſque ad nos cuſtodita.

Ibid. ca. 43.

Et in eodem libro aliquantò ſuperiùs, eis tantùm in Eccleſia Epiſcopis obedire iubet, qui ſucceſsionem habent ab Apoſtolis, qui cum Epiſcopatus ſucceſsione charisma veritatis certum, ſecundùm placitum Patris, acceperunt. Reliquos verò qui abſiſtunt à principali ſucceſsione, quocunque loco colligantur, ſuſpectos haberi vult, vel quaſi Hæreticos & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes & elatos & ſibi placentes.

Audin

Audin' tu quid Irenæus dicat? Cum successione, inquit, Episcopatus charisma veritatis certum acceperunt.

Quò autem aliò remittit nos Tertullianus, quàm ad successionem hanc? Quid aliud exigit ab Hæreticis, quàm vt ostendant, ex qua autoritate prodierunt? Edant, inquit, origines Ecclesiarum suarum: Euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit autorem & antecessorem: Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt. Sicut Ecclesia Smyrneorum Polycarpum à Ioanne collocatum refert: Sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit. Proinde vtique & cateræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici.

Tertul. de præscriptionib⁹ hereticorũ successionem ordinariã Sacerdotum probat.

Num autem ab hoc dissentit Cyprianus, cùm dicit: Ecclesia vna est, quæ vna intus esse & foris non potest: Nam si apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit? Quòd si apud Cornelium fuit, qui Episcopo Fabiano legitima ordinatione successit, Nouatianus in Ecclesia non est. Taceo innumeros alios.

Cypr. lib. 1 epist. 6. successionẽ ordinariã Sacerdotum probat.

Neq; verò propterea nos hoc dicimus, quod nos tu dicere fingis, ideo statim Apostolico spiritu quemque præditum esse, quòd sit in Apostolorum sedibus collocatus: Neq; sic vnum aliquem Episcopum sempiternæ

An successor loci semper etiã doctrinæ successor sit.

Spiritus ſancti præſentiæ promiſſionem habere dicimus, vt errare iã non poſsit. Scimus erraſſe, qui Iacobo Hieroſolymis, qui Andreæ in Achaia, qui Matthæo in Æthiopia, qui Philippo in Phrygia, qui Ioanni in Aſia, qui Bartholomæo in India, qui Iudæ in Perſida, qui Paulo ſucceſſerunt in Græcia. Sola eſt Romana Eccleſia, ad quam nunquam acceſſum habuiſſe perfidiam ſcribit Cyprianus: In qua ſemper Apoſtolica Cathedræ viguiſſe principatum narrat Auguſtinus: In qua Patrum autoritatem incorruptam ſeruari refertur Hieronymus, neq; dubitat Romanam fidem Catholicam fidem appellare. Sicut & Ambroſius Epiſcopos Catholicos vocat Romanam Eccleſiam: Ad Pammachium verò & Oceanum ſcribens Hieronymus: Quiſquis es, inquit, aſſertor nouorũ dogmatum, quæſo te vt parcas Romanis auribꝰ, parcas fidei, quæ Apoſtolico ore laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod antea neſciuimus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Vſque ad hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit. Illam ſenex tenebo fidem, in qua puer natus ſum. Quid tibi videtur? An non iiſdem verbis rectè nos vti contra vos poſſemus? Cur poſt mille quadringentos annos docere nos conamini, quod antè neſciuimus? Cur profertis in medium, quod neque Petrus, neque Paulus, neque quiſquam legitimus eorum ſucceſſor edere voluit? Vſque ad hunc diem ſine iſta doctrina veſtra mundus Chriſtianus fuit.

Rom. Eccl. cõſtantia in fide.

Cyprianus li. 1. epiſt. 3. Auguſtinus epiſt. 142. Hiero. 1. ad Damaſum. Et 2. libr. 1. contra Ruffinum. Amb. in oratione funebri de obitu fratris.

Egregia Lutheranorũ appella-

fuit. Illam adulti fidem tenebimus, in qua pueri nati sumus.

Usque adeò autem Romana fides, Catholica semper fides est habita, vt Gratianus Imperator, quo imperante vixit Hieronymus, quemadmodum in Ecclesiastica historia scriptũ & in Codicem Iustiniani relatum esse legimus, noluerit de fide disputari; verùm edictum fecerit, vt cuncti subditi eam religionem retinerent, quã vertex Apostolorum Petrus initiò tradidisset, ac tum Damasus Romanus Pontifex custodiret. In Chalcedonensi quoq; Concilio sic legimus acclamatum: Omnes ita credimus: Papa Leo ita credit: Cyrillus ita credit, Papa Leo sic interpretatus est. Et iterum: Omnes sic credimus: Papa Leo sic credit: Anathema ei qui partit, & ei qui diuidit. Hæc fides Leonis Archiepiscopi: Leo sic credit: Leo & Anatolius ita credunt. Et iterum: Petrus per Leonem ita loquutus est: Apostoli ita docuerunt; piè & verè Leo docuit: Ac paulò pòst: Omnes ita credimus: Sicut Leo ita credimus.

Romana fides Catholica fides.

Sozom. lib. 7 cap. 4.

Codic. de summa trinitate.

1. Cunctos populos.

Actione 2. Conc. Chalcedo.

Ex iis & aliis multis facilè cuiuis perspicuum esse potest, quantum fuerit successioni Sacerdotum tributum: In ea præsertim Sede, in qua semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus: Ad quam de fidei caussis referri semper fuit solitum; non à Catholicis tantùm, verùm etiam ab ipsis non rarò hæreticis; quòd ibi potissimum sarcita iri damna fidei spes esset, vbi non posset fides sentire defectũ; quam solius sedis huius prærogatiuam esse dicit Bernardus.

Successionis Sacerdotũ in Eccle. Rõma. autoritas.

Bernardus epist. 190.

Caluinus quantū tribuat Romanę Eccleſię.

Fatetur autem hoc etiam Caluinus veſter, quod res ipſa loquitur, magnum Romanæ Eccleſiæ honorem vbiq; detuliſſe veteres, reuerenterque de ea loquutos, vel quòd fundata & conſtituta fuiſſet Petri miniſterio, vel quòd in ea caput eſſet imperij, vel quòd cùm Orientales & Græcæ Eccleſiæ, Africanæ etiam, malis opinionum diſſenſionibus inter ſe tumultuarentur, hæc ſedatior aliis & minùs turbulenta fuerit: Iuſtum eſt, inquit, vt pij & ſancti Epiſcopi ſedibus ſuis pulſi, illuc ſe velut in Aſylum, aut portum quendam ſæpe reciperent: Nam quo minùs, inquit, acuto & ceteri ſunt ingenio Occidentales, Aſiaticis & Aphris, ita etiam ſunt rerum nouarum minùs cupidi. Hoc ergo Romanæ Eccleſiæ plurimum addidit autoritatis, quod non ita, dubiis illis temporibus, tumultuata eſt vt reliquæ, ac doctrinæ ſemel traditæ fuit omnibus aliis tenacior. Hactenus Caluinus.

Confugiendum in dubiis fidei ad Eccleſiā Romanam.

Ad hanc igitur nos quoq; more maiorū noſtrorum confugiemus, quoties de dogmate aliquo fidei controuertitur, vt illa nos doceat, quid per longam Epiſcoporū in ea ſucceſſionem traditū de eo fuerit. In qua traditione libenter acquieſcimus, nec temere nobis ab ea diſcedendum eſſe putamus. Hæc eſt ſucceſſio Sacerdotum, de qua nos gloriamur: Quam ſempiternæ Spiritus ſancti præſentiæ promiſſionē habere, perſuaſum firmiter habemus: Quam vos heri, quod aiunt, & nudius tertius nati, cùm proferre non poſſitis, mirandū nō eſt, ſi in ea oppugnanda neruos veſtros omnes contenditis.

CAPIT

CAPVT XI.

OBIECTIONES ADVERSARIORUM, contra hanc doctrinam Catholicorum, quòd Ecclesia Apostolica & ordinaria in ea successio Sacerdotum sit, earundemque solutiones.

OBIECTIO ADVERSARIORVM I.

CHRISTVS dicitur principale & maximum fundamentũ Ecclesiæ, dicente Apostolo: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod est positum, quod est Iesus Christus. Cùm ergo Ecclesia à suo fundamento debeat recipere denominationem, videtur quòd magis Christiana quàm Apostolica veniat nominanda.*

1. Corint. 3. Ecclesiã potiꝰ Christianam, quàm Apostolicã dicendam.

RESPONSIO CATHOLICA.

Verum est, quòd Ecclesia indubitanter & Christi est, & Christiana dicitur à Christo, sicut & populus dicitur Christianus. Vnde Augustinus: Fundata est Ecclesia super petram. Vnde & Petrus nomen accepit: Non enim petra à Petro, sed Petrus à petra; sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo nominatur: De quo Christianitatis nomine et de tempore, quo illa Christi Ecclesia primùm appellari cœpit, idem beatus Augustinus ita inquit: Ipsa res, quæ nunc Christiana religio nuncupatur, erat apud antiquos, neque defuit ab initio generis humani, quousque ipse

Aug. super Ioan.

Aug. li. 1. retractationum.

veniret in carnem, vnde vera religio, quæ iam erat, cœpit appellari Christiana: Cùm enim post resurrectionem ascensionemq; in cœlum cœpissent prædicare Apostoli, & plurimi crederent primùm apud Antiochiam, sicut scriptum est, appellati sunt Discipuli Christiani. Nostris ergo temporibus Christiana religio non quia prioribus temporibus non fuit, sed quia posterioribus hoc nomen accepit, quam cognoscere & assequi securissima est salus. Hæc Augustinus.

Ecclesia cur potiùs dicta sit Apostolica.

Nihilominus in Symbolo magis nominata est Apostolica quàm Christiana, tum ideo quia in hoc, quòd dicta est Catholica satis exprimebatur Christiana nominari: Catholicus, enim & Christianus idem sunt: Tum etiam est dicta magis Apostolica, quia cùm Apostolus idem sit quod missus, & in misso intelligatur ipse mittens; profectò in eo quòd Ecclesia, dicta est Apostolica, vtrumque intelligitur, scilicet Christus mittens, qui principale & primarium fundamentum est Ecclesiæ, imò sicut sanctus sanctorum, et Princeps pastorum, ita est fundamentum fundamentorum. Intelliguntur & ipsi Apostoli à Christo missi, qui secundaria fundamenta dicuntur esse Sanctæ Ecclesiæ Dei. Præterea Christus Apostolus dicitur, vnde beatus Paulus inquit: Fratres considerate Apostolum & Pontificem Confessionis nostræ Iesum. Vbi Glossa inquit: Cur negemus Christum Apostolum, quem nobis Deus misit, vnde Ecclesia non solùm ab Apostolis Christi, sed etiam ab ipso Christo Apostolica denominatur.

Hebr. 3.

OBIE-

OBIECTIO ADVERSARIORVM II.

Prophetæ dicuntur secundaria fundamenta Ecclesiæ, sicut Apostoli, dicente Paulo: Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum: Ergo Ecclesia tam nominanda videtur Prophetica, quàm Apostolica. Ephes. 3. Ecclesiam Propheticã esse nominãdam obiicitur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Licet Prophetæ dicti sint fundamenta Ecclesiæ sicut & Apostoli: Nihilominus Ecclesia magis Apostolica quàm Prophetica venit nominanda multiplici ratione. Rationes aliquot, ob quas Ecclesia Apostolica potiùs quàm Prophetica dicenda.

Primò quidem, quia fidem ipsam Catholicam, super quam Ecclesia Dei fundata est, Apostoli magis explicitam & dilucidatam nobis tradiderunt, quàm fecerunt Prophetæ: Prophetæ quippe iuxta sui nominis interpretationem (Propheta enim procul videns interpretatur) sub quibusdam vmbris figurarum nobis diuinorum mysteriorum fidem tradiderunt; vnde super illud Psalmi: Tenebrosa aqua in nubibus aëris; dicit Glossa, id est, obscura doctrina est in Prophetis. Sanè tamẽ vltima consummatio gratiæ facta fuit per Christũ, vnde & tempus eius dicitur tempus plenitudinis: Illi qui propinquiores fuerunt Christo, vel antè sicut Ioannes Baptista, vel pòst, sicut Apostoli, pleniùs ministeria Dei cognouerunt, & per consequens magis explicitam Ecclesiæ tradiderunt fidei doctrinam; quod sic patet: Fides Ecclesiæ in duobus maximè consistit. Primò in vera cognitione Dei, secundùm illud: Ac- Psal. 16. Galat. 4.

Heb. 11. cedentem ad Deum oportet credere, quia Deus est. Secundò in mysterio incarnationis Christi. Utroque potissimè per Apostolorum doctrinam Ecclesia sancta Dei illuminata est. Vnde maxime super reuelatione facta Apostolis de fide vnitatis Diuinæ essentiæ, & Trinitatis personarum, & Aduentus filij Dei in carnem, tota fides Ecclesiæ fundata est. Vnde Apostolo Petro à Patre luminum docto, vtriusq; Sacramenti fidem explicitè profitenti dicendo: Tu es
Matt. 16. Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti, respondet Christus: Amen dico tibi Petre, quia tu es Petrus, & super hanc Petram, scilicet confessionis
Hilar. lib de trinit. tuæ, fundabo Ecclesiam meam. De hac Petri fidei professione B. Hilarius ita loquitur: Fides itaq; Petri Dei filium in homine videns vtrunq; complexa est dicens: Tu es Christus filius Dei viui: Hæc confessionis ratio tenenda est, vt sicut Dei filium, ita & filium hominis meminerimus, quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem. Hæc Hilarius.

Secunda ratio, cur Ecclesia potiùs Apostolica, quàm Prophetica dicatur.

Secunda ratio, propter quam Ecclesia dicta est magis Apostolica quàm Prophetica, est, quia vniuersalior ac profundior fuit doctrina Apostolorum quam Prophetarum: Apostolicæ enim prædicationis sonus
Psal. 18. Rom. 10. *in omnes fines orbis exiuit, quod non fecit vox Prophetarum. Vnde de Apostolis dicit Propheta: In omnem terram exiuit sonus eorum &c. Et Leo Papa*
Leo Papa in cap. Ita Dominus dist. 19. *dicit: Ita Dominus noster Iesus Christus humani generis Saluator instituit, vt Veritas quæ*

antea legis & Prophetarum præconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem Vniuersitatis exiret, sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et super illud: Elegit duodecim, quos Apostolos nominauit; dicit Glossa: Quos ad propagandum auxilium salutis humanæ, per terrarum orbem satores fidei destinaret. Lucæ. 6.

Tertia ratio, cur Ecclesia potiꝰ Apostolica, quàm Prophetica dicatur.

Tertia ratio, quare magis Apostolica, quàm Prophetica nominatur, est, quia superabundantior Diuinæ gratiæ perfectio fuit in Apostolis, quàm in Prophetis. Vnde, sicut suprà allegatum est, Apostolus Paulus de se & aliis dicit ad Romanos: Nos ipsi primitias Spiritus habentes, Glossa id est, Spiritum sanctũ & tempore priùs & cæteris abundantiùs. Et ad Ephesios dicit: Secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis, Glossa, scilicet Apostolis, in omni sapientia, Glossa, in omni notitia de Diuinis, & prudentia, Glossa, prouidentia temporalium, vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ secundùm beneplacitum eius. Roman. 8. Ephes. 1.

Quarta ratio, cur Ecclesia potiꝰ Apostolica, quàm Prophetica dicatur.

Quarta ratio est, propter quam Apostolica, nõ Prophetica dicta est Ecclesia, quia adueniente plenitudine temporis, consummatoq; redemptionis nostræ Sacramento, quæ principaliter de fide Catholica sancti prædixerunt Prophetæ, adimpleta sunt in Ecclesia, & quæ ab eis quasi sub sigillis clausa tradita sunt, iam sunt aperta & reserata. Vnde Glossa super illo verbo

Galat. 4. (*plenitudo temporis*) *dicit*: *Id est*, *adimpletio figurarum omnium. Cumque iam in Ecclesia dispensata & manifestata veritate*, *per Apostolorum prædicationem*, *iam Prophetæ ad nouam doctrinam fidei deprimendam*, *tanquam nubes in præsentia Solis*, *cessauerint*, *quia lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem*: *Multò conuenientiùs Ecclesia Apostolica est nominata quàm Prophetica.*

Matth. 11.

Secundò posset responderi ad rationem factam, Ecclesiam propterea etiã potiùs Apostolicam, quàm Propheticam dictam, quòd Apostoli dicantur filij Propheta-

Psalm. 147.

rum: Glossa certè super illud Psalmi: Ita filij excussorum, ex D. Augustino, in hanc sententiam sonat:

Vltima ratio, cur Ecclesia potiꝰ Apostolica, quàm Prophetica dicatur.

Sciendum ergo, inquit, filios excussorum, dictos esse Apostolos filios Prophetarum, qui dicuntur excussi. Excuti dicitur aliquid, vt saccus, vt exeat, quod intus latebat clausum. Prophetæ ergo clausa continentes Sacramenta, excussi sunt à Prædicatoribus, accedente eorum diligentia, & Domino aperiente, & quæ abscondita erant prodierunt aperta. Ideoq; Prophetæ dicuntur excussi, quibus excussis generati sunt Apostoli. Hæc ibi. Quare cùm Ecclesia dicitur Apostolica, in Apostolis intelliguntur Patriarchæ & Prophetæ, quorum fuerunt filij, non modò propagatione carnis, sed etiam professione fidei & imitatione sanctitatis.

Prophetæ dicuntur excussi.

Ecclesiam Euangelicã esse dicendum obiicitur.

OBIECTIO ADVERSARIORVM III.

Doctrina, super quam fundata est maximè Eccle-

Matth. 16.

sia, dicitur esse Euangelium. Vnde Christus dicit:

Super

Super hanc petram, id eſt, huius fidei confeſſionem ædificabo Eccleſiam meam: Ergo videtur, quòd potiùs Eccleſia eſt Euangelica dicenda, quàm Apoſtolica.

RESPONSIO CATHOLICA.

Cur Eccleſia potius Apoſtolica, quàm Euangelica dicatur.

Ratio non procedit: Tum quia eadem eſt doctrina Apoſtolica & Euangelica: Ipſi enim Apoſtoli nihil ad ſalutem humanam neceſſarium docuerunt, quod non ab Euangelio ſiue à Chriſto didicerunt. Vnde Apoſtolus Paulus aliquoties doctrinam, quam prædicabat, in Epiſtolis ſuis, Euangelium vocat.

Præterea ipſi Apoſtoli nedum Euangelij fuerunt notarij, ſed etiam Præcones per totum orbem: Tum etiam quia profeſsio illa fidei, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, beati Petri Apoſtoli fuit, qui tanquam os omnium Apoſtolorum, vt dicit beatus Cryſogonus, Chriſto quærenti & interroganti Apoſtolos ſuos: Vos quem me eſſe dicitis? reſpondit in perſona omnium Apoſtolorum: Tu es Chriſtus filius Dei viui, &c. Tum quia ipſi Apoſtoli ſimul in vnum conuenientes, vt ex traditione maiorum accepimus, ſinguli ſingulas proferentes ſententias, cùm ab inuicem diſceſſuri eſſent, Symbolũ ediderunt, quod vniuerſalis Eccleſia tenet; ſicut beatus Clemens Papa diſcipulus & ſucceſſor Apoſtolorũ in Decretis ſuis teſtatur. Itẽ ſanctus Leo Papa primus, pulchrè & auguſtè ſcribẽs: Ipſa, inquit, Catholici Symboli breuis & perfecta confeſsio duodecim Apoſtolorũ, totidẽ ſignata eſt ſentẽtiis. Matth. 16.

Et B.

Et B. Ambrosius huius rei illustris testis, clauem regni cœlorum, deputans esse fidem Apostolorum, ita dicit: Clauem quidem istam arbitror duodecim artificum operatione conflatam: Duodecim enim Apostolorum Symbolo fides concepta est, qui velut periti artifices in vnum conuenientes, clauem suo concilio cõflarunt. Hæc ille. Meritò ergo his & superioribus rationibus bene ponderatis, Ecclesia sancta Dei, à sanctis Patribus, in compositione secundi Symboli, Apostolica est appellata.

Apostolica Ecclesia obiicitur contra eam Ecclesiã, quæ postea successit.

OBIECTIO NOVATORVM IIII.

Ecclesia Catholica in Nycæno Symbolo quotidie canit: Et Vnam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam: Si cuiuscunq; temporis Ecclesiæ sententiæ parendum esset, aut si quæuis Ecclesia sanctarũ Scripturarum legitima interpres esset; aut si quæuis cuiuscunque temporis Ecclesia Spiritus magisterium haberet; quid opus erat, Ecclesiam illam Apostolicam profiteri?

RESPONSIO CATHOLICA.

Apostolicam Ecclesiam nos credere profitemur non eam, quæ tantùm Apostolico choro constabat, sed vt in Symbolo ipso dicitur: Catholicam, id est, Vniuersalitate temporum, Vniuersalitate locorum, Vniuersalitate Gentium, Vniuersalem: Quæ non vnica, sed multis rationibus Apostolica dicitur.

Causſa prima, ob quã Ecclesia dicitur Apostolica.

Primò quidem quòd Apostolorum fidem, prædicationem, dogmata, fidei sensum, siue scripto siue traditione

tione recepta, efficaciter retinet, iuxta illud: Non prætergrediaris terminos, quos poſuerunt Patres tui. Patres autem Eccleſiæ fuerunt Apoſtolici viri, qui per Euangelium in Chriſto nos genuerunt. Vnde Auguſtinus in illa verba: Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij: id eſt, conſtituti ſunt Epiſcopi, quibus regaris & guberneris. Prou. 21. Auguſt. in Pſalm. 44.

Dicitur ſecundò Apoſtolica, Catholica Eccleſia, quòd Apoſtolis quaſi duodecim fundamẽtis, qui Chriſto omnium fundamento primitus adhæſerunt, immediatè cohæreat & innitatur: Quemadmodũ enim primarium fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus: Ita quoque Ioannes Apoſtolus mente Prophetica ſanctæ ciuitatis Hieruſalem duodecim fundamenta vidit, in quibus duodecim Apoſtolorum nomina ſcripta erant & agni. Vnde Auguſtinus: De plebe, inquit, Iudaica primùm Apoſtolos elegit, quos quaſi fundamenta Eccleſiæ inſtituit, quorum prædicatione, de eadem plebe multi ad eum conuerſi, in ſe ipſis originem Eccleſiæ præſtiterunt. Deinde in cæcitate ſuæ perfidiæ Iudaica plebe relicta, ad Gentes, quæ tam fide, quàm cognatione carnis à Chriſto erant alienæ, prædicatio Euangelica translata eſt, & quaſi conſanguineæ copulam Chriſtus aſſernatus, de aliena cognatione ſibi vxorem elegit. Hactenus Auguſtinus. Apud quem Apoſtoli non modò Iudaicæ, ſed Gentilis Eccleſiæ Chriſti, & fundamenta & faciendæ deſponſationis internuntij aut pa- Secũda cauſa, ob quam Eccleſia dicitur Apoſtolica. 1. Corin. 3. Apocal. 21. Aug. de plebe Iudaica libr. 15. de ciuit. Dei. Apoſtoli Eccleſiæ fundamenta.

Roman. 8. *aut paranymphi dicuntur. Hinc olim Apostolus de se & aliis dicebat: Elegit nos Deus primitias in salutem, in sanctificatione Spiritus & fide veritatis, in quam & vocauit nos per Euangelium nostrum, per acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi. Et rursus: Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc, non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemuimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Sic aliquando sancti Apostoli, Reges & Principes populorum in scriptura dicuntur, quòd nimirum post Christum eisdem quasi Regibus, quasi Principibus, & Ecclesiasticæ reipublicæ fundatoribus, eorumq; documentis & prædi-*

Psalm. 44. *cationi imitamur. Cõstitues eos Principes (ait Dauid)*

Psalm. 46. *super omnem terram. Et alibi: Principes populorũ congregati sunt cum Deo Abraham. Vnde Augustinus in illa verba Psalmi: Filiæ Regum in honore tuo: Filiæ Apostolorum sunt filiæ Regum: Ille enim est Rex Re-*

Matth. 19. *gum. Illi autem Reges, de quibus dictum est: Sedebunt sup sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Ergo Catholica omnium Gentium & temporum post Christum vniuersalis Ecclesia, Apostolica dicitur;*

Ephes. 2. *quoniam ab Apostolis, quasi à fundamentis incepit, qui tamen ipsi summo illi angulari lapidi Christo Iesu, quasi totius Ecclesiasticæ structuræ primario fundamento nituntur.*

Apostolica etiam dicitur Ecclesia Catholica, post Christi

Christi prædicationẽ; quia post Ascensionem Domini, Apostolici viri sancta doctrina, verbi prædicatione, miraculis & sanctitatis exemplis, semimârũt Ecclesiã, inde à Christo lux mundi, & sal terræ, quòd sua prædicatione essent mundum tenebris & ignorantiæ & putredine peccatorum purgaturi, dicuntur. Matth. 5.

Tertiò Catholica Ecclesia Apostolica dicitur, quòd omnes Christianæ religionis ritus & obseruantiæ, quas in prima illa plantatione, aut scripto aut verbo docuerunt, inuiolatas per multas centurias hucusque conseruet. Vnde Augustinus: Illa, quæ per Vniuersalem custodiuntur Ecclesiam, ab ipsis Apostolis tradita & cõmemorata creduntur, quamuis in eorum dictis vel Conciliis non reperiantur. Et rursus: Multa non inueniuntur in Apostolorum literis, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur. Tertia causa, ob quam Ecclesia dicitur Apostolica. Aug. libr. de Bapt. contr. Donat. 2. Aug. libr. 2. cont. Dona. de Bapt. capit. 2.

Quartò demum Catholica Ecclesia, Apostolica dicitur per Synecdochen, id est, capitis, Ecclesiæ nimirũ Romanæ, quæ caput est omniũ Ecclesiarum, ratione: Nam eas Ecclesias, quibus Apostoli præfuerunt, Apostolicas dici, præter frequentẽ vsum veterũ, potissimè verò Eusebij aliorumq; Ecclesiasticorum Historicorũ, Augustinus testatur: In Canonicis, inquit, Scripturis indagator solertissimus, Ecclesiarum Catholicarũ plurium autoritatem sequatur, inter quas sanæ illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Quart. causa, ob quam Ecclesia dicitur Apostolica. Aug. libr. 2. de doctrin. Christ. c. 2.

Apo-

Romana Ecclesia quomodo præ aliis Sedes Apostolica dicatur.

Apostolicas sedes enimuerò vocat Augustinus illas, quas Episcopoli magisterio formârunt Apostoli: Inter quas per excellentiam, quemadmodum inter reliquos Apostolos Petrus & Paulus, Romana, cui præsederunt, aut (quod negari non potest) quam Euangelica doctrina formârunt, Apostolica dicitur. In cuius appellationis vsu, tam ab ipsis Apostolorum Principibus Petro & Paulo, in vniuersa Ecclesiastica Republica frequens fuit vsus, vt exempla proferre, videatur otiosum. Certè Anacletus ipsis Apostolicis seculis, omnibus tribus Epistolis, se Episcopum Apostolicæ sedis appellat. Sother vnica ad Episcopos Campaniæ, Apostolicæ sedis Archiepiscopum se vocat. Marcellus sub Maxentio Tyranno, Eusebius Pontifex sub eadem tempora, ad Ægyptios & Alexandrinos scribens, & deinceps penè omnes Pontifices, Apostolicæ sedis Episcopos se nominant.

Titulus Sedis Apostolicæ, an sapiat superbiam.

Et ne quis hoc eorundem ambitioni tribuat, quod Hæretici caussari solent, sic certè Marcum Romanũ Pontificem omnes Ægyptij Pontifices appellant, etiam post Concilium Nicænum, in quo Ecclesiasticum Imperium diuisum, & in Patriarchias distractum iidem contendunt: Sancto, aiunt, & Apostolici culminis venerando Domino, Marco, Sanctæ, Romanæ & Apostolicæ Sedis atq; Catholicæ Ecclesiæ Papæ, Athanasius & vniuersi Ægyptiorum Episcopi, &c. Et rursus ad Liberium scribentes, eiusdem Sedis prædicationes & doctrinas Apostolicas vocant: Ad Felicem etiam

cem etiam Pontificem ſic ſcribunt: *Domino beatiſſimo & honorabili ſancto Patri Felici, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & vrbis Romæ Papæ. Eodemq; elogio Stephanus Affricanus Epiſcopus, cum tribus Affricanis Conciliis Damaſum Pontificem coronant: Beatiſſimo Domino & Apoſtolico culmini ſublimato Patri Patrum Damaſo Papæ, &c. Et demum Hieronymus, ad Beatiſſimum Papam Damaſum Sedis Apoſtolicæ vrbis Rom. &c. ſcribit. Vbi & ordinem Apoſtolatus Rom. Pontificatum appellat. Iuuat hanc noſtram ſententiam, quòd, cùm in Apoſtolico Symbolo, eadem Eccleſia, quæ Apoſtolica dicitur, Catholica quoq; vocitetur. In his Roman. Pont. titulis, non modò quibus ipſi antiquo iure in ſcribendo vtuntur, ſed quos alij, ad eos ſcribentes, vſurpant, Catholicæ aut Vniuerſalis (quod idem eſt) & Apoſtolicæ Sedis appelletur Epiſcopus.*

Quinto Eccleſia Catholica, per Synecdochen etiã, id eſt, ratione Rom. Eccleſiæ *Apoſtolica vocatur, quòd ea ſola inter cæteras, quas Apoſtolici viri fundârint, Apoſtolicum munus per totum Euangelij tempus & officium exercet: Erant Apoſtoli & Epiſcopi & Apoſtoli. Quatenus autem Epiſcopi erant, certos terrarum tractus certasq; prouincias, quas Dioeceſes appellârunt, non Apoſtolico ſed Epiſcopali imperio moderabantur: Quatenus verò Apoſtoli Chriſti, id eſt, Chriſti legati erant, in vniuerſum orbem vniuerſasq; prouincias obtinuerunt imperium, iuxta illud: Præ-*

Quãta cauſa, ob quam Eccleſia dicitur Apoſtolica.

Marc. 16. *lud: Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit &c. Manſit itaq; in Romana Eccleſia, propter Petrum, non tantùm Epiſcopalis, ſed in orbem quoq; vniuerſum Apoſtolica autoritas, qua legatione Chriſti fungeretur apud omnes Eccleſias. Vnde quòd ea Eccleſia propter eundem Petrum caput ſit vniuerſalis Eccleſiæ, Apoſtolica dicitur.*

Vocamus igitur Apoſtolicam Eccleſiam Catholicam non à numero, aut Apoſtolorum ſeculo, ſed quia totius huius ſanctæ Eccleſiæ caput ſit Romana Eccleſia, quæ inter cæteras vniuerſas Eccleſias, tum fundatoris, tum officij, quod modò retinent, ratione, Apoſtolica dicitur.

OBIECTIO NOVATORVM V.

Ordinaria ſucceſsio Sacerdotũ oppugnatur locis Scripturæ veteris Teſtamenti.

Papiſtæ recenſent ordinem Epiſcoporum, quorum alter alteri, in nonnullis locis, iam inde ab Apoſtolis, ſucceſſit, & ſignificant, ſe ideo Apoſtolorum Spiritu præditos, quòd ſint in Apoſtolorum ſedibus collocati. Et omnino vetus illud Pontificum & Sacerdotum, quod apud Hieremiam extat, iactare ſolent: Non peribit Lex à Sacerdote, neque conſilium à ſapiente, nec ſermo à Propheta. Quid igitur? Num, quia Vrias, ſummus Pontifex, qui obſecutus voluntati Achaz Regis Iuda, inſtituit in templo Dei altare Damaſcenum (hoc eſt) impium & abominandum, ſucceſſit generi, officio & dignitati Aaronis & Eleazari, idcirco dicemus eum eodem quoque Spiritu ſancto præditum? Sed audiamus hac de re conciones Prophetarũ.

Hiere. 18.

4. Reg. 16.

Eſaias

Esaias de Pontificibus & Sacrificulis ita dicit: Speculatores eius, omnes cæci sunt, omnes sunt ignari, canes muti, non valentes latrare: Videntes vana; dormientes & amantes somnia: Canes impudentissimi nescierunt saturitatem. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam. An non hi successerant optimis ac piissimis maioribus? Esai. 56.

Et Hieremias: Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in nouissimo eius? Et iterum: A Propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Hisne tu Spiritum sanctum ita alligabis, vt, quia ordinariè successerunt piis maioribus, captiuum eum teneant? Ac rursus: Hæc dicit Dominus Deus Israël ad pastores, qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos. Et iterum: A Prophetis Hierusalem egressa est pollutio super omnem terram. Et Ezechiel: Coniuratio Prophetarum in medio eius, sicut Leo rugiens, capiensq; prædam, animas deuorauerunt, opes & pretium acceperunt, viduas eius multiplicauerunt in medio eius. Sacerdotes eius contempserunt Legem meam, & polluerunt sanctuaria mea. Quid? Tùne dices, conuentum talium hominum gubernari à Spiritu sancto, quòd sint ordinarij piorum maiorum successores? Hierem. 5. Hierem. 6. Hiere. 23. Ezech. 22.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quod Uriæ exemplo, qui, voluntati Regis Achaz 4. Reg. 16.

Exemplum Vriæ & falsorum Prophetarū legis non fauet Nouatoribus.
Esa. 56.
Ezech. 22.
Hierem. 5.

obsequutus, instituit in templo Dei altare Damascenorum, demonstrare conantur hæretici, qui succedunt generi, dignitati, officio Aaronis, non statim eos eodem esse Spiritu sancto præditos: Quodq; Prophetarum testimoniis idem ostendere conantur, qui Pontifices & Sacerdotes sui temporis vocant speculatores cæcos, ignaros, canes mutos, qui dicunt, Prophetas prophetasse mendacium, Sacerdotes applausisse manibus, contempsisse legē, polluisse sanctuaria, possumus hæc uno verbo refutare, si negemus aut Vriam Pontificem, aut eos, de quibus Prophetæ loquuntur, Sacerdotes Aaroni successisse, Leuiticiq; generis fuisse. Quod non obscurè nobis indicant illa scripturæ verba, vbi de Hie-

3. Reg. 12.

roboam dicitur: Fecit fana in excelsis, & Sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Leui. Quo in loco Commentator caussam etiam reddit, quamobrem de qualibet tribu indifferenter Sacerdotes fecerit: Quia tribus, inquit, Leui noluit consentire ei, & ideo dixit populo, quòd non oportebat habere Sacerdotes de tribu Leui.

Idololatria non fuit in successione Sacerdotū Leuiticorū.
4. Reg. 17.

Videtis iam Nouatores, quemadmodum, vbi fuit ordinaria successio Sacerdotum, ibi non est assensus præstitus ad idololatriam. In eo verò quod proximè sequitur capite, scribitur de eodem Hieroboam, quòd fecit de nouissimis populi Sacerdotes excelsorum. Et in sequenti libro de populo dicitur: Fecerunt sibi de nouissimis Sacerdotes excelsorum, & ponebant eos in suis sublimibus. Iosephus verò sic inducit loquentem Hie-

Hieroboam, posteaquàm fecerat duos vitulos aureos: Ioſ li. 8. antiqui. cap. 8.
Constituam ex vobis ipsis Sacerdotes eorum atq; Leuitas, vt tribu Leui nequaquam, neq; filiis Aaron indigeatis: Sed qui voluerit vester esse Sacerdos, offerat vitulum, &c. Iámne perspicitis, quemadmodum ipsi cõtra vos produxeritis testimonia? De vobis enim dixerunt ista Prophetæ, qui Sacerdotes estis excelsorum; apud quos nulla est ordinaria successio, qui contrà, quàm à Paulo præceptum est, ipsi vobis honorem sumitis, & curritis, cùm vos non miserit Dominus. Vos cæcos cæcorum duces vocant; vos prophetare mẽdacium, vos contemnere legem, vos polluere dicunt sanctuaria. Loca prophetica de Pseudoprophetis in hęreticos retorquẽtur. Rom. 10. Hiere. 23. Esa. 56. Hierem. 5. Ezech. 22.

Verùm demus hoc vobis, quòd Aaronis dignitati successerit Vrias. Quæso vos, quid ille fecit aliud, quàm quod aliquando factum à Marcellino Pontifice legimus, qui in horribili illa Christianorum, sub Maximiano & Diocletiano, persequutione, metu suppliciorum, quæ fuerant illi intentata, thura adoleuit, arisq; iniecit? Non à Pontifice processit facimus hoc, sed à Rege, cuius voluntati Pontifex obsequutus esse scribitur, non autem vltrò contra legem venisse. Vel hoc solum exemplum docere nos potuit, quàm sit periculosum, quod vos fieri debere contenditis, Principi de religione statuendi potestatem permittere, quem hac in parte sequi, quàm præire, subiectum esse Pontifici potiùs oportet, quàm illi præscribere veue. Quamobrem etiam hoc, quod vos pro defendenda Hebr. 5. Hiere. 13.

cauſſa veſtra produxiſtis, contra vos magis facere videtur: Non enim Pontifex decreuit, vt altare Damaſcenorum in templo conſtitueretur, ſed, penes quem vos vultis eſſe de talibus decernendi poteſtatem, Regi præcipienti paruit; vt metu magis, quàm vel errore, vel inſcitia, vel temeritate, peccatum à Pontifice fuerit. Quem ſi poſtea, ſicut Marcellinum feciſſe commemoratur, facti ſui pœnituiſſet, eandem proculdubio, quam ille, peccati ſui veniam fuiſſet conſequutus. Verùm nihil de eius pœnitentia narrat hiſtoria; quòd imperio iubentis Regis paruerit, hoc tantùm commemorat.

OBIECTIO NOVATORVM VI.

Succeſsio ordinaria Sacerdotũ oppugnatur.

Cùm hæc nomina audis, Succeſsio ordinaria, Poteſtas interpretationis, Poteſtas ferendarum legum, ſcias, inſidias veræ doctrinæ ſtrui, & quæri prætextus ad ſtabiliendos errores in Eccleſia: Friuola enim ſunt & planè ludicra, aſſerere perpetua Epiſcoporum ſucceſsione, conſeruatam fuiſſe fidem & Eccleſiam, ne intercideret.

RESPONSIO CATHOLICA.

Aduerſarios hac in parte contra fidem errare manifeſtum eſt; quandoquidem Epiſcoporum ſucceſsione Eccleſia propagatur, quod Diuina ſcriptura manifeſtè docet, dum ait: In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui. Quo in loco Paulus ſanè per generandi verbum, prædicandi officium ſignificat: Sicut enim

1. Cor. 4. Ordinaria ſucceſsio Sacerdotũ in ſcriptura fupuata.

enim excepto primo parente, nullus homo nascitur sine parentibus, & homines steriles & vacantes à generandi officio, non procreant; ita in Catholica Ecclesia, excepto Christo Ecclesiæ capite & Prophetis, nullus fidelis ordinariè credit sinè prædicante, nullus etiam syncerè prædicat, nisi fuerit à Catholica Ecclesia legitimè vocatus. Quæ duo Paulus apertè satis explicauit, dicens: Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante: Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Quibus certè verbis Beatus Paulus verbi Dei auditores ordinariis Concionatoribus, ordinarios verò Concionatores Catholicæ Ecclesiæ allegauit. Siquidem illis neruis Diuina ordinatione institutis, cùm successio & fidelium & Episcoporum continuatur, tum in Catholica Ecclesia syncera fides conseruatur: Ad conseruandam enim, in Ecclesiæ viuæ vocis doctrina, synceram fidem, nihil magis commodare potuit, quàm Diuina illa ordinatio, quã Paulus exposuit, dicens: Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Rom. 10. Rom. 10.

Diuina sanè ordinatio est, quòd nemo Dei verbum prædicet, nisi fuerit vocatus; vocatus, inquam, ordinaria & solenni vocatione, quæ ad publicum Ecclesiæ Magistratum spectat. Siquidem beatus Paulus huiusmodi vocationem in prædicante requirit, qua syncera fides in Catholica Ecclesia conseruetur. Quod fit, dum Concionatores ad prædicandam fidem, quam Catholica Ecclesia profitetur, legitima Necessitas vocationis.

vocatione astringuntur: Nam qui ab alio est missus, non suas cogitationes, sed mittentis exponat oportet: Idonei verò Pastores & Doctores à Catholica Ecclesia ritè vocati, suum retinentes officium, nunquam deficiunt, ex quo, perpetua Pastorum & Doctorum successione, syncera fides, ne intercideret, fuit conseruata.

Quam certè sententiam Sectarij in Episcoporum inuidiam constanter negant; quandoquidem illa vocula (perpetua Episcoporum successio) opprimat eos. Quibus exclusis cum Catholicis consentiunt; quod Caluinus illud Pauli: Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c. exponens, apertè satis testatur, dicens: His verbis, cùm illud ostendit hominum ministerium, quo Deus in gubernanda Ecclesia vtitur, præcipuum esse neruum, quo fideles in vno corpore cohæreant: Tum verò etiam indicat, non aliter incolumem seruari Ecclesiam posse, quàm sibis præsidiis fulciatur, in quibus salutem eius reponere Domino placuit.

Caluinus cap. 8. para. 16.

Notandum tamen, quòd Caluinus non dixit Episcoporum, sed hominũ ministerium. In quo ille manifestè deprauat Dei verbum. Paulus siquidẽ non dixit: Qui prædicabunt, nisi homines? Sed quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Quibus nimirum verbis significatur, quòd prædicatio, cui habenda est fides in religione, non est tantùm hominis, sed hominis ritè vocati ad Ecclesiasticũ munus, quod certè munus, non humanum, sed Di-

sed Diuinum est, vt Paulus exposuit, dicens: Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores &c. Ad quæ munera, etsi aliqui homines per alios vocantur, id est, ordinantur; tamen huiusmodi ministrorum ordinatio, non humana, sed diuina est: Sicut enim fideles, quos Ecclesia baptizat, non homo, sed Christus baptizat, vtpote homo per ministerium, Christus verò per potestatem baptizat; ita Pastores & Doctores, quos Catholica Ecclesia mittit, id est ordinat, non homo, sed Christus est, qui mittit ac ordinat; quandoquidem Ecclesia Christi est ministra in conferendis illis Diuinis muneribus. Quorum duo scilicet Pastores & Doctores perpetuò durare in Catholica Ecclesia, omnes affirmant. Vnde dicendum fuerat Caluino: Illud Episcoporum ministerium, quo Deus in gubernanda Ecclesia vtitur &c. Atque ita secundùm illius sententiam Diuina præsidia, quibus Dei Ecclesia fulcitur, & sine quibus illa non potest seruari incolumis, & in quibus Ecclesiæ salutem reponere Domino placuit, Pastorum & Doctorum, à Catholica Ecclesia, vocatorum ministeria sunt. Ephes. 4.

Quæ etiam, cùm Catholica Ecclesia perpetuò duret, perpetua sint oportet: Quoniam nisi his præsidiis fulciatur, incolumis seruari Ecclesia non potest. Ministeria etiam perpetua, perpetuos ministros requirunt (vt cœlorum perpetuus motus perennem mouentem requirit) Igitur vt Episcoporum ministeria, in quibus Successionis ordinariæ perpetuitas probatur.

Ecclesiæ salus à Domino est reposita, perpetuò durent perpetua Episcoporum successione est opus: Neque à perpetua Episcoporum successione Diuina promissio est submouenda. Quippe sicut remissionis peccatorum promissionem habet Baptismus; ita etiam ordinatio Ecclesiasticorum ministrorum, prædicandi syncerum Euangelium promissionem habet. Quæ quidem promissio etsi in singulis Episcopis (non Dei promittentis defectu, sed ordinati hominis culpa) non adimpletur; tamen in perpetua Episcoporum successione semper est efficax: Nam prædicandi syncerum Euangelium promissio, definitè non singulis Episcopis, sed perpetuæ Episcoporum successioni facta est. Vt testatur Scriptura: Euntes ergo, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunq; mandaui vobis. Et: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Quibus verbis expressè significatur, Christum suam specialem assistentiam non solùm Discipulis, sed etiam perpetuæ Episcoporum successioni promisisse. Quandoquidem non Discipuli, qui tunc aderant & mortui sunt, sed perpetua Episcoporum successio vsque ad seculi consummationem in prædicando officio est. Atque ita Diuina ordinatio de prædicando Euangelio perseuerat, tum etiam Diuina promissio Episcopis facta est efficax, & perpetua quoque Episcoporum successione syncera fides, ne interciдat, in Catholica Ecclesia conseruatur: Conse-

Veritas doctrinæ successione Episcoporũ promissa est & in ea conseruatur.

Matt. 28.

Ibidem.

Successio ordinaria Sacerdotũ in Ecclesia à Christo instituta, ab eodem conseruatur.

uatur, inquam, fides, non succedentium hominum viribus aut ingenio; sed diuina promissione perpetui Episcopatus muneri iuncta, vtpote perpetuam Episcoporum successionem concorditer prædicare synceram fidem, non Episcoporum naturæ, sed Dei gratiæ tribuendum est.

Quam obseruationẽ non attendentes Sectarij, Episcoporum odio, Diuinæ ordinationi, nempe Episcopatui resistunt: Imò Diuinam gratiam iunctam ministrorum vocationi, modò negant, modò affirmant. Negant quidem, cùm Episcopatus continuam successionem, friuolam, ludicram, & insidias contra Euangelij synceritatem appellant. Affirmant verò, cùm Ecclesiam, sine Episcoporum ministerio, non posse incolumem seruari concionantur. Caluinus certè perpetuam Episcoporum successionem habere Diuinas promissiones, illud Pauli (Qui omnia in omnibus adimplet) exponens, apertè satis testatur, dum ait: Hæc autẽ adimplendi ratio, quod per ministros, quibus officiũ hoc mãdauit, et muneris obeundi gratiã contulit, sua dona distribuit Ecclesiæ, seq́, adeò ipsum præsentẽ quodammodo exhibet, spiritus sui virtutẽ in sua hac institutione exercendo, ne inanis sit vel otiosa. Quibus nimirũ verbis Caluinus aduersùs suam sententiã, euidenter affirmat, perpetua Episcoporũ successione synceram fidem conseruari in Ecclesia. Siquidẽ Diuina illa institutio, id est, pura Dei verbi doctrina, non ab aliis, quàm ab ordinariis Pastoribꝰ et Doctoribus, syncerè p̃dicatur, sine

Hæretici quomodo ordinariã successionẽ oppugnent.

Caluinus c. 8. para. 17.

Ephes. 1.

ſine qua Catholica Eccleſia, non minus non poteſt perſtare, quàm ſine Baptiſmo. Igitur ne Diuina inſtitutio intercidat in Eccleſia, perpetua Paſtorum & Doctorum ſucceſſione conſeruetur eſt opus: Epiſcoporũ enim ſucceſſio ad prædicandi munus vocata, ſemper eſt in officio; quandoquidem illi Deus ſuas promiſſiones ad munera obeunda confert, ne miniſtrorum verbi Dei ordinatio inanis ſit, vel otioſa.

OBIECTIO NOVATORVM VII.

Exemplum Eli & Sãuelis obiicitur contra ordinariam ſucceſsionẽ Sacerdotum.

Eli ſumus fuit Sacerdos & Iudex in Iſraël, & excitatus Spiritu ſancto promiſit Annæ Samuelem. Quis autem filij eius? Succedunt quidem generi & dignitati parentis, ſed Scriptura dicit: Filij Eli, filij Belial, neſcientes Dominum, neq; officium Sacerdotum ad populum. Quid in donis Spiritus ſancti, Samuele Leuita & Iudice, ſuis temporibus illuſtrius? Sed filij eius non ambulauerunt in viis eius: Declinauerunt enim poſt auaritiam, acceperunt munera, & peruertunt iudicium. Vbi ergo manet Spiritus ſanctus in poſteris, qui erat in Maioribus?

1. Reg. 1.
1 Reg. 2.
1. Reg. 8.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quod obiicis de filiis Heli ſummi Sacerdotis & Iudicis in Iſraël, quòd filij eius generi quidem & dignitati parẽtis ſucceſſerint, ſed ſcriptura dicat, eos fuiſſe filios Belial, neſcientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum, vbi quæſo legiſti, quòd parentis dignitati ſucceſſerint? Cùm in hiſtoria Regum legamus, vtrunque, ſuperſtite patre, in bello occiſum, &

1. Reg. 2.
1. Reg. 4.

priùs quàm pater, vita functum esse? Nec alium successorem patrem eorum habuisse, quàm Samuelem, quem ipse sibi Dominus elegerat: Cuius tamen & ipsius filios, propter eorum peccata, reiecit posteà Dominus. 5. Reg. 8.

Neque verò non est pro legitimo successore statim habendus, neque iugum eius est illicò detrectandum, qui non ambulat in viis eorum, quibus successit, qui longiùs abest ab eorum vitæ sanctimonia. Non ita nos Christus docuit: Super cathedram, inquit, Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi: Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, seruate & facite; secundùm opera verò eorum nolite facere: Dicunt enim & non faciunt. Multi sunt, qui non successerunt in eam vitæ sanctitatem, qua præditi fuerunt Apostoli; sed successerunt nihilominus in eam doctrinæ veritatem, quam prædicauerunt Apostoli. Hoc est, quod ab Hieronymo quoque dictum est: Episcopus, Presbyter, Diaconus, non sunt meritorum nomina, sed officiorum. Quamuis igitur non habeant eandem vitæ sanctitatem, quam habere sine innocentia nemo potest; quædam tamen est, sicut ab Augustino scribitur, sanctitas vnctionis; quædam est & Sacramenti sanctitas: Qua duplici sanctitate rectè vocantur sancti Pontifices, etiam illi, qui sunt eadem, qua cæteri mortales, infirmitate præditi. Quamobrem quod non obscurè videtur, enarrans illum Euangelij locum, Hieronymus indicare: Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ

Pro legitimo successore habēdus etiã qui vitam adfert indignã officio. Matt. 23.

Hier. lib. 5. contra Iouinianum.

Aug. contra literas Petiliani lib. 2. cap. 48.

Etiam improbi Pontifices rectè sancti dicũtur. Matt. 10.

Prophetæ accipiet. In quocunq; tandem Pontifice, inquit, non persona, sed nomen attendendum & suscipiendum est: Hoc est, non qualis persona sit, quòue vitæ merito, considerandum est, cuius ministerio Deus vtitur, siue in Ecclesia sua gubernãda, siue in doctrina propaganda, siue in Sacramentis administrandis.

Non vitæ meritũ sed officiũ spectandum in Ecclesiasticis.

Non illud attendendum est, Iudas ne sit an Petrus, an Paulus; sed solum hoc spectandum est, quòd sedet in Cathedra Petri, quòd Apostolus, quòd Christi legatus, quòd Sacerdos, quòd Pontifex, quòd Angelus est Domini exercituum, de cuius ore legem Dei requirere iussus es. Si Iudas est, quandoquidem Apostolus est, & pro Christo legatione fungitur, nihil te mouet quòd fur est: Audi nihilominus reuerenter. Audi diligenter: Audi legationem eius obedienter: Quæ dixerit, facito; quæ fecerit, facere nolito. Non ad ipsum refer animum, verùm ad illum, cuius nomẽ gerit. Euangelium (dicit Augustinus) fur quoq; Iudas sine detrimento fidelium prædicauit. Ac quicunq; non recepit illum, Christum ipsum non recepit, qui æquè Iudæ dixerat atq; Petro vel Ioanni: Qui vos reiicit, me reiicit. Si verò Petrus est, aut Ioannes, qui eadem legatione fungitur, & dictis pareto, & facta imitare.

Malach. 2.

Etiã Iudas, quia Apostolus, honorem merebatur.

Ioan. 12.

Aug. lib. 2. contra Epistolam Parmeniani ca. 11.

Luc. 19.

Incerta erit salus nostra, si ex sanctitate pendeat docentium, aut Sacramenta ministrantium. Prauum est & inscrutabile cor hominis, vt qui sanctus, quam minùs sanctus sit, non possit nisi solus ille scire, qui scrutatur

Hier. 17.

scrutatur corda & renes. Itaque fit non rarò, sanctus Psal. 7.
vt esse videatur, qui non est; quique persequutor est
aut Publicanus hodie, cras fiat Apostolus. Quamob-
rem à Propheta rectè dictum est: Maledictus homo, Ibidem.
qui confidit in homine, & ponit carnem brachium
suum. Etiamsi quis certò sciat, iustum aliquem & in-
nocentem esse, atque omni prorsus macula carere, ta-
men si in illius sanctitate spem suam collocat, si salu-
tem ab illo expectat, maledictus est: Nam Domini est Psal. 3.
salus. Et: Vana salus hominis. Nihil igitur impe- Psal. 59.
dit, quò minùs habeat Spiritum sanctum Episcopus Malus etiã
aut Sacerdos; quò, si minus ipse sanctus est, sanctos Sacerdos ha
tamen alios faciat, vel docendi, vel baptizandi mi- bet Spiritũ
nisterio. sanctum.

OBIECTIO NOVATORVM VIII.

In Ioanne gloriantur Scribæ & Pharisæi, se esse Ioan. 7.
semen Abrahæ. Et: Pater noster, inquiunt, Abra- Exemplum
ham est. Sed filius ipse Dei reiicit eos: Si filij, inquit, filiorũ Abra
Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Vos au- hę, Scribarũ
tem facitis opera vestri patris, qui est mendax & ho- & Pharisæo
micida. Quid manifestius dici potest, quòd hi sint rum obiici-
veri successores Abrahæ, non qui generi, sed qui tur contra
fidei & pietati succedunt? Quemadmodum etiam succesionẽ
Canones testantur: Sic enim vnus habet: Non san- ordinariã.
ctorum filij sunt, qui tenent loca sanctorum, sed
qui exercent opera eorum. Et iterum: Nos, qui Dist. 40. ca.
præsumus, non ex locorum vel generis dignitate, Non est.

sed

ſed morum nobilitate innoteſcere debemus, nec vr-
bium claritate, ſed fide puritate.

RESPONSIO CATHOLICA.

Iſtis omnibus nihil aliud reſpondemus, quàm v
nobis dicant Lutherani, ſintne veri Epiſcopi, & ve-
ri miniſtri, quos nos Catholici, pro veris Epiſcopis &
miniſtris & agnoſcimus, ſintne miniſteria eorum effi-
cacia. Quod cùm ita eſſe fateantur, non eſt quod vlte-
requiramus: Nam & nos etiam fatemur, quòd cathe-
dra, locus, electio humana non faciunt ſanctum, non
faciunt verum filium Apoſtolorum, & quod ad ipſos
attinet, qui hæc occupant, non ſolùm non proſunt, ſed
obſunt quàm plurimum. Hoc nos fatemur; cæterum
Eccleſiam non inde reddi incertam, neque inefficacia
eorum miniſteria; quod nos agimus, & Lutherani ipſi
negare non poſſunt.

OBIECTIO NOVATORVM IX.

Exemplum conſpirantium in necem Chriſti obiicitur cõtra ſucceſsionem Sacerdotum.

Apud Euangeliſtas conueniunt Caiphas, Annas
& reliqui Pontifices atque Sacerdotes, qui tenebant
ſummum locum & primas cathedras in populo Dei.
Si huius conuentus externam ſpeciem conſideraueris,
ſunt ordinarij ſucceſſores generis Aaronis & aliorum
optimorum Pontificum, ac videntur vniuerſalem
Eccleſiam, vt iſti loquuntur, repræſentare. Et tamen
condemnant Chriſtum filium Dei. Vbi ergo tunc erat
Spiritus ſanctus, ſi eſt ordinariæ ſucceſsioni & cœtui
Prælatorum alligatus?

RESPON-

RESPONSIO CATHOLICA.

At longè alia fuit ratio Annæ & Caiphæ et aliorum tempore Christi viuentium summorum Sacerdotum, quàm est Ecclesiæ Christianæ iam constitutæ Pontificum. Errarunt quidem illi summi Sacerdotes & vniuersum Concilium eorum, & grauissimè quidem in Christum suum & Deum, eo ita permittente: Imò hoc, errore corũ implente (vt Ecclesia in oratione inquit) quæ manus sua & consilium fieri decreuerint: Sed hic tam necessarius (vt ita dicamus) error irrepsit in eos, eo tempore, quo iam impletis promissis legis, & præsente Christo, non ab eis necessariò pendebat salus populi & doctrina: Vsque ad aduentum Christi status ille primus populi, & Sacerdotium illud antiquum Aaronis necessarium erat, & ab eo pendebat populi gubernatio. Iam verò præsente Christo, vero legislatore et doctore, Sacerdote atque Pontifice, iis, quibus ipse apertissimè se manifestarat miraculis & operibus; de quibus ille ait: Opera, quæ ego facio, nomine Patris mei, illa testimonium perhibent de me; non amplius necessarij erant Sacerdotes legis. Itaque hoc exemplo comprobatur, manifestissimè impleſſe Deum, quod promiserat populo Israël, nec vnquam defeciſſe omnino à veritate Sacerdotum doctrinam, quousq; priùs cessasset legis ipsius obligatio & necessitas.

Alia ratio Iudaicorũ Pont. quàm Christianorum Episcoporum. Actor. 4.

Quamdiu Pōtifices Iudæorum nō potuerint errare, & quãpo postea potuerint.

Ioan. 5.

Sicut igitur tempus legis vsque ad Christum, vel, vt ipse inquit, vsq; ad Ioannem, scilicet prædicantem pœnitentiam & Christum ostendentem, durauit: Post

Ioan. 1.

hæc verò, incipiente tempore Gratiæ, permißi sunt eadere legis illius Sacerdotes & Doctores. Sic omnino, cùm tempus Gratiæ atque Ecclesiæ Christi vsq; ad finem seculi perseueraturum sit, dicente ipso Christo Matt. 28. *Vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*; necessarium fit, vt tam diu perseueret Sacerdotium aq; doctrina veritatis, apud eos, quibus Christus illa commisit, ita vt vel hoc exemplo erroris Sacerdotum in mortem Christi meritò confirmari posßit, durante hoc seculo, non defuturam doctrinæ veritatem in Sacerdotibus Christi.

Doctrinæ veritas in Sacerdotibus Christianis non deficiet vsque ad finem seculi.

Vbi non est omittendum, quòd ille error vtilis etiam fuerit, &, vt Paulus inquit, illorum cæcitas, salus fuit Gentium, & reconciliatio mundi; non quidem hoc illorum merito, sed Dei prouidentia. Id tamen manifestè videmus, illũ errorẽ nec in omnibus, etiam tunc, cùm Christus crucifigeretur, præualuisse, sed in illis, in quibus gratia eius & lux locum habuit; & quia iam ad legem gratiæ pertinebant, si nõ in omnibus perseuerauit integra fides, mox tamen ipso resurgente restaurata est. Itaque error ille nihil detraxit saluti illius populi, quanquam multi ex eis ceciderint, & tamen etiam postquàm errauerant, & lux Euangelica ostendi cæperat, honorabatur illud Sacerdotium, vt Cyprianus ex Paulo probat, qui Principem Sacerdotum fassus est se non nosse, cùm parietem dealbatum illum vocasset. Rom. 11. Error Iudaicorũ Pont. vtilis fuit Ecclesiæ. Actor. 23.

Hoc itaq; argumento ex Caipha & Anna petito

moneri

moueri solet vulgus, quod fide solidatum non est: Solet enim ex quadam externa factorum similitudine, statim de diuersissimis, tanquam de vna re pronuntiare: Vt cùm hæreticos comburi cernit, sicut Martyres combusti sunt, mox reputat eos Martyres; quasi itidem Christus non esset latro iudicandus, vtpote cum latronibus crucifixus, si pœna inspiciatur, & non caussa. Sic olim Donatistæ, quia ob suas hæreses persecutionem patiebantur, se Martyribus, qui ob iustitiam persecutionem passi erant, coæquabant. Sic cum audiunt, Caipham Pontificem Iudæorum Christum condemnasse tanquam blasphemum, & Pontificem Romanum Lutherum condemnare, imaginantur, Romanum Pontificem esse Caipham, Lutherum Christum. At qui non externas rerum similitudines, sed internas differentias inspiciunt, qui non rerum species, sed causssas ponderant, qui sciunt quid simile, quid dissimile sit in rebus; tam futilibus argumentis non mouentur.

Argumentū ab exemplo Iudaicorū Ponti. est p vulgo imperito.

Aug. cap. 7. lib. 1. contrà Epistolam Parmen. Et ad Psa. 145. Qui facit iudicium &c. Matt. 26. Vulgi ineptum iudicium.

Videamus igitur, quanta sit differentia inter impium Caipham dicentem, Christum blasphemasse, & Pontificem præscribentem toti Ecclesiæ, quid credendum sit: Item quomodo vtraque Cathedra, & Moysi & Petri differat. Hæc nempe differentia est, quòd Dominus prædixerat clarissimè in scripturis, Pontificatum Iudæorum auferendum, sicut & eorum temporale regnum, & totam illam Moysi ministrationem mutandam, atque post aduentum suum Prælatos, cum

Differentia inter Cathedram Moysis & Petri.

populo Iudaico, execrandos. Claudet (ait Esaias) oculos vestros, Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati; quem cùm dederint scienti literas, dicent: Lege istum; & respondebit: Non possum: Signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, dicturque ei: Lege; & respondebit: Nescio literas; & dixit Dominus: Eò quòd appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me; cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis; ideo ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo: Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. Hæc verba Christus de Pharisæis & Scribis dicit esse prædicta, eò quòd tunc compleri inciperent. De excæcatione populi est illud Esaiæ, ab Euangelistis quatuor & à Paulo sæpius citatum: Audite audientes & nolite intelligere; & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude; ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.

Esa. 29.

Vaticinium de Synagoga Iudeorũ aliquando interitura.

Esa. 6.
Matt. 13.
Mar. 4.
Luc. 8.
Ioan. 12.
Actor. 28.
Rom. 11.

At in Euangelio hanc dat promissionem: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi; & Petro pollicitus est, se adeò firmum super eum ædificaturum Ecclesiam, vt nunquam portæ inferi ei præualeant; & pro eo orauit, vt nunquam deficiat

Matth. 28.

Promissiones Ecclesiæ Christianæ factæ, quòd duratura sit vsq; ad finem mundi.

Matt. 16.

deficiat fides eius, sed vsque ad finem confirmet fratres suos. Promisit dare Doctores & Pastores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, donec occurramus omnes in vnitatem fidei. Ephes. 4.

Quapropter dubitare non licet, quin politia hæc à Christo instituta immutabilis sit permansura vsq. ad diem Iudicij. Porrò tempore Christi iam cœperat Mosaica administratio mutari: Lex enim & Prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerunt. Ex eo regnum Dei Euangelizatum est, & Christus verus Pontifex manifestatus. Sicut igitur ab Herode nō legitimè, sed vi occupatur regnum, vt sciretur verus Rex aduenisse, ita violentia regali, non legitima successione, Aaroni successerat Caiphas, vt etiam verus Pontifex iam adesse sciretur. Ecclesia Christiana perpetua, Synagoga verò temporaria tantū. Matt. 11. Lucæ 16.

Quanquam ergo prædixisset Deus, se illud sacerdotium abolituru, & iam tempus aduenire incipere, quo id fieri deberet; nihilominus vt doceret nos à Pastoribus nostris non deficere, nec schismatum consilia excogitare, nec noua conuenticula statim instituere; etiam illi sacerdotio & cathedræ Moysi adfuit, nec contemni permisit, donec toti mundo patefecisset, eam sublatam esse è medio, aliamque erectam: Donec sedem Sacerdotij illius occuparent (teste Luca) Sadducæi, quos in præcipuo articulo fidei errare toti populo constabat, & nouam cathedram haberet Petrus, clarissimis signis docens contrarium articulum resurrectionis videlicet futuræ; donec abomi- Synagoga quomodo cum honore fuerit sepulta. Matth. 8. & 23. Actor. 5. Matt. 22. Actor. 5.

Matth. 24. Daniel. 9. Iosephus li. 5. belli Iudaici c. 2.

natio desolataria, hoc est, seditiosi Diuinitatis irrisores occuparent templum: De quibus Daniel & Iosephus.

Matth. 23.

Et vt tribus verbis rem absoluam: Ipse Christus vult, vt Scribæ & Pharisæi sedentes in Cathedra Moysi audiantur.

Matth. 21.

Dicit ab eis auferendam vineam & regnum Dei; nondum vtique ablatum insinuans. Quocirca etiamsi probarent hæretici, in scripturis predictum esse, Sedem Apostolicam abolendam, regimenque Ecclesiæ mutandum (cuius contrarium apertè pronuntiat scriptura) adhuc deberemus parere Domino Saluatori, mandanti vt audiamus sedentem in Cathedra Petri, donec euidenter constaret, Cathedram Petri à Christo esse sublatam.

In Cathedra Petri sedenti est obediẽdum.

Matth. 23. Ioan. 9. Quæ verba Scribarũ & Pharisæorũ Christus iubeat seruare.

Videamus igitur, quomodo cum verbo Christi: Super Cathedra Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, consistat id, quod Ioannes narrat: Iam conspiraverant Iudæi, vt si quis confiteretur, eum esse Christum, extra Synagogam fieret: Manifestum enim est, impio illo decreto nõ fuisse parendum. Ea igitur mandat Dominus ex dictis Scribarum & Pharisæorum seruare & facere, quæ ex Moyse & Prophetis clarè prolata prædicant, & quæ circa ambiguas quæstiones legis exortas legitimo iudicio summus Sacerdos definiret. In his enim Sacerdotem summum audiendum, manifestè præcipit Moyses.

Deut. 17.

At vt ea seruentur, quæ

nulla veritatis discussione siue forma iudicij, aut seruata quidem forma iudicij, sed contra apertissima religionis dogmata, aut ex aperto & euidenti contra aliquem odio siue inuidia decernunt, nullo modo præcipit Christus: Notum est enim, tales sententias, etiam in ciuilibus, esse sæpe iniquas. Dum igitur prohibuerunt, ne quis confiteretur, Iesum esse Christum, Ioan. 9.
absq; discussione veritatis, apertum dogma ex aperto odio damnârunt.

Quòd autem formam iudicij non seruârint, nec veritatem seriò discusserint, ex eorum conciliabulis, quæ in Euangelio describuntur, est manifestum. Conuenerant ex omni castello Iudææ & Galilææ & ex Hierusalem vna dierum legis Doctores, & virtus Domini erat ad sanandum eos. Murmurant in corde suo contra Dominum, dicentes: Hic blasphemat: Sed non conueniunt, vt hoc verbum discutiant ex scripturis. Mussitant & dicunt, Christum habere Beelzebub: Improperant ei, quòd Samaritanus sit Dæmoniumque habeat: Bis volunt eum lapidare tanquam blasphemum, quòd se Deum dixisset: Sed nullam ex scripturis vel Patribus video ab eis ea de re datam esse definitionem. Aiunt, se scire Iesum esse peccatorem; sed vbi de hac re iudicium? Alibi describitur quoddam conuenticulum, vbi nonnulli iactant, populum ex ignorantia legis credere in Christũ; sed à Nicodemo ex lege refutatur præposterum iudicium:

Scribæ & Phariſei cõtra Christũ nullis iudicij formam ſeruarunt, nec veritatẽ ſeriò diſcuſſerunt.
Lucæ 5.
Mar. 3.
Ioan. 8.
Ioan. 10.
Ioan. 9.
Ioan. 7.

Ioan 11. Matt.26. *Coëgerunt ſemel concilium, in quo ſtatuerunt eum interficere; & iterum aliud, in quo propoſuerunt eum dolo tenere & occidere; tertium quoque, in quo aduerſùs Ieſum captum, falſum quærebant teſtimonium, vt eum morti traderent; in quo etiam furibundus ſciſſa contra legem veſte clamat Caiphas: Blaſphemauit. Sed nec ibi vllam audio dogmatis diſcuſſionem, nullam audio poſt allegatam legem & Prophetas & Rabbinos definitionem, quòd non eſſet Chriſtus. Similis igitur conſpiratio intelligenda eſt fuiſſe, dum ferretur hoc impium decretum, vt extra Synagogam pelleretur, qui Ieſum diceret eſſe Chriſtum.*

Phariſæi & Scribæ contra conſciẽtiam perſecuti ſunt Chriſtum. Matth.31. Matth.27. *Secundò: Manifeſtiſſimum erat & ex ſcripturis, & Ioannis teſtimonio, & Chriſti miraculis, Ieſum eſſe verum Meſſiam; vſque adeò vt etiam illi ipſi, qui eum occiderunt, hoc vtcunque iudicarent, dicentes: Hic eſt hæres, venite occidamus eum. Vnde etiam admodum eos conturbauit forma tituli: Hic eſt rex Iudæorum. Imò non titulus eis erat timori, ſed teſtimonium propriæ conſcientiæ, ex legis & Prophetarum ſcientia ortum; quo vel inuiti iudicabant, Chriſtum eſſe Regem Meſſiam. Vnde etiam quod res erat, putarunt eum reſurrecturum; aliquouſque, licet inuiti verbi eius credentes. Vnde notanter Ioannes deſcribit tantùm Pontifices doluiſſe de titulo, & Sacerdotes et Phariſæos ſolos ſepulchri cuſtodiendi fuiſſe ſolicitos.*

Ioan.19.

Deus

Dicit Matthæus, nulla Seniorum sine Magistratus Matth.27.
culus mentione facta; quia Ecclesiastici melius scripturas intelligebant de Messia loquentes, quàm laici.
Manifesta item erat doctrina scripturæ de honoran- Matth.15.
dis & non maledicendis parentibus, de non peierando, nec menticndo, de inimico in necessitate constituto iuuando, deq; multis similibus. Quibus cùm contraria docere Pharisæi & Scribæ, absq; vlla præuia legitima discussione, inciperent, Dominus Discipulos Matth.16.
suos, vt à fermento doctrinæ corũ cauerent, monuit.
Rectè verò doctrinam eorum appellauit fermentum; quia nondum tunc occupauerant errores illi populum, vt doctrina vera ei esset obscurata: Nondum fermentatum erat totum; etsi initia sequuturæ cæcitatis populi Iudaici, iam per Pharisæos nonnullos essent posita: Ex cathedra Moysi adhuc contra hos errores manifestos, veritas aperiebatur: Prædicabatur enim Moyses in Synagogis, per singula Sabbatha. Absit, vt Actor.15.
omnes Pharisæos & Scribas putemus fouisse doctrinam periurij, illusionis parentum, odij inimicorum.
Nicodemus Pharisæus erat, Gamaliel Scriba; & ille Matth.22.
Scriba, qui rectè de primis mandatis legis respondit, laudatur à Domino, tanquam propinquus Dei regno.
Tertiò: Omnibus constabat, tantùm ex inuidia eos contra Christum conspirasse; vsque adeò vt & Pilatus, homo Gentilis, religionis Iudaicæ contemptor, sciuerit, quòd per inuidiam tradidissent ipsum.
Non igitur prohibitio confessionis Christi habenda Matth.27.

Prohibitio doctrinæ Christi non docebatur ex Cathedra.

erat inter ea, quæ ex Cathedra docebantur. Vnde non inuenimus Euangelium docere, in templo vel Synagogis prædicatum fuisse, ante Christi resurrectionem, Iesum non esse Christum. Imò inuenimus, multos Principes, hoc decreto non obstante, nihilominus credidisse in Christum, nec vllam huius decreti inuenimus, ante eiusdem resurrectionem, executionẽ. Nam

Multi Iudæi Christum confessi sunt publicè. Matth. 21.

& Martha, atque soror eius Maria, & turba, quæ, cùm ille asino insidens veniret Hierosolymam, eum clamauerat esse Regem Israël, quodque cum eo veniret regnum Patris eorum Dauid; satis apertè confitebantur, eum esse Christum, nec tamen eos extra Synagogam eiectos legimus. Is autem, quem Christus liberauerat à natali cæcitate, eiectus est ab eis foras, non quia violauerat hoc decretum: Dixerat enim eũ

Ioan. 9.

Matth. 2.

esse Prophetam atque Dei cultorem & à Deo; non tamen, esse Christum.

Cathedra Moysis vsq; ad Christũ fuit conseruata. Matth. 17. Actor. 15. Ioan. 5.

Audi quid impij in Cathedra docebant, Christum nimirum in Bethlehem Iudæ nasciturum, ex stirpe Dauid; ante eum venturum Heliam. Prædicabant Moysen, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbathum legebantur; quibus si ipsimet credidissent, credidissent & Christo, vti apud Ioannem dicit Christus.

Denique vt cognoscamus, quàm verax sit Deus in promissis suis, quibus Cathedram Moysi vsque ad Christum custodire statuerat, audiamus, quæso, mirabile consilium misericordiæ Dei. Dum Pontifex & Phari-

& Pharisæi, qui Cathedram Moysi occupabant & ex quorum ore lex requirenda erat à populo, odio immani cõcilium cõtra Christum coëgissent & dixissent: Ioan. 11.
Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit; si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani & tollent nostrum locum & gentem: Respõdit Caiphas: Vos nescitis quicquã, nec cogitatis; quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Habes, quid de Iesu Caiphas pronuntiârit in eo Concilio, vbi saltem species erat atque prætextus solicitudinis pro bono communi, ne Romani tollerent locũ & gentem. Certè non definiit, quòd non esset Christus, sed quòd moriturus esset pro gente, ne tota interiret; hoc est, quòd expleturus esset officium illud, quod soli Christo tribuerant Prophetæ & Moses. Et licet ipse Caiphas, verba Spiritus sancti in corde suo data in falsum sensum detorquẽs, magis voluerit Christo maledicere, quàm benedicere; tamen Spiritus sanctus, in cuius manu sunt vniuscuiusque sermones & corda, per os Caiphæ prophetauit, quòd Iesus esset tanquam mundi Redemptor moriturus: Sicut quondam per Balaam, volentem maledicere populo Israël, ei Num. 22.
dem populo benedixit, quia populũ Israël dilexit (ait Deut. 23.
Moses) & vt Israël cognosceret iustitias Domini (ait Mich. 6.
Micheas) hoc est, fidelitatem Domini in promissis. Sic Ioannes dicit, Caipham prophetasse, quia Pontifex Ioan. 11.
erat anni illius; quasi diceret: Quia Dominus vera loqui voluit per eum, qui Cathedrã Mosis occupabat; ideo

Caiphæ vaticinium de liberatione humani generis per Christum.

ideo Caiphas prophetauit, quòd Iesus moriturus erat pro Iudaico populo, & non tantùm pro illo, sed etiam vt totum genus filiorum Dei, qui fide venturi Christi, in vnius Dei cultum, congregati non erant, sed per multos errores cultusq; falsorum Deorum dispersi, nulla sui parte periret, sed totum à sui dispersione, ad vnum Deum, & vnum Pastorem Christum in vnam Ecclesiam congregaretur.

Agitent argutuli Ioannem Apostolum, & rusticæ simplicitati deputent, quòd Pontificatui Capiti tribuat prophetiã præcipui officij Christi: Nobis animus est, Apostolicam ruditatem, cœlestem sapientiam credere. Et quia Christi verbum excidere nequit, audemus dicere, Spiritum sanctum nos docere etiam per impium Pontificem; scientes, quòd si Christus Moysi Cathedram custodiuit inter tot sceleratos, multò magis Petri Cathedram proteget, vt ex ea in Ecclesiam non emanet nisi Petri fides; idq; quia Ecclesiam suam diligit, & verax est in promissis suis.

Ioan. 11.

Matth. 24.

Promissiones Cathedræ Petri factæ, quomodo accipiendæ.

Ex dictis manifestum est, non hoc requiri ad veritatem Diuinæ promissionis, qua promisit per Mosi Cathedram vsq; ad Christum, & deinde per Petri Cathedram vsq; ad iudicium confirmare fideles, etiam quæ manifestissima sunt, à Cathedra conuelli possint, & si qui fortè, nomen Cathedræ suæ stultitiæ prætexentes, hoc conarentur, Dominus incautos præmunit, Cathedram dixit tunc consulendam, cùm difficile & ambiguum iudicium esse perspicitur.

Deut. 17.

Quare

Quartò: Neque hoc requiritur ad eiusdem promissionis veritatem, vt mox verbum Dei sit, quod aliqui ex aperto odio aliõue prauo affectu præscripserint super exorta controuersia, absq; seria veritatis examinatione. Non hoc habet Catholica traditio, pro prauo suo affectu, posse Petri successorem quidlibet definire: Sed hoc dicunt Catholici, quòd cùm difficilis quæstio fuerit in religione exorta, totã rempublicam Christianam concernens, ad eum sit referenda, qui toti Ecclesiæ præfectus est, vt ab illo tradatur, quod vniuersa Ecclesia sequi debeat: Si enim ad alios essent huiusmodi quæstiones referendæ vel ab aliis diiudicandæ; cùm vnus alteri non subsit, tot efficerentur doctrinæ in religione, quot prouinciæ. Et quid dico: Quot prouinciæ. Imò quot capita, tot essent sententiæ de religione: Sicut, prò dolor, hodie videmus, cùm semel data esset libertas ab Hæreticis, non sequendi vnum à Christo positum Pastorem. Ipse Apostolus Paulus, tametsi ab ipso Christo Euangelium edoctus, nihilominùs cum Petro ac Ioanne & Iacobo contulit, vt constaret, omnibus eum à capite Ecclesiæ & reliquis columnis non dissentire. At Hæretici omnibus modis cauent, ne de sua doctrina examen fiat, ne Ecclesiæ Pastori iudicium deferatur, quia sciunt eam non à Christo sibi traditam, non ab antiqua Ecclesia susceptam, sed à se adinuentam; ideoque à Pastore Ecclesiæ, vt notham reiiciendam fore, si ei consideranda proponeretur.

Difficiles quæstiones fidei quomodo ad Sedem Petri referendæ sint.

Galat. 2. Aug. cap. 4. lib. 28. contra Faustũ.

Hæretici doctrinam suam non subiiciunt iudicio Præsidum Ecclesiæ.

Cùm

Cùm verò ad primum Pastorem aliqua controuersia circa dogma religionis prolata fuerit, non pro sui capitis phantasia statim pronuntiare, sed & aliorum Pastorum iudicium audire debet, siue eos simul conuocando, siue vnoquoque eorum in loco suo manente, eorum sententias literis transmissas cognoscendo, præcipueque ad præcessores suos attendere, quid illi vel tradiderint, vel de exorta quæstione definierint. Quin imò vnitatis fiducia sit, vt si in aliquo ipse primus Pastor vt homo errauerit circa fidei doctrinam, ab aliis Pastoribus arguatur, errorque monstretur, quomodo Paulus Apostolum Petrum, Galat. 2. *dum reprehensibilis esset, redarguit. Sicque fit, vt error hominis illius, qui Petri Cathedram tenet, promissione eidem Cathedræ præstita emendetur: Sit in Cathedra impius, sit infidelis, sicut erant in Moysi Cathedra ipsi Moysi non credentes; cœlestis Magister Christus in Cathedra vnitatis doctrinam posuit veritatis.*

OBIECTIO NOVATORVM X.

Promissiones Synagogæ factæ obiiciuntur contra successionem Ecclesiæ Christi.

Pontifices & Sacrificuli, adeoque vniuersus populus Israëliticus, non minùs habuerunt suas præsentiæ Dei promissiones, quàm nunc Ecclesia post diuulgatum Euangelium filij Dei habet; & tamen errarunt. Ergo etiam Pontifices & Sacrificuli Papistarum, qui sibi videntur vniuersalem Ecclesiam repræsentare, errare possunt.

RESPO-

RESPONSIO CATHOLICA.

Sed cætus Pontificum Christianorum magis apertas præsentiæ Christi & Spiritus sancti promissiones habent, quàm habuerunt Pontifices Iudæorum: Nam sicut illustriora nunc sunt fidei mysteria, velo sciſso, Christianis, quàm quibus velata cuncta fuerunt Iudæis; sic illustriores nunc habemus promissiones Christi & Spiritus sancti præsentiæ, quàm habuerunt olim Iudæi.

Quin hæc ipsa testimonia, quæ pro Pontificibus, Iudeorum proferuntur ex scripturis: Statuam pactum meum inter te & me: Ponam tabernaculum meum in medio vestrî: Ego sum Dominus, qui habito inter filios Israël; habitabo in medio filiorum Israël; & si quæ sunt similia; non magis ad Iudæos pertinent, quàm ad nos Christianos: Nam non omnes, qui ex circumcisione sunt Israël, hi sunt Israëlitæ, neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen; id est, non qui filij carnis, ij filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Quæcunque sunt igitur in veteri Testamento promissiones, vel populo Israël vel Leuitis factæ, nostro Christianorum cætui, qui verus Israël sumus, nostrorum Sacerdotum & Episcoporum congregationi factæ sunt.

Promissiones Synagogæ factę, de Ecclesia Christi intelligendæ sunt.
Gen. 17.
Leuit. 26.
Num. 35.
3. Reg. 6.
Roman. 9.

Quamuis & illud valde credamus Diuinæ bonitati, quemadmodum etiã Scripturæ sacræ & exemplis Sanctorũ consoniũ est, nunquam defuisse etiam in illo populo

Etiã in Iudaico populo semper fuerunt aliqui pij.

populo aliquos, apud quos & fides & expectatio ad-
uenturi Christi, vitaque consona legi, imò & gratia
Christi perseuerarint: Ii enim sunt, qui eundem Spiri-
tum habuerunt, quorum quàm plurimi, etsi sub um-
bra illa legis & carnalium promissionum figuris ege-
rent, tamen iam ad Gratiam Christi & nouum Te-
stamentum pertinebant: Hoc ostendit, quod frequen-
ter Scriptura sancta loquitur de sanctis fidelibusque
illorum temporum, in quibus maximè iniquitas re-
3. Reg. 19. ualuisse videbatur in illo populo, vt tempore Achab
iniquissimi illius Regis, quando Elias sibi solus vi-
debatur supereſſe in decem illis tribubus separatis a
Iuda, & tamen cura fuit Deo multorum milium ser-
uandorum, etiam in populo illo idololatriæ dedito, &
alieno à Dei cultu.

Tempore Aduentus Christi fuerunt aliqui pij in Iudaico populo.

Sed & tempore ipso Aduentus Christi, cùm ipse
nasceretur, & cuncta in illo populo confusa, & quo-
dem deiecta viderentur, amisso iam regno & ad alie-
nigenam delato, & redactis omnibus ad imperium
Gentium, historia ipsa Euangelica nos docet, non de-
fuisse quàm plurimos iustos, & incidentes in omnibus
mandatis Domini sine querela, viuentesque in ex-
Luc. 1. & 2. spectatione Christi; vt Zacharias ille, Simeon, Anna
& cæteri, quibus ipsa in templo loquebatur de illo, o-
mnibus, qui expectabant redemptionem Israël.

Ex his igitur & multis aliis illud libenter am-
plectimur, illi populo promissiones præsentiæ Dei gra-
tiæque eius factas fuisse. Et quoniam Sacerdotum
doctrina

doctrina legis commissa erat, illud etiam probabile est, nunquam defuisse Deum illis omnibus, vt permitteret omnes errare & populum, qui eos sequebatur, in errorem ducere, quàm diu ab illis necessariò pendebat populus, quod verba ipsius Christi maximè confirmãt: Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Phærisæi; quæcunque dixerint vobis, facite & seruate; secundum verò opera eorum nolite facere. Matth. 23.

OBIECTIO NOVATORVM XI.

In Deuteronomio promittit Deus, se fore in medio exercitus Israëlis: Non timebis, inquit, eos, quia Dominus Deus tuus tecum est. Et mox: Dominus Deus vester in medio vestrî est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. Quid hac promissione clarius? Et tamen, quoties sunt ab hostibus cæsi & oppressi? Dicemus igitur, promissiones Dei esse vanas & irritas? Nullo modo. Sed ostendimus, tales promissiones Dei non pertinere ad incredulos, ad impios, ad sceleratos, inobedientes & impœnitẽtes; vt frustra glorieris de successione & promissione, si non succedas pietati, & non accipias promissionem fide atq; fidei obedientia. Deut. 20. Promissiones Israëlitis factæ obiiciũtur cõtra successionem Sacerdotum in Ecclesia Christi.

RESPONSIO CATHOLICA.

Promissio hæc non est de Spiritus sancti præsentia, qui custodiat ab errore; sed de felicitate terrena, cuius generis esse videntur veteris Testamenti promissiones, quas sub conditione factas esse constat omnes: Dicit enim Moyses: Cùm autem dederit tibi Dominus Differunt promissiones veteris & noui Testamenti. Deut. 29.

cunctam terram, quam Patribus tuis pollicitus est, si tamen custodieris mandata eius, & feceris, quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius omni tempore. Manifestius autem id videre licet in alio loco, vbi sic loquitur: Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius, quæ hodie præcipio tibi, hodie faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis Gentibus &c. Et recenset benedictiones multas: Quibus recensitis, subdit: Quòd si audire noluueris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, venient super te omnes maledictiones istæ: Quas maledictiones deinceps enumerat. Nunquam igitur irritæ fuerunt promissiones Dei: Quoties enim ambulauerunt in viis Domini, fuit semper Dominus cum illis: Dimicauit pro illis contra aduersarios, & eruit eos de periculis omnibus. Cæterùm si quando dereliquerunt vias Domini, dereliquit eos vicissim Dominus, nec vnquam eius promissio vana fuit & irrita.

Deut. 28.

Promissiones noui Testamenti quales.

Euangelium contrà diuersam habet promissionem: Non enim terrena ista & caduca, sed sempiterna felicitas nobis promittitur; neque tamen atque conditione, sicut vos docetis, sed sicut Christus docet: Si vis ingredi vitam, serua mandata: Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea: Sicut imitator Christi Paulus docet, qui compati nos oportere scribit, i

Matth. 19.
Ioan. 3.
Rom. 8.

conglorificari; commori, si conuiuere; sustinere, si 2. Tim. 2.
coregnare volumus.

Quòd si tu nunc ab ista tuorum doctrina discedis, & non solùm ad incredulos & impios, verùm etiam ad sceleratos & inobedientes, qui mandata non seruant, eiusmodi promissiones pertinere negas, laudamus te, qui cum Ecclesia Catholica tandem aliquando sentire cœperis, & Christi, quàm Lutheri doctrinam, vel hac saltem in parte, malueris sequi; neque sola fide, sed adiuncta ei obedientia Christianos hoc genus promissiones assequi posse doceas. Verùm non de hoc promissionum genere nunc inter nos agitur; libenter hoc tibi concedimus, quòd sicut sub lege terrenam, sic etiam hoc tempore Gratiæ, cœlestem beatitudinem non incredulus tantùm ac impius, verùm sceleratus ac inobediens assequitur nullus.

Mali Pontifices propter peccata non amittũt priuilegia Cathedræ.

Quòd autem priuilegium, Petri præcipuè Cathedræ promissum, statim aliquis amittat, simul vt criminis alicuius affinis factus fuerit, nec in eorum, quorum locum tenet, pietatem sanctitatemque successerit, id verò tibi concedemus nunquam: Etiam qui super Moysi Cathedram sedebant Scribas & Pharisæos, quamuis dicerent tantùm & non facerent, audiri tamen Christus voluit: Et non magis audiri Matth. 23.
debebunt, qui sedent super Cathedram, quam illa Mosi figurabat, etiamsi dicant & hi, non autem faciant?

cunctam terram, quam Patribus tuis pollicitus est, si tamen custodieris mandata eius, & feceris, quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius omni tempore. Manifestius autem id videre licet in alio loco, vbi sic loquitur: Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius, quæ hodie præcipio tibi, hodie faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis Gentibus &c. Et recenset benedictiones multas: Quibus recensitis, subdit: Quòd si audire noluueris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, venient super te omnes maledictiones istæ: Quas maledictiones deinceps enumerat. Nunquam igitur irritæ fuerunt promissiones Dei: Quoties enim ambulauerunt in viis Domini, fuit semper Dominus cum illis: Dimicauit pro illis contra aduersarios, & eruit eos de periculis omnibus. Cæterùm si quando dereliquerunt vias Domini, dereliquit eos vicissim Dominus, nec vnquam eius promissio vana fuit & irrita.

Deut. 28.

Promissiones noui Testamenti quales.

Euangelium contrà diuersam habet promissionem: Non enim terrena ista & caduca, sed sempiterna felicitas nobis promittitur; neque tamen absque conditione, sicut vos docetis, sed sicut Christus docet: Si vis ingredi vitam, serua mandata: Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea: Sicut imitator Christi Paulus docet, qui compati nos oportere scribit, i

Matth. 19.
Ioan. 3.
Rom. 8.

conglorificari; commori, si conuiuere; sustinere, si 2. Tim. 2.
conregnare volumus.

Quòd si tu nunc ab ista tuorum doctrina discedis, & non solùm ad incredulos & impios, verùm etiam ad sceleratos & inobedientes, qui mandata non seruant, eiusmodi promissiones pertinere negas, laudamus te, qui cum Ecclesia Catholica tandem aliquando sentire cœperis, & Christi, quàm Lutheri doctrinam, vel hac saltem in parte, malueris sequi; neque sola fide, sed adiuncta ei obedientia Christianos hoc genus promissiones assequi posse doceas. Verùm non de hoc promissionum genere nunc inter nos agitur; libenter hoc tibi concedimus, quòd sicut sub lege terrenam, sic etiam hoc tempore Gratiæ, cœlestem beatitudinem non incredulus tantùm ac impius, verùm sceleratus ac inobediens assequitur nullus.

Mali Pontifices propter peccata non amittũt priuilegia Cathedræ.

Quòd autem priuilegium, Petri præcipuè Cathedræ promissum, statim aliquis amittat, simul vt crimmis alicuius affinis factus fuerit, nec in eorum, quorum locum tenet, pietatem sanctitatemque successerit, id verò tibi concedemus nunquam: Etiam qui super Moysi Cathedram sedebant Scribas & Phariseos, quamuis dicerent tantùm & non facerent, audiri tamen Christus voluit: Et non magis audiri debebunt, qui sedent super Cathedram, quam illa Mosi figurabat, etiamsi dicant & hi, non autem faciant? Matth. 23.

Dicunt enim, quæ Dei sunt; faciunt, quæ sua sunt.

Propter Pastores malos non est deserenda Cathedra & vnitas.

Dicunt bona ex Cathedra Christi, faciunt mala ex pestilentia sua. Absit autem, vt Cathedræ sanctitas deseratur, & propter Pastores malos gregis vnitas violidatur.

Iacob. 2.

Monet Iacobus, ne Christi fidem in acceptione personarum habeamus.

Aug. libr. 1. cap. 2. cõtra literas Petiliani.

Augustinus autem etiam à perfido fidem aliquem percipere posse docet.

Num. 22.

Per Asinam loqui Dominus dignatus est; quî minùs loquatur per hominem, quamuis grauibus flagitiis coopertum?

Ioan. 3.

Spiritus vbi vult spirat, etiamsi voluntati eius is, qui loquitur, non semper conueniat.

Num. 23. Dei Spiritus etiã per malos prophetat, & vera sanctaque prædicat.

Balaam pretio conductus, vt populo Dei malediceret, profectus fuerat; contrà tamen atque animo destinauerat, simul ac in conspectu populi venit, benedixit.

1 Reg. 19.

Saul Rex ad occidendum Dauidem properauerat, cuius posteaquàm potestas ei fuit facta, contrà quàm proposuerat, veniens ad cuneum Prophetarum, in quo Dauid erat, prophetauit & ipse coram Samuele cum cæteris, cùm factus esset super eum Spiritus Domini.

Quis ignorat, quales fuerunt Sacerdotum Principes & Scribæ temporibus Herodis, qui tamen vbi nasceretur Christus interrogati, semota quamuis cunctatione, dixerunt, in Bethlehem Iudæ.

Matth. 2.

Caipha quid potuit esse nequius? qui quem scelerate nactus erat Pontificatum pretio redemptum, gessit etiã

te etiam sceleratiùs. Et tamen is cùm diceret: Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat; non à semetipso hoc dixit, quemadmodum Ioannes testatur, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit. Si non destituebatur dono prophetiæ; quamlibet esset impius, qui sedebat in Mosis Cathedra; certè multò minùs eo destitui credendus est, qui sedet in Cathedra Petri, super quem Christus ædificauit Ecclesiam suam; cuius à Domino cura suscipitur singularis: Pro cuius fide propriè supplicatur; tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit, aduersùs quem nunquam esse portas inferi prævalituras, promisit Veritas.

Ioan. 11.

Matth. 16. Sedēs in Cathedra Petri non destituitur assistētia Dei in iis, quæ sunt fidei. Luc. 22. Matth. 16.

OBIECTIO NOVATORVM XII.

Apparet ex iis verbis Pauli (modò hominibus suadeo an Deo) quàm infirma contra nos sint & nugatoria, quæ ex autoritate Patrum & perpetuo (vt aiunt) Ecclesiæ consensu deriuantur argumenta. Paria certè & similia sunt calumniis, quibus falsi & veteratorij Apostoli, Galatarum circumscriptores, aduersùs Paulum vtebantur, quæ omnes Petri ac cæterorum Apostolorum autoritate fulciebantur. Pauli igitur exemplo ad illa omnia sic respondemus: Siue Cyprianus, Ambrosius, Augustinus; siue Petrus, Paulus, Ioannes; siue Angelus è cœlo aliter, ac nos docuerit, doceatque; certum tamen nobis est & exploratum, quòd Diuina suademus, non humana;

Galat. 1.

Galat. 1.

quæ tam animo videmus, quàm ea quæ oculis cernimus.

RESPONSIO CATHOLICA.

Vehementiùs certè hoc loco agendum esset, quam mea ferat in omni disciplinarum genere tenuitas, & summa verborum inopia, qui ab eloquendi facultate & copia vsq; adeò sum inops, vt cogitata mentis exprimere vix possim. Sed quæ tanta potest esse dicendi aut scribendi vis tantaque copia, quæ ad orationem huius insolentiam & arrogantiam comprimendam satis esset, qua nulla vnquam audita est in Ecclesia magis indigna, magisque intoleranda?

Insolentia & temeritas Hæreticorum.

Paulo primùm pares se faciunt, qui positus à Deo fuit prædicator, Apostolus & Doctor Gentium in fide & veritate. Patribus deinde omnibus se præferũt; quorum alij sanguinis effusione testimonium dederunt veritatis: Summa alij vitæ, & morum innocentia præditi, à Deo vocati Ecclesias administrârunt, & pro veritate & animarum salute aduersùs Hæreticos semper acerrimè pugnârunt. Hos omnes isti, qui nulla vocatione, nullo grauiore testimonio, nullo insigni iudicio, in verbi ministerium irrepsere, contemnere atque infra se ducere, pertinaciter audent. Quorum audacia non verbis & disputationibus, sed vinculis refrenanda erat & carceribus: Sed quod nostrum est, agamus.

Lutherani affingunt verbis Pauli falsum sensum.

Primùm in hoc argumento vitiosum illud est, quòd hoc loco non id agit Paulus, quod illi attribuunt

verbi

verùm ostendit, in Euangelij prædicatione, Dei à se gratiam quæri, & non hominum beneuolentiam: Neque enim (vt fingunt) sic loquitur: Diuina sua-deo non humana. Sed (vt illis iisdem vtamur verbis) quæ ille scripsit, ἀντρωπος πειθω ἐς τὸν θεόν, inquit. Quod quidem explanans subiungit, εἰ ἔτι ἀνθρώποις ἀρέσκειν.

Sed esto, ea sit Pauli hoc loco oratio, & sententia, quam illi attribuunt, quando nulli dubium esse potest id, quod ipse multis locis apertè explicat, Diuina illū prædicasse, non humana; alterum erit in argumento vitium, quòd Pauli orationem deprauata quadam imitatione vsurpant: Illius enim verba tantùm exprimunt; cùm res atque causa tota alia sit: Falsi namque Apostoli Petri & aliorum Apostolorum autoritatem fictè & fallaciter Paulo opponebant, qui nihil ab illis diuersum, nihil disiunctum vel sentiebat vel docebat. Cum quibus Euangelium suum cùm contulisset, contrà quidem illi nihil dixerant, quin porrecta dextera, ea lege coniuncti consociatique sunt, vt illud quidem Euangelium in Iudæa illi. Paulus verò apud alias Nationes prædicaret. Actor. 15.

Catholici quomodo vtantur Patrum testimoniis.

Nos verò omnia Patrum testimonia, quibus ad istorum, aut noua, aut potius rediuiua dogmata refellenda, nostraque, id est, antiqua & Catholica comprobanda vtimur, non fictè fallacitérue detorta; sed verè fideliterque citata ex eorum

monumentis & scriptis proferimus in medium; & ea quidem ipsimet confiteantur necesse est: Nam sedulitatis initio magnis clamoribus à Papa ad Concilium, posteriorum Theologorum sententiis ad Patres cum appellassent; postea verò animaduertissent, quantopere ab omnibus illorum cogitationibus, purissima Patrum doctrina, & Conciliorum sanctissima Decreta abhorrerent; statim & Conciliorum & Patrum verissimum sapientissimumque iudicium fugere & horrere cœperunt; illos ipsos iudices, quos sibi delegerant, deridentes & contemnentes.

Pugnat contra Pelagianos Augustinus sanctarum Scripturarum testimoniis, quas cùm videret ab illis labefactari, & in alienos sensus flecti & detorqueri, autoritate agit sanctorum totius Orientis & Occidentis Episcoporum: Quorum iudicio quantum tribuendum sit, in hac quoque, quam nunc agimus, caussa eius nos oratio docebit: Omnes (inquit) iudices ab odio, amicitia, inimicitia, ira, vacuos esse decet: Pauci tales poterunt inueniri; sed Patres, quos commemoraui, tales fuisse credendum est. Verùm tales etsi non fuerant in his caussis, quas ad se delatas, & inter partes cognitas, cùm hîc viuerent, suo iudicio definierunt, ad hanc tamen caussam tales erant; quando de illa sententias protulerunt, nullas nobiscum vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt: Neque nobis neque vobis irati sunt, neque nos neque vos miserati sunt

Aug. libr. 2. contra Iul. cap. 10. Patres iudices fidei cõtrouersiarũ omni exceptione maiores.

Qua

Quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos iudices aliquid agebamus, & apud eos acta est caussa nostra: Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus: Nondum nobiscum certabamus, & eis pronuntiantibus vicimus.

Quæ omnia non magis pro Augustino sunt contra Pelagianos, quàm pro nobis; imò pro Catholica Ecclesia contra istos, qui & scripturas sanctas peruersa interpretatione depranant, & Patrũ ac sanctorum Conciliorum autoritatem repudiant, vt soli recta & vera sapere videantur: In quo vt omnium sunt hominum stultissimi, ita arrogantissimi.

OBIECTIO NOVATORVM XIII.

Pontifices & Sacerdotes, promissionibus de præsentia Dei excitati & turgidi, semper in ore habebant, semper iactitabant & vociferabantur: Templum Domini, Templum Domini; profectò non aliter, quàm Papistæ nostris hisce temporibus nihil aliud crepant & clamant, quàm Ecclesia, Ecclesia. At cùm hos errasse constet, cur non possent & Papistarum Pontifices hac in re falli ac errare?

Hier. 7. Templum Domini, Tẽplum Domini &c. obiicitur cõtra Catholicos, allegantes autoritatẽ Ecclesiæ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Arrogantia illa Iudaicorum Pontificum & Sacerdotum verba, cùm ab impœnitentibus & sceleratis prolata fuerint, meritò reprehenduntur, & verba

mendacij appellantur, non quia Templum Dei non erat, sed quia à sacrilegis cordibus Deum contemnentibus, & nihil minus, quàm Diuinam spectantibus reuerentiam, & nunc sumentibus superbiendi, & contemnendi Dei leges ansam, dicebantur. Sic omnis Episcopus, aut Doctor, qui in sua autoritate sapientiæ & gradu gloriatur, vitæ sanctitatem non curat, arguitur à Propheta. At verò subditorum est, quos

Matt. 23. Christus Dominus iubet: Quæcunque dixerint vobis, seruate & facite; secundùm opera eorum nolite facere: Quod de illis dictum est, qui supra cathedram sedent Moysi, qui legitimè adepti sunt autoritatem docendi & gubernandi Ecclesiam, his dicit Christus:

Ioan. 8. Ex patre Diabolo estis. Et:

Matt. 23. Væ vobis, qui clauditis regnum cœlorum ante homines. Et: Serpentes, Genimina viperarum: Et tamen non eos negat Sacerdotes, nec ab eorum obedientia subtrahit populum; nec ab eorum Templo aut Sacrificiis seipse vnquam segregauit; nec translato iam Sacerdotio per mortem eius, quàm diu Synagoga, vt Augustini verbis dicamus, cum honore ducebatur ad sepulchrum, ante plenam scilicet prædicationem Euangelij, Apostoli ab eorum Pontificatu se subtraxerunt; sed potiùs illos manifestè agnoscunt, Principes populi & Seniores, inquit Petrus.

Actor. 4.

Ioan. 11. Denique Caiphas ipse prophetasse dicitur à Ioanne Euangelista: Non, inquit, à se ipso, sed cùm esset Pontifex anni illius. Pontifex itaque erat, & quidem ex illis

illis, quibus Christus dixit. *Vos facitis opera patris vestri, ille homicida erat ab initio.* Non tamen mentitur Euangelista, qui eũ esse Sacerdotem dicit: Multò minùs Deus ipse fallitur, qui Prophetiæ dono dignitatem eius honorat. Ioan. 8.

Non ergo, quia frustra confidebant quidam Hieremiæ temporibus in verbis mendacibus, dicentes: Templum Domini, Templũ Domini, Templum Domini; propterea nostris temporibus minùs confidenter nobis clamare licet, Ecclesia, Ecclesia: Siquidem diuersa fuit illorum ratio; qui cùm non corda solùm, sed & manus haberent pollutas, furto, homicidio, periurio, adulterio, sacrilegio & cultu eorum Deorum, quos nesciebant; audacter nihilominus ingrediebantur domus Dei limen, & erecta ceruice stantes, exauditum iri preces in eo suas persuasum habebant. Non hac ratione nos clamamus, Ecclesia, Ecclesia; non in manufacto Templo confidimus: Sed cùm Ecsiam esse dicat Paulus columnam & firmamentum veritatis; cùm non præualituras aduersùs eam portas inferi Christus promittat, eius promissioni, qui fallere nescit, fidentes, quicquid est vnanimi totius Ecclesiæ consensu constitutum, id ab ipso Spiritu Veritatis cùm esse profectum indubitanter credamus, ei firmiter innitimur, deq; eo gloriamur. Hierem. 7. Recte Christiani fidũt Ecclesię, sed non Iudæorum more vt obiiciũt Nouatores. 1. T. m. 3. Matt. 16.

Quamobrem etiamsi consurgant omnes inferorum portæ, si velint irritũ reddere, quod semel per os Ecclesiæ suæ ratum et firmum esse voluit Spiritus sanctus,

nos,

nos, qui nihil veremur, etiam in Symbalo nostro, nos credere sanctam Ecclesiam Catholicam profiteri, fre-

Catholici gloriantur, de Ecclesia constanter.

mant licet omnes Hæretici, non aliud tamen præ nobis ferimus; non alia de re magis gloriamur, quàm de Ecclesia, ac magna subinde voce, ita vt omnes exaudiant, summaque confidentia clamamus, Ecclesia, Ecclesia. Hæc est, à qua nobis tradita sunt, quæ tenemus, et quæ docemus alios: Hæc est, quam in Symbolo credere nos profitemur: Hæc est, quam qui non audierit, eum tanquam Ethnicum & Publicanum haberi iubet Chri-

Matt. 18.

stus: Hæc est, aduersùs quam idem, ne portas quidem inferi prævalituras esse, dicit: Hæc est, quam firmamentum & columnam veritatis vocat Paulus: Hæc est, quam cùm ducem sequimur, errare nos nulla ratione posse, certum & indubitatum habemus.

Matt. 16.

1. Timot. 3.

Constantia Catholicorum in Ecclesia.

Quamobrem etiamsi rumpantur vobis ilia ô ter quaterque miseri Hæretici; tamen hæc est prædicatio, hæc est gloriatio nostra, neque nos pudebit vnquam Ecclesiæ Dei, neque, sicut vos fecistis, ab ea discedemus vnquam. Animas nostras priùs à corporibus nostris separari patiemur, quàm vt ab ea nos vnquam separari permittamus. Nihil est igitur, quòd iis Hieremiæ verbis nobis insultetis: Quin illud videte potiùs, ne multò nos veriùs obiicere vobis possimus ex eodem Hieremia, quod ille non vno loco scribit de huius generis mendacibus Prophetis; quòd currebant, cùm eos non misisset Dominus; quòd prophetabant, cùm non esset ad eos locutus Dominus; quòd subinde vociferen-

Hier. 23.

Hier. 14.

Hier. 27. & 29.

bantur.

bantur: *Verbum Domini*: *os Domini loquutum est*: *Hæc dicit Dominus*; *cùm tamen Dominus hæc loquutus non esset, quæ ipsi dicerent; quos etiam ille fures verborum suorum vocare non dubitat*: *Qui sunt enim alij, qui magis aures nostras obtundant iis vocibus*: *Verbum Dei*, *Verbum Dei*, *Euangelium*, *Euangelium*, *quàm vos? cùm tamen, quod vos profertis, Verbum Dei non sit; cùm aliud sit longè loquutum os Domini, quàm quod vos per ea scripturarum verba, quæ producitis, eum loquutum fuisse vultis*: *Verum enim est, quod ille scripsit*: *Scripturæ non in legendo sunt, sed in intelligendo; non in prævaricatione sunt, sed in charitate.*

Heretici clamant: Verbum Domini, Verbum Domini, Euangelium, Euãgelium &c.

Hilar. in li. ad Constantium.

Quòd si charitatem haberetis, nunquam ab Ecclesia vos divideretis, cuius si gremio conderemini, tum demum verum sensum scripturarum assequeremini: *Nam rectè quidam ex vestris admonet (vestros autem appello Sacramentarios quoque, cùm ex vobis eos prognatos esse constet) rectè, inquam, Caluinus vester admonet, & peculiariter notandum esse dicit, quòd non est extra Ecclesiam sanæ intelligentiæ scripturarum lux. Hanc igitur cùm vos deseruerit, quin & nobis tanquam probrum aliquod obiiciatis, quòd clamamus Ecclesia, Ecclesia, quòd eam nos ducem sequi præ nobis ferimus, fieri nulla ratione potest, vt sanæ Scripturarum intelligentiæ lucem habere queatis, quæ extra Ecclesiam, cui tam acerbè vos insultatis, nulla est. Quamobrem Andabatarum (quod aiunt) more*

Caluinus in Epistolam ad Hebr.

pugnatis

Ioan. 8. Matt. 4. *pugnatis in tenebris. Et quamuis frequenter nobis idem occinatis, quod Magistro nostro Christo magister vester Satanas olim occinebat: Scriptum est enim quandoquidem extra Ecclesiam constituti, quod scriptum est, intelligere non potestis, quid aliud, quam aërem (quod est in prouerbio) verberatis?*

Impiorum veteris Testamenti iactantia obiicitur contra perpetuam successionẽ Ecclesiæ.

OBIECTIO NOVATORVM XIIII.

Docere, Pastores & Doctores in Ecclesia semper esse duraturos, idem esse videtur, quod impij dixere apud Hieremiam: Non peribit lex à Sacerdote, nec consilium à sapiente, nec sermo à Propheta.

RESPONSIO CATHOLICA.

Hierem. 18. *Hieremias ibi refert sententias impiorum, Pseudoprophetis & falsò sapientibus & impiis Sacerdotibus adhærentium, contra veros Prophetas & Sapientes atque pios Sacerdotes. Iactabant se impij dicentes: Dominus non permittet, vt fallantur Prophetæ nostri, qui dicunt, non esse euertendam Hierusalem; non*

Impij aliqui veteris Testamenti falsò gloriabãtur, quòd non peribit Lex à Sacerdote.

permittet, vt Sacerdotes nostri in Babylonem abducantur, vt legem ampliùs ex Cathedra sua explanare non possint. Multi sunt Sapientes, qui optima consilia dare norunt, vt non eueniat, quod minatur Hieremias. A, a, a (inquit Hieremias) Prophetæ dicunt

Hier. 14. *eis: Non videbitis gladium, & fames non erit in vobis; sed pacem veram dabit vobis in loco isto. Et dixit Dominus ad me: Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo. Non misi eos & non præcepi eis, neq; locutus sum ad eos: Visionem mendacem & diuinationem*

fraudu-

fraudulentam & seductionem cordis sui prophetant vobis. Et (inquit Scriptura) audiuit Phassur, filius Emmer Sacerdos, qui constitutus erat Princeps in domo Domini, Hieremiam prophetantem sermones istos; & percussit Phassur Hieremiam Prophetam, & misit eum in Neruum, quod erat in porta Beniamin superiori in domo Domini. Rursum dicunt Principes Regi: Rogamus, vt occidatur homo iste (Hieremiam putant) de industria enim dissoluit manus virorũ etc. De his loquitur Hieremias; vt ex his, quæ præcedunt, & quæ sequuntur, clarissimũ est. Et dixerunt, inquit: Venite & cogitemus contra Hieremiam cogitationes: Non enim peribit lex à Sacerdote, neque consilium à Sapiente, nec sermo à Propheta. Venite & percutiamus eum lingua, & nõ attendamus ad vniuersos sermones eius. Attende Domine ad me, & audi vocem aduersariorum meorum.

H.er. 20.

Hier. 38.

Hier. 18.

Alioquin, vt de Sacerdotibus contra Hieremiam docentibus et Pseudoprophetis nõ sit sermo, verissimè dici potest: Nõ peribit lex à Sacerdote. Imò hoc ipsum dicit Hieremias: Non interibit de Dauid vir, qui sedeat super thronũ domus Israël. Et de Sacerdotibus & Leuitis: Non interibit vir à facie mea, qui offerat holocaustomata, et incendat Sacrificiũ et cædat victimas omnib⁹ dieb. Et factũ est verbũ Domini ad Hieremiã, dicens: Hæc dicit Dominus. Si irritũ potest fieri pactũ meum cum die, et pactũ cũ nocte, vt non sit dies et nox in tempore suo; & pactũ meum irritũ esse poterit cum Dauid

Quomodo in veteri Testamẽto nõ perierit lex à Sacerdote.

Hier. 33.

Ibidem.

Dauid ſeruo meo, vt non ſit ex eo filius, qui regnet in throno eius, & Leuitæ & Sacerdotes miniſtri mei. Sicut enumerari non poſſunt ſtellæ cœli, & metiri arena maris; ſic multiplicabo ſemen Dauid ſerui mei, & Leuitas miniſtros eius. His verbis non obſcurè pronunciat Dominus, quòd in veteri lege non defuturi eſſent Sacerdotes, donec adeſſet Chriſtus; donec, inquam, adeſſet ille, qui verus eſt Sacerdos. Quod certè completum fuiſſe patet in patre Ioannis Baptiſtæ, qui Sacerdos erat, & in multa turba Sacerdotum, quæ in Actis ſcribitur, obediſſe fidei.

Luc. 1.

Actor. 6.

CAPVT XII.

OBIECTIONES ADVERSARIORUM contra Eccleſiæ Catholicæ durationem, ſtabilitatem & antiquitatem, earumq; ſolutiones.

OBIECTIO ADVERSARIORVM I.

Hierem. 5. Autoritas Hieremiæ obiicitur cõtra durationem Eccleſiæ.

HIEREMIAS Propheta dicit: Circuite vias Hieruſalem & aſpicite & conſiderate, quærite in plateis eius, an inuenietis virum facientem iudicium & quærentem fidem; quæ diceret, non eſt aliquis. Ergo videtur, quòd aliquando fides defecerit de Eccleſia, & per conſequens aliquando deſiit eſſe.

Hierem. 7.

Item: Periit fides & ablata eſt de oreruũ: Ex quo videtur, quòd fides aliquo tempore perijt & ita Eccleſia Dei.

RESPO-

RESPONSIO CATHOLICA.

Ad duas istas autoritates ex Hieremia adductas respondetur, verba Prophetæ intelligenda esse de raritate fidei & paucitate bonorum virorum, quæ illo tempore fuit, quo prophetauit ipse Hieremias; non autem quòd omnino fides et iustitia periissent: Quoniam illo etiam tempore aliqui erant fideles & iusti, sicut ipse Hieremias, licet pauci essent comparatione malorum.

Hier. 5. & 7. Nunquã fides & Ecclesia penitùs defecerunt.

OBIECTIO ADVERSARIORVM II.

Deficiet hostia atque Sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio, vt in Daniele videre est. Ergo videtur, quòd ante finem mundi Sacramenta & Sacrificium ac fides ipsa deficient in Ecclesia: Et per consequens ipsa Ecclesia non est duratura vsque in finem seculi.

Cessatio in gis Sacrificij obiicitur cõtra durationem Ecclesiæ. Daniel 9.

RESPONSIO CATHOLICA.

Daniel Propheta non videtur loqui de consummatione totius seculi, sed de finali desolatione ciuitatis Hierusalẽ, in qua locus sanctificationis erat, vt etiam videtur exponere ipse Christus. Ciuitas autem illa primò vastata est à Tito & Vespasiano. Postea suscitatæ sunt ruinæ eius, & qui priùs aufugerant & latuerant in montibus & speluncis, reuersis Romanis, habitauerunt in parietibus ciuitatis: Deinde Elius Adrianus imaginem suam posuit in muris templi, id

Abominatio desolatiõis primo modo accepta. Matt. 24.

est, in loco, vbi fuerat templũ, vt adorarent. Ipsi autẽ eam confregerunt, nolentes tantam iniuriam sustinere: Ex quo indignatus Elius, funditus euertit ciuitatem. Rectè autem statua illa vocata est abominatio, quia, vt ait Hieronymus, abominatio secundùm veritatem idolum nuncupatur: Et additur, desolationis, quia in templo desolato atq; deserto idolũ positum est, vt dicit Glossa: Et ita argumentum non est ad propositum nostrum.

Abominatio desolationis secundo modo accepta. 2. Thess. 2. Eccles. 4.

Si verò dictum Danielis accipiatur de consummatione seculi, & abominationẽ dicat Antichristum, hominem peccati, qui in templo sedens, extollet se supra omne, quod dicitur Deus; non est intelligendum, quòd fides totaliter deficiet: Quoniam vt scribitur in Ecclesiastico: Fides in seculum stabit: Semper enim apud aliquos fides Ecclesiæ firma atq; immutabilis, vsq; in finẽ seculi, permanebit: Ita Christus ad Patrem orans, Beatissimo Petro Apostolo, quem delegaturus erat tanquã vicarium suum, Pastorem Vniuersalis Ecclesiæ pollicitus est, dicens: Ego rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua. Quòd autem dicitur, quòd deficiat hostia & sacrificium, hac ratione fortassis dictum est, quia, instante illa sæuissima persecutione Antichristi, hostia Sacrificij non in manifesto offeretur, vt ita tempore dicitur deficere in autoritate prædicta Prophetæ.

Luc. 22.

Hostia quomodo deficiet tempore Antichristi.

OBIECTIO ADVERSARIORVM III.

In Matthæo dicitur: Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas; Sed charitatem refrigescere supe-

abun-

abundante iniquitate, nihil aliud esse videtur, quàm charitatem deficere. Ergo videtur, quòd aliquando charitas deficiet de Ecclesia.

RESPONSIO CATHOLICA.

Tempore Antichristi charitas non ita refrigebit, quòd omnino deficiat ab Ecclesia, sed in aliquibus tantùm, iisq; non paucis est defectura: Vnde textus nō dicit: Refrigescet simpliciter charitas; sed multorū; non dicit omnium. Imò tempore illo apud aliquos charitas feruentissima futura creditur, qui perfectissimè inuenientur serui Christi, Martyres glorioſissimi. Vnde dicitur in Prouerbiis: Firmos faciet terminos viduæ, id est, Ecclesiæ, visibili præsentia sponsi viduatæ: Vltimos enim milites suos, tempore Antichristi, patientia & cōstātia firmabit. Et in Apocalypsi dicitur: Pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ignis ardentis: Et vltimi fideles, tempore Antichristi, erunt similes aurichalco, quia in camino & igne tribulationis decoquentur, & purgabuntur tanquā aurichalcum, quod, dū magis incenditur, puriore colore decoratur; de quo tempore Cassiodorus dicit: Ecclesia magis incipiet esse vberrima, cùm ad finē seculi erit perducta: Tunc enim passionibus electorū citò implebitur numer⁹ beatorū.

Charitas nunquam omnino deficiet in Ecclesia.

Prouer. 15.

Apocal. 1.

Cassiod. super Psal. 30.

OBIECTIO ADVERSARIORVM IIII.

In Luca legitur: Veruntamen Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra? Hoc autē non videtur dictū, nisi quia fides, ante consummationē seculi, defectura sit. Ergo videtur, quòd aliquando fides deficiet de Ecclesia.

Lucæ. 10.

Defectio fidei, in fine mundi, obiicitur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Illud dictum est, propter raritatem & paucitatem fidelium, quæ tempore Antichristi, propter maximam tribulationē, quæ tempore illo vigebit, de qua in Matthæo dicitur.

Matt. 24.

OBIECTIO ADVERSARIORVM V.

Fidem deficere posse obiicitur.

Fides istius hominis est corruptibilis siue defectibilis, & ita fides alterius; & ita de singulis, nisi sit aliquis confirmatus. Possibile est ergo, fidem in omnibus deficere.

RESPONSIO CATHOLICA.

Respondetur negando consequentiam: Licet enim fides possit deficere in aliquibus personis specialiter, generaliter tamen nunquam deficiet. Vnde his verbis nostro fauet propositio D. Thomas, dicens: Fidē Ecclesiæ militantis non esse possibile deficere totaliter, Deo ordinante, qui dicit: Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Hæc sanctus Thomas. Vnde dicimus, quòd quemadmodum singularia alicuius Vniuersalis, licet corruptibilia sint, Vniuersale tamen est incorruptibile; quia etsi non saluatur in vno individuorum, saluatur in alio per naturam. Ita etiam de fide dicimus, & per consequens de Ecclesia, quòd si non saluatur in vno, saluatur in alio per Gratiam; & hoc Diuina prouidentia fauente. Quare sicut nullum tempus fuit, postquàm incepit Ecclesia, in quo non fuit aliquis, qui Deo placeret; sic neq; vnquam erit in futurum, vsq; ad seculi consummationem.

Tho. in 4. d. 6.

Fides generaliter nunquam deficit.

Matt. vlt.

OBI-

OBIECTIO ADVERSARIORVM VI.

Liberum est credere, & non credere. Ergo possibile est, quòd tota Ecclesia, in cuius arbitrio est credere & non credere, non credat: Et ita fiat generaliter defectio fidei.

RESPONSIO CATHOLICA.

Etsi, absolutè loquendo, possibile sit, totam Ecclesiam militantem à fide deficere; considerata tamen Diuina prouidentia, cuius ordinatione fides in ea vsq; ad consummationem seculi, semper illibata permansura est, non est possibile illam deficere: Diuina enim prouidentia nunquam in dispositione sua fallitur. Vnde nunquam Deus omnes fideles permittet à fide cadere, nec aliquos sic permittet cadere, quin alios erigat, secundùm illud Iob: Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Iob. 34.

Deus nunquam permittet oēs fideles à fide deficere.

OBIECTIO ADVERSARIORVM VII.

Vniuersitas Iudæorum, quæ priùs fuit Ecclesia, iam non est Ecclesia; vnde tota Ecclesia Iudæorum videtur defecisse: Dedit enim Dominus illi libellum repudij, primò tribubus, & postea Ducibus, vt inquit Hieremias: Præuaricata est in me domus Israël et domus Iuda, ait Dominus: Negauerunt Dominum & dixerunt: Non est ipse. Ergo pari ratione tota Ecclesia in Christianis est defectibilis. Consequentia patet: Quia sicut modò Ecclesia est in Christianis, ita olim fuit in Iudæis, iuxta illud: Notus in Iudæa Deus, et in Israël magnum nomen eius. Hier. 5. Psal. 75.

Defectio Synagogę obiicitur contra durationem Ecclesiæ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Synagoga quomodo defecerit.

Ecclesia de Iudæis nunquam ita defecit, quin semper in ea aliqui essent iusti, in quibus integra fides et syncera charitas inuiolata persisteret. Sed Scriptura ita absolutè loquitur, quia comparatione malorum, illo tempore, paucissimus erat numerus bonorum.

Matth. 11.

Præterea licet Ecclesia, quæ fuit in Iudæis, defecerit, quo ad Sacramenta & ceremonialia illius legis, quia Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, non tamen quo ad Gentē. Quoniam Ecclesia ipsa, quæ est in Christianis, ex vtroque populo collecta est, Iudæorum scilicet & Gentilium, vt in pluribus locis testatur Apostolus, primiq; Discipuli Christi fuerunt, omniumque credentium primitiæ, qui ex Iudæorum Gente venerant. Non ergo tota Ecclesia de Iudæis sic defecit, vt nulli eorum in Ecclesia permanserint. Vnde Apostolus inquit:

Rom. 11.

Repulit Deus populum suum, absit: Nam & ego Israëlita sum, de semine Abrahæ, de tribu Beniamin, non repulit Deus plebem suam, quam præscit. Vbi Glossa sic inquit: Sic enim dico Iudæos esse infideles, non tamen omnes, & sic Deus repulit eos ex parte, non tamen ex toto, quia me & alios prædestinatos non repulit: Hæc Glossa.

OBIECTIO NOVATORVM VIII.

Exemplum Apostolorū tēpore Dominicæ passionis à fide

Tempore Dominicæ passionis, Apostoli omnes Christi fidem amiserunt. Vnde consequitur, quòd & Episcopi omnes Apostolis succedentes possint Christi fidem

fidem amittere: Nam quòd eo tempore in sola Beata Virgine fides permanserit, candela illa significat, quæ in officiis nostrorum dierum sola non extinguitur; vnde Discipuli lumen, quod amiserant, receperunt: Et si fortè ratio hæc infirma quibusdam videri posset, eandem omnino rem, & sanctorum Patrum & Scripturæ sacræ testimoniis confirmare possumus. deficientiũ, obiicitur cõtra durationem Ecclesiæ.

Primum ergo argumentum ex illo trahitur, quod per Matthæum Dominus dicit: Omnes vos scandalum patiemini in me ista nocte: Scriptum est enim: Percutiam Pastorem, & dispergentur oues gregis, id est, ab vnitate fidei soluentur: Sic enim Glossa interlinearis exponit. Matth. 26.

Secundum ex eo, quod apud Lucam legitur, verba mulierum nuntiantium Christi resurrectionem, visa Apostolis esse quasi deliramenta. Luc. 24.

Tertium ex eo, quod Marcus tradit, Christum exprobrasse omnibus Apostolis incredulitatem & duritiam cordis. Marc. 16.

Quartum ex Augustino in illud Psalmi: Defecerunt oculi mei: Omnes, inquit, Discipuli desperauerunt, quòd ipse esset Christus. A latrone Apostoli victi sunt, qui tunc credidit, quando ipsi defecerunt. August. in Psal. 68.

RESPONSIO CATHOLICA.

Non solùm cum ratione, sed etiam cum Sacris literis pugnat, dicere, Apostolos in vniuersum omnem fidem perdidisse: Nam vt de Petro taceamus, cuius

Luc. 22. *fidem non defeciſſe in confeſſo eſt, adhuc opinio illa de cæteris Apoſtolis, non modò non certa, ſed ne probabilis quidem eſt: Diſcipuli, inquit, abierunt in Gal-*

Mar. vlt. *læam in montem, vbi conſtituerat illis Ieſus, & videntes eum adorauerunt; quidã autem dubitauerunt. Quidam, ait, non omnes. Video autem, hanc dubitationem à nonnullis non ad Apoſtolos, ſed ad alios, nec quos, Diſcipulos referri: Sed mihi ſemper Theophyl. acti magis ac Remigij ſententia placuit, qui illam docent ad tempus, quo Chriſtus antè Diſcipulis apparuerat, referendam. Id quod Marcus, vt opinor, innuit, cùm ait: Increpauit incredulitatem & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eũ reſurrexiſſe, non cre-*

Mar vlt. *diderant: Siue enim apparitio hæc, quã Marcus ſcribit, in die Aſcenſionis fuerit, vt multis placet, ſiue antequemadmodum nonnullis etiam videtur, dubitandum non eſt, quin eas increpationes hîc Marcus recapitulando perſtrinxerit, quas ſparſim alij Euangeliſtæ conſcripſerunt: Quia iis, inquit, qui viderant eum ſurrexiſſe, non crediderant. Conſtat autem ex aliis Euangeliſtis, incredulitatem & duritiam cordis, ex ea ſcilicet cauſſa, quia his, qui viderant Chriſtum ſurrexiſſe, non eſt creditum, non ad omnes Apoſtolos pertinere. Petrus nanque & Ioannes, audito nuntio, cucurrerunt ad monumentum. At Iacobus iuxta Hebræorum Euangelium, ab hora, qua biberat Domini calicem, iurauit, ſe non comeſturum panem, donec Chriſtum videret reſurgentẽ, vt autor eſt Hieronymus.*

Non

Non igitur omnes Apostoli fidei iacturam fecisse credendi sunt; nisi, quod absurdum est, omnes infideles fuisse credideris: Non enim fides semel à Christiano susceptа, nisi per infidelitatem tollitur. Hier. in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum.

Illud absurdius, hæreseos notam Apostolis vniuersis inurere: Quod qui faciunt, idque sine idoneis & vrgentibus caussis, hi non solùm illis, sed Christo etiam et Ecclesiæ iniuriy sunt. Apostolis nota hæreseos non est inurenda.

Iam argumenta illa infirma esse quis non videt, quæ autores illius opinionis subiecerunt: Si enim quicquam probant, id solum probant, Apostolos in fidei cõfessione defecisse, aut etiam in fide viua, quæ per dilectionem operatur. Huc verò referri potest consuetudo illa Ecclesiastica extinguendi omnes cæreos præter vnum: Quanquam Rupertus asserit, extinctos cæreos priores significare Prophetas, à Iudæis interemptos, at cæreum illum, qui ad breue tempus absconditur, significare Christum. Galat. 5. Rupertus lib. de Diui. offic. 5. Explicatio extinctiõis cãdelarum in Matutinis.

Sanè verò etiam si Apostoli tunc temporis fide caruissent; non tamen inde sequitur, omnes Episcopos Christianos Apostolis succedentes, etiam posse fidem Christi amittere: Nam, vt Augustinus admonuit, tunc Apostoli defecerunt, cùm nondum erant Duces Ecclesiæ, nec illud impletum fuerat: Ego confirmaui columnas eius. Vnus ergo tunc erat Pastor Iesus Christus. At Petrus ac reliqui Apostoli, posteaquàm à Christo Pastores constituti sunt, sine controuersia fidem Catholicam semper tenuêre. Augustin. in Psal. 114. Psal. 74.

Pastores Ecclesiæ an vt homines errare possint.

Cæterùm, quod Hæretici calumniantur, Pastores Ecclesiæ homines esse, fallereq́; proinde ac falli posse, argumentum exiguum sanè atque mendicum est. Aliud quippe fuerit de humanæ naturæ imbecillitate disputare, aliud de Diuina gratia et prouidentia, qua homines in veritate fidei continentur: Tota namq; simul fidelium concio homines sunt: Prophetæ item, Apostoli & Euangelistæ homines erant, sed quoniam Spiritum veritatis accepêre, in falsam fidei doctrinam venire non poterant. Sic ergo & Ecclesiæ Doctores, viri homines quidem sunt; sed quoniam Diuino Spiritu gubernantur & aguntur in vera dogmata, nequeunt in falsa declinare.

OBIECTIO NOVATORVM IX.

Exod. 32. Aaronis & populi Iudaici vitulũ adorantis exemplum obiicitur cõtra durationẽ Ecclesiæ.

Aaron summus ille Sacerdos, aliiq; ex plebe, siue maiores siue minores, vitulum cõflatilem adorârunt, eiq; obtulerunt hostias pacificas & holocausta. Ecclesia ergo Christi ad eundem modum poterit sculptile & imagines adorare. Id si faciat, vt facit, errabit sine dubio in fide ac religione turpissimè.

RESPONSIO CATHOLICA.

Alia ratio Aaronis & populi Iudaici, quàm nunc Ecclesię Christianæ.

Hoc argumentum promptissimum est refellere, nec vno tantùm, sed multis etiam modis: Tum quòd nec Moyses nec Iosue, in quorum gubernatione tempus illud erat positum, in populi furorem & insaniam inciderunt: Tum, quod ne certum est quidem, eos, qui in castris remanserint, in flagitium omnes consensisse, qua-

quin verò similimum est, nonnullos etiam repugnasse. Nam vbi primùm Moyses illam vocem edidit: Si quis est Domini, iungatur mihi; congregati sunt ad eum omnes filij Leui, consecraruntque manus suas Domino vnusquisque in filio & in fratre suo. Ex quo intelligitur, qui ad vnam Moysi vocem se illi coniunxerint, qui à Domino steterint, quos Dominus iustitiæ suæ administros in vltione fecerit, hos in eo scelere cæterorum socios & consortes non fuisse. Quid? quòd Aaron nondum Sacerdotio fuerat initiatus, nec adhuc ei fuerat superhumerale impositum, rationalique adstrictum & aptatum, in quo erat doctrina & veritas. Nihil ergo mirum, si Aaron filiique eius nec Pastores nec populi constituti, nec Sacerdotes consecrati, in fide ac religione errarunt: Quanquam Aaron, quod & Petro & Marcellino postea accidit, metu peccauit, non infidelitate. Nihil ergo contra nos affertur, qui asserimus, Sacerdotes, Pastores iam Ecclesiæ à Christo institutos, errare omnes in fide ac religione non posse. Exod. 32. Leuit. 8.

OBIECTIO NOVATORVM X.

Synagogæ tempore Esaiæ & Hieremiæ errātis exemplū obiicitur cōtra durationem Ecclesiæ Christi.

Ecclesia Esaiæ Hieremiæque temporibus in vnius veri Dei cultu lapsa est: Quid igitur prohibet, quò minùs & nunc in Deo vno veroque colendo erret? Eadē quippe Ecclesia est, nec in hac reuulsum reperietur populi noui veterisque discrimen. Quod verò est huius argumentationis Antecedens, id eorundem Propheta-

Esa. 1. *Prophetarum clarissimis testimoniis potest ostendi. Cognouit bos, prior ille inquit, possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui; Israël autem me non cognouit &c. A planta pedis vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas. Et posterior: Confusi sunt, a*

Ibidem.

Hierem. 2. *domus Israël, ipsi & Reges eorum, Principes & Sacerdotes & Prophetæ dicentes ligno: Pater meus es tu: lapidi: Tu me genuisti. Et paulò pòst: Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus. Item: Circumite vias Hierusalem; quærite, an inueniatis virum facientem iudicium; quærentem fidem, & propitius ero ei. Ego autem dixi:*

Hierem. 5. *Forsitan pauperes sunt & stulti ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates: ipsi enim cognouerunt viam Domini. Et ecce magis isti confregerunt iugum &c. Tota igitur Ecclesia eo tempore errabat.*

RESPONSIO CATHOLICA.

Hoc argumentum, graue apparet, quo non Caluinus modò, sed Donatistæ etiam aduersùm Catholicos vsi sunt; quemadmodum Augustinus tradidit: Sed

Aug. in li. de vnitat. Eccl. ca. 12.

non est necesse noua nunc responsa meditari; quæ huic argumento egregiè ab Augustino responsum est. Plerunque, ait, sermo Diuinus impias turbas Ecclesiæ sic redarguit, tanquam omnes tales sint, & nullus omnino remanserit: Inde quippe admonemur, in illo quodam numero eas dici omnes, id est, omnes filias Gehennæ. Isti ergo vel imperitè vel fallaciter agen-

Mos Scripturæ omnes reprehendere vel laudare, cùm tamen laus vel reprehensio illa, ad quosdam tantùm pertineant.

colligunt ex Scripturis talia, quæ vel in malos bonis vsque in finem permixtos, vel denastatione prioris populi Iudæorum dicta reperiuntur, & volunt ea detorquere in Ecclesiam Dei, vt tanquam defecisse ac periisse de toto orbe videatur. Hactenus Augustinus.

Huiusmodi ergo Prophetarum oracula hunc imprimis sensum habent, vt, quoniam in comparatione malorum adeò pauci boni sunt, vt nulli esse videantur, Scriptura totum vna comprehensione populum reprehendat, quamuis in eo nonnulli sint boni.

Deinde, prædictiones propemodum illæ erant; non reprehensiones: Describitur enim populus ille, non qualis tunc erat, sed qualis post Messiæ Aduentum futurus erat.

Verque sensus, ne Hæretici nostrum esse caussentur, exemplis Scripturæ manifestis comprobandus est. Ezechiel eodem, quo et Hieremias, tempore vaticinatus est. Quid dicat ei Dominus, audiamus: Domus Israël nolunt audire te, quia nolunt audire me: Omnis quippe domus Israël attrita fronte est & duro corde. An putas in tota hac deprauata domo partem aliquam superesse, cui generalis illa sententia non conueniat? Audi, quid etiam dicat Dominus: Signa Thau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Non ergo omnes in populi flagitiũ consenserant: Non omnes attrita fronte & duro erant corde. Ezech. 3. Ezech. 9.

Esto aliud exemplum: Saluum, inquit, me fac; quoniam

niam defecit sanctus. Vana locuti sunt vnusquisque
Rom. 11. ad proximum suum: En vnus totius generis humani
3. Reg. 19. culpas voce magna & queribunda deplorat, perinde ac si relictus sit solus. Sed quid dicit illi Diuinum responsum? Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam. Intelligens ergo ira suæ querimoniæ se plures habere consortes: Tu Domine, inquit, seruabis nos à generatione hac in aeternum.

Aug lib. cõtra Donatistas. cap. 20. Alibi autem idem Augustinus: Ne forte, inquit, arbitrentur, Prophetarum tantummodo moris fuisse, & non ad nouum Testamentum, sed ad veteris consummationem pertinere, sic arguere reprehensibile, quasi omnes in eo populo arguantur, & sic alloqui laudabiles, quasi omnes ibi laudentur. Ecce sic ad Co-
1. Corin. 1. rinthios Apostolus Paulus loquitur Ecclesiæ, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui inuocant nomen Domini: Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christi. Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in Gratia Dei, quæ data est vobis in Christo, quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia, &c. Quis hæc audiens credat, in Ecclesia Corinthiorum esse aliquos reprobos, quandoquidem verba ista sic sonant; velut ad omnes directa sit ista laudatio? Et tamen paulò pòst
Ibidem. dicit: Obsecro autem fratres, vt non sint in vobis schismata &c. Et in hoc horrendo vitio tanquam

omnes

omnes increpans dicit: *Diuisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? &c.* Hactenus ille.

Poterat & ea commemorare, quæ in eadem epistola subiecta sunt: Tanquam paruulis in Christo lac potum vobis dedi, non escam: Nondum enim poteratis. Sed nec nunc quidem potestis. Adhuc enim carnales estis: Cùm enim sit inter vos zelus & contentio &c. Item: Et vos inflati estis; & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrûm, qui hoc opus fecit. Item ex epistola ad Galatas: O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati. Et postea tamen ait: Fratres si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiuscemodi instruite Spiritu bonitatis &c. Item ad Philippenses: Omnes quæ sua sunt quærunt, & non quæ sunt Iesu Christi. Quas res in ea disputatione & multas alias similes à summo Theologo præteritas arbitror, quòd essent faciles. Sunt certè ad præsens institutum vtiles, easque ferè in epistola ad Vincentium attigit. 1.Cor.3. 1.Cor.5. Galat.3. Galat.6. Philip.2.

Iam quòd pleraq; eiusmodi Prophetarum testimonia ad populi Iudaici statũ & mores post Messiam referenda sint, nunc satis in vno exemplo demonstrabitur. Aggæus Zorobabelem ac Iesum Sacerdotem magnum, totumque omnino populum, & domum

Dei

Dei ædificarent, his verbis admonuit: *Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus, & confortâre Iesu Sacerdos magne, & confortâre omnis populus terræ & facite; quoniam ego vobiscum sum, & Spiritus meus erit in medio vestrûm, nolite timere.* Aggæ. 2. *At eodem postea capite subiunxit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima, ex omnibus his, nunquid contaminabitur? Et responderunt Sacerdotes: Contaminabitur. Et respondit Aggæus: Sic populus iste ante faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum, & omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. Quem omnium locum conuenientiùs de populi statu post Testamenti veteris consummationem intelligimus. Tametsi Augustinus ad formam quoq; superiorem hoc exemplum interpretatus est: Sed, vt dixi, ad populi conditionem post Messiæ Aduentum aptiùs hoc congruentiusque refertur.* Augustin. lib. con. Dona. post collat. ca. 20.

OBIECTIO NOVATORVM XI.

Sicut tempore Heliæ, cùm ille se solum residuum putaret: Relictus, inquit, ego solus sum; & tamen abscondita erant septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic nonnunquam per plura secula Ecclesia abscondita & occulta manet, & mansit totis trecentis & quadringentis annis, atque in ea varietas occulta apud quosdam tunc perseuerauit, quam nunc Lutherus & Sectatores illius è tenebris educũt, noui scilicet suscitatores Apostolicæ prædicationis. Quòd igitur sepulta & abscondita fuit Eccle-

3. Reg. 19. Exemplum Heliæ, qui se solum veri Dei cultorẽ relictũ putabat, obiicitur contra durationẽ Ecclesiæ.

Ecclesiæ malitiæ hominum tribuendum est. Cæterùm promissiones Christi ideo constant, quoniam seruat ille, quos vult, & vbi vult; sicut Heliam in deserto seruauit, & centum illos Prophetas, quos Abdias abscondidit, & pauit sub impiissimo Rege Achab. 3. Reg. 19.

RESPONSIO CATHOLICA.

Non negant Catholici, etiam post Christi Aduentum Hæreticorum & Barbarorum potentia sæpe Dei Ecclesiam sic afflictam, vt Monasteria euerterentur, disturbarentur Clerici, verberarentur Leuitæ, necarentur Sacerdotes, in exilium agerentur Pastores, ergastula sanctis complerentur, carceres & metalla, quorum multi (sicut tempore, quo Arrianorum ferocia in Christi fideles insultabat, vt alias Ecclesiæ persecutiones omittam, contigisse, Historiæ narrant, ac Sancti commemorant) interdictis vrbibus, inter deserta, speluncas, feras, saxa protrusi morabantur, & extorres nuditate, siti, fame afflicti, attriti atque tandem tabefacti? Arrianorū persecutio. Histor. Eccle. sæpe.

An credunt Hæretici, nos latere, quàm contentiose olim orbis Christianus variis tumultibus, exitialibusq; dissidiis concussus fuerit, cùm contra Apostolicam veritatem de filio Dei Domino nostro Iesu Christo totis conatibus mundi Princeps Constantius, Magni Constantini filius, insurgeret? Congregans siquidem multa & numerosa Episcoporum Concilia, iam in Oriente, iam in Occidente, quibus Ecclesiasticam Sacerdotum fidem rescinderet, in eam deniq; angustiæ

redegit Ecclesiam Catholicam, vt in tribus tantùm Episcopis assertio veræ confessionis consistere videretur, teste Hieronymo, in Athanasio videlicet Alexandrino, Hilario Pictauiensi, & Romano Pontifice Liberio: Sæpe trecenti, nonnunquam sexcenti in hanc veritatem, quæ modis omnibus Romanæ Sedi probabatur, inconsulto omniũ Patre & magistro, ac eius sententia ne audita quidem, vnanimiter conspirârunt, Mediolani, Arimini, Sirmij, Seleucia, Antiochiæ.

Ecclesiæ Christianæ firmitas & constantia.

O inæstimabilis fidei nostræ firmitas & certitudo, quam neq; Constantij potentia, aut ingenium, neq; Apostaticum Iuliani Imperatoris odium, nec decem & ampliùs Concilia numerosa subscribentium Episcoporum, nec item Valentis ac Iustinæ conatus impij, nec demum tot populorũ Barbararumq; in Gothis ac Vandalis Gentium sæuæ impugnationes extinguere & penitùs euertere potuerunt: Sed semel à Deo Ecclesiæ suæ per Sacerdotes tradita illius fidei cõfessio, per ipsas retenta, immota stetit, dum tot tantisque quassaretur Hæreticorum turbinibus & procellis.

Matth. 16. Hist. tripar. lib. 1. cap. 9. Etiam grassantibus hęresibus tamen vbiq; inueniũtur Catholici.

O Ecclesiæ stabilitas, quæ quia supra firmam petram fundata est, idcirco nec Hæreticorũ pluuiæ, nec populariũ vexationum flumina, nec sæui persecutionum regalium imperialiumq; venti in ipsam irruentes, vnquam disturbari & dissipari potuit, nec poterit: Imò firmiter credimus, apud Germanos, apud Geneuenses etiam, & apud quoscunque istius factionis, po

nis, permultos nunc esse, qui nec coram Islebiensi idolo, nec coram Geneuensi Baal genua sua flexerunt.

Vanissimum itaq; est, & ex ipsis Christi promissionibus manifestissimæ falsitatis conuinci potest, nonnũquam per plura secula Ecclesiam absconditã, & occultã manere & mansisse totis trecentis & quadringentis annis, atq; in ea veritatem occultam apud quosdam tunc perseuerasse: Nã qui promisit Ecclesiæ, quòd portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, idem etiã dixit: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, nec accendunt lucernam, & ponunt eã sub modio, sed sup candelabrũ, vt luceat omnibus, qui in domo sunt: Quod siue de Ecclesia siue de prædicatione Apostolorũ, aut certè de vtroq; accipias, apertè ostendit, neutrũ eorum latere posse; nisi hos fortè, quorum Deus huius seculi mentes excæcauit.

Ecclesia nũ quã per aliquot secula abscondita mansit. Matth. 16. Matth. 5.

Quod vt apertius fiat, ab his, qui hæc dicunt, rogamus, si Ecclesia veraq; fides latuit his trecentis annis, vt dicunt, & inuecta sunt in Christianũ populũ, multa Apostolicæ doctrinæ contraria, quomodo id fieri potuit? An quia obliti sunt omnes prædicationis Apostolicæ & doctrinæ, atq; hac ratione, receperunt aliena et cõtraria; siue id subitò, siue paulatim, siue in multis, siue in vna vel minima re (vt apertè dicamus) alienũ aliquid aut contrariũ Apostolicæ doctrinæ crediderũt fideles omnes? Quòd si hoc damus, defecit iam tota Ecclesia & Apostolorũ prædicatio, omnibus scilicet contrarium credentibus, & non abscondita tantùm fuit.

An fortè aliter fieri potuit? Quibusdam scilicet, non omnibus falsa docentibus & credentibus, cùm interim, qui veram fidem tenebant, taccrent: Sed hac ratione defecerunt verba illa posita in ore Ecclesiæ contra apertissimum vaticinium Esaiæ: Nec lucerna illa illustrauit domum, contra Christi promissionem: Certè si quàm plurimis falsa docentibus, omnes qui vera nouerunt, taccbant, illud præceptum Christi: Prædicate super tecta: Et: Qui me erubuerit, & meos sermones &c. omissum est in Ecclesia, & ita non solùm defecerunt falsi illi Doctores, aut Prædicatores, sed & reliqui omnes, qui cùm veritatem fidei nossent, eam confiteri noluerunt: Ore enim, inquit Paulus, confessio fit ad salutem? Periit igitur omnino Ecclesia, si aliquando vlla præualuit doctrina Apostolicæ prædicationi contraria; si defuerunt, qui apertè & palàm resisterent falsitati. Videt ergo, vt necesse sit, Apostolicæ prædicationis fidem semper in Ecclesia audire, & non minùs, quàm ipsam Ecclesiam, vsque in finem seculi permanere, si Christi promissa stare debeant.

Luc. 11.

Matth. 10. Luc. 9.

Rom. 10.

Tempore Heliæ & Achab nõ defuerunt veri Dei cultores.

Nec certè tempore Achab & Heliæ defuerunt in populo Israël saltem Hierosolymis, qui vnius veri Dei cultum contra idololatriam prædicarent: Et reiectis vitulis Hieroboam & cæteris simulachris, ad vnum verum Dei templum confluxerunt, ita vt semper audiretur hæc vera fides, & expectaretur Aduentus Messiæ, in quibus præcipuè tum Ecclesia congregata erat.

Nihil

Nihil itaque septem millia, quæ in populo Israël non coluêre idola, prosunt aduersariis: Nam illa non fuerunt clanculatia, sed manifesta membra Ecclesiæ, non sparsa, sed vnita. Et derelinquam mihi, inquit Scriptura, in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal. Beatus Augustinus: Nam in ipsa Samaria, inquit, & Helias & Heliseus erant, etsi in solitudine; non tamen deuitandorum Sacramentorum caussa, sed quia persecutionem à Regibus impiis patiebantur, nam illîc erant non vtique in solitudine separata, quæ ipse ignorabat Helias, septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Hæc ille. Illa namque septem millia, etsi latebant Heliam, quia ille in ciuitatibus non conuersabatur, manifestaria Ecclesiæ membra fuerunt: Nam communicabant in vera religione. Quia etsi aliqui Israëlitæ defecerunt ad idololatriam; tamen alij vnitatem Spiritus in vinculo pacis, cum manifestaria Dei Ecclesia, quæ remansit in Iudæa, seruârunt: Tunc enim temporis in populo Israël, non solùm fuit vna religio, sed plures, vna videlicet vera, & altera falsa. Quare non omnes ad vnam pertinebant Ecclesiam: Fideles igitur sub Dei Ecclesia erant, qui etsi aliqui defecerint ab illa, ipsa tamen non defecit à Deo; quia si ipsa defeciisset, nec Helias, nec illa septem millia in fide perseueraissent.

Exemplum septem millium virorum, non curuatium genua ante Baal. nihil obest Hæreticis. 3. Reg. 19. Aug. contra Donatistas post collat. cap. 20.

Ephes. 4.

OBIECTIO NOVATORVM XII.

Cùm prædicit Paulus, venturam defectionem, 2. Thess. 2.

hac descriptione significat Sedem illam abominationis tunc erigendam, vbi Vniuersalis quædam defectio Ecclesiam occupârit, vtcunq; multa Ecclesiæ membra in vera fidei vnitate sparsim perseuerent.

RESPONSIO CATHOLICA.

Caluinus cap. 8. part. 68.

2. Thess. 2.

Caluinus quidem illam Pauli sententiam: Nisi venerit discessio; contra fidei articulum, Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicã Ecclesiam, detorquet. Nã addens illi hanc vocula, Vniuersalis, Dei verba prauat. Paulus quidem, non ait, vniuersalis discessio, sed discessio: Illa enim vocula Vniuersalis, cùm sit mera Dei Ecclesiæ, si coniungatur huic verbo, defectio, Ecclesiam Dei abolet: Nam simul esse Vnam, Sanctam, Catholicam Ecclesiam, & Ecclesiæ Catholicã defectionem, secum pugnant, quia vtrumuis alterum destruit. Vniuersalis enim defectio Dei Ecclesiam occupans, Vniuersalem Ecclesiam omnino tollit. Quare manifestè colligitur, Caluini expositionem esse hæreticam, & contra fidei articulum, videlicet: Vnam, Sanctam, Catholicam Ecclesiam; quia fidei articulus vniuersalem defectionem nunquam occupaturam Ecclesiam definit.

Vniuersalis defectio nũquam occupabit Ecclesiam.

Ephes. 4.

Ex quo fit, quòd quanquã aliquæ particulares Ecclesiæ à Catholica defecerint, & plures homines fuerint Hæretici, quàm Catholici, tamen vniuersalis defectio nunquam occupabit Ecclesiam: Quia Catholica Ecclesia non in illis multis, qui deficiendo ex Ecclesia exierint, sed in illis paucis, qui vnitatem Spiritus in vin-

cu-

culo pacis seruauerint, permanebit: Istos enim esse in Apostolica Ecclesia, Paulus exponit, dum inquit: Phil. 3. Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus, & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelauit; verumtamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula. At Sectarij cùm in Apostolicis dogmatibus, quæ in Ecclesia inuenerunt, non permansissent, nec idem sapuissent, extra Catholicam sunt Ecclesiam, & in illis iniquitatis Mysterium iam est efficax, quia defectio non Dei Catholicam Ecclesiam, sed Sectarios occupauit. Atq; isti profectò, & non Vna, Catholica Ecclesia, quæ columna & firmamentum est veritatis, defecerunt. 2. Thess. 2. 1. Tim. 3.

Vnde Caluini malus animus & cæca mens aduersùs Sanctam Ecclesiã deprehenditur, dum ille ex Pauli verbis Catholicũ sensum (videlicet, quòd quanquã defectio multa Ecclesiæ membra occupârit, tamen Catholica Ecclesia vtcunq; in vera fidei vnitate permãsit) colligere non studuit, sed vt cõprobaret, se non esse Ecclesiæ filiũ, sed immanissimum hostem, hæreticum eligens sensum, inqt: Cùm tamen prædicit Paulus venturã defectionẽ; hac descriptione significat, Sedem illã abominationis tunc erigendam, vbi Vniuersalis quædam defectio Ecclesiã occupârit, vtcunq; multa Ecclesiæ mẽbra in vera fidei vnitate sparsim pseuerent. &c. Sed interrogãdus est Caluinus, an illa Ecclesiæ mẽbra, quæ, vniuersali defectione occupante Ecclesiã, in vera fidei vnitate sparsim perseuerare asserit, sint Hæreticiclan-

Caluini malus animus.

Caluinus cap. 8. partit. 68.

tici clancularij, quales apud Anabaptistas ferun
Huiusmodi enim vnitatem Spiritus seruare
Ecclesiam non possunt: Nam sine fidei confes
& sine participatione Sacramentorum, non est
Rom. 10. Corde enim credere ad iustitiam, & ore confue
salutem, necesse est. Igitur si illa membra palam
confitebuntur veram fidem, non seruabunt
Ephes. 4. vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Quòd si il
clesiæ membra palàm fidem confitebuntur, igitur
ctio non erit vniuersalis.

OBIECTIO NOVATORVM XIII.

Exemplum populi Hebræorũ ido lolatriæ infecti obiicitur contra durationẽ Ecclesiæ.

Ecclesiæ prærogatiuæ ac Dei dona non in de
mata, sed in reformata sunt Ecclesia. Verùm Ecc
ante Lutheri prædicationem, non in vniuersum de
nit, sed in fidei doctrina fuit deformata atq; quo
modo defecit. Sicut igitur in Iuda hæsit apud
Pontifices falsa persuasio de Sacrificiis; sicut in Israel
Baalitici cultus improbat: Ita hæret in regno Pon
ficio cultus Baaliticus, hoc est, abusus Missæ. Ita
Ecclesiæ status comparatur populo Hebræorum
Regibus Iudæ & Israël, quando populus ad idola
triam defecit.

Caluinus capit. 8. Paral. 13.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ecclesiæ status non est comparandus populo Hebræorũ.

Synagogam figuram fuisse Ecclesiæ nemo neg
Sed Ecclesiæ statũ comparari populo Hebræorũ, Sec
riorum, commentum est: Nam Hæbreorum Syna
vnum verum Deum coluit, ac ad illum cele
proprios ritus, & speciale altare, & templum

Dei reuelationem, habuit: Verùm non omnes Hebræi semper vnum Deum coluerũt, maximè sub Regibus Israël & Iuda, quando illorum multi apostatauerunt à religione. Vnde aliud est Hebræorum Synagoga, & aliud populus seu regnum. In filio quidem Salomonis non Dei Ecclesia, sed Hebræorum Respublica diuisa est, quia ex vno regno duo facta sunt, atq; in istis duobus regnis, sicut in Gallia, Hispania & Italia, vna Dei Ecclesia fuit, quia templum & Sacramenta Synagogæ Symbola non fuêre variata, sed Rex Israël, Hæreticorum figura, apostatauit à vera religione, quòd Diuina Scriptura exponit, dum ait: Dixitque Ieroboam in corde suo. Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste, vt faciat Sacrificia in domo Domini in Hierusalem, & conuertetur cor populi huius ad Dominum suum Roboam Regem Iuda, interficientque me, & reuertentur ad eum: Et excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltrà ascendere in Hierusalem: Ecce Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti; posuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan. Simile quid factum fuit in regno Iuda. Et fecit, inquit, Iudas malum coram Domino, & irritauerunt eum, super omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis suis, quæ peccauerunt: Ædificauerunt enim & ipsi sibi aras, & statuas & lucos super omnem collem excelsum & super omnem arborem frondosam. In Hebræorum igitur populo sub Regibus Israël et Iuda

3. Reg. 2. & 14.

3. Reg. 14.

non vna, sed duæ religiones fuerunt: Nam quidam verum Deum, alij verò idola coluerunt.

Quare Ecclesia Dei, in qua vnius veri Dei cultus viget, non aptè comparatur populo Hebræorum, in quo fuerant duæ religiones, seu potiùs vna religio, & alia superstitio. Sed si quis Germanicam Nationem populo Hebræorum compararet, præsentem rerum statum optimè explicaret: Nam sicut tunc in eadem republica erant distinctæ religiones (erant enim, quamuis & qui Deum colebant, tam in Israël quàm in Iudæa, & non idem templum, sed templa distincta habuerunt) ita in Germanica Natione Catholici in religione distincti sunt à Sectariis, habentq; distinctos cœtus: Et tamen respublica, non plures, sed vna est: Vt in Augustana ciuitate, in qua, quãquam vnus Senatus, & vna Respub. sit, tamen Ecclesia Catholica distincta est à Sectariorum Ecclesiis. In eadem igitur Repub. Hæretici idololatræ, & Dei cultores reperiuntur. At in Dei Ecclesia cũ vera religione nunquam falsorum Deorum superstitionem fuisse, Diuina Scriptura in Samaritano populo exponit, dum ait: Fuerunt igitur Gentes istæ timẽtes quidem Dominum, sed nihilominus & idolis suis seruientes: Nam filij eorum & nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt vsq; in præsentem diem: Samaritanos quidem nõ habuisse fidem, expressè Christus docet, dũ ait: Vos adoratis, quod nescitis; nos adoramus, quod scimus: Christus mulieri Samaritanæ tanquam vnus de populo Iudæorũ loquitur.

Germania populo Hebreorũ aptè cõparatur.

4. Reg. 17.

Ioan. 4.

Nõ,

Nos, inquit, videlicet Iudæi, scimus, id est credimus, quod adoramus: Nam Iudæi veram fidem habuerunt. Vos verò Samaritani, quod nescitis, id est, quod nõ creditis, adoratis: Isti enim non habebant veram fidem: Quid, quòd colebant idola? & idolorum cultus ex falsa existimatione, seu errore oritur: Nã illi Deum Israël vti vnum ex cæteris aliarum Gentium Diis esse, opinati fuerunt. Quæ quidem opinio seu potiùs error cum fidei primo articulo pugnat: Hic namq; articulus: Credo in vnũ Deũ; omnes falsos Deos excludit, & vnum verũ asserit: Quia fides istius articuli: Credo in vnum Deum; falsorum Deorum cultũ excludit. Vnde nunquã à constitutione mundi Dei Ecclesia non excludit falsam religionẽ: Nã vera religio falsam non admittit.

Ecclesiam Christi non recte cõparari populo Hebræorũ.

Quare asserere, quòd Ecclesiæ status cõparatur populo Hebræorũ sub duobus Regibus, non solũ ineptissima & contraria similitudo, sed blasphemia est: Nam in vniuerso populo Hebræorum nec vna fides, nec eadem religio sub duobus Regibus perseuerauit. Imò sub eodem Rege non tantùm vna Dei Ecclesia, sed varij cultus Dæmonum fuerunt: Nã idololatræ templa propria habuerunt. At in Dei Ecclesia, cui præest Papa, vna fides, & vna religio est, & hæc eadẽ in variis non solùm fideliũ, sed infideliũ Principũ regnis reperitur. Hæccine est comparatio? Tantùm enim abest, vt Ecclesiæ status populo Hebræorum sub duobus Regibus sit similis, vt potiùs omnino contrarius existat.

Deniq; omnia quidẽ Scripturæ & exempla & loca, quæ Sectarij ad Catholicæ Ecclesiæ à fidei synceritate defectio-

defectionem aſtruendam, allegant, perperàm ab illis exponi, Auguſtinus apertè ſatis exponit, dicens: Iſti ergo imperitè vel fallaciter agentes, colligunt de ſcripturis talia, quæ vel in malos bonis vſque in finem permixtos, vel de vaſtatione prioris populi Iudæorum dicta reperiuntur, & volunt ea detorquere in Eccleſiam Dei, vt tanquam defeciſſe ac periiſſe de toto orbe videatur. Tantum ille. Prophetæ quidem falſam religionem regnaturam non in Dei Eccleſia (vt Auguſtana Confeſſio comminiſcitur) ſed in populo Iſraël prædixerunt. Quare non Dei Eccleſia, ſed populus Iſraël aut reuocatur ab errore, aut à Deo deſeritur: Nam Dei regnum ablatum eſt ab illo, et datum eſt Gentibus: Deus enim ſuam Eccleſiam de populo Iſraël tranſtulit in Gentium populos, & Iudæorum domus eſt deſerta; quia per Chriſti Aduentum lex fuit adimpleta, & legis præcepta legalia & ceremonialia antiquata fuere.

Auguſt. de vnit. Eccleſ. cap. 72.

OBIECTIO NOVATORVM XIIII.

Pura Apoſtolica Eccleſia, & impuritas eius, quæ poſtea ſecuta eſt, obiicitur cõtra durationem Eccleſiæ.

Nos Chriſti & Apoſtolorum atque ſanctorum Patrum primitiuam Eccleſiam iudicauimus ſemper eſſe Catholicam, neque eam dubitamus Arcam Noë, ſponſam Chriſti, columnam & firmamentum veritatis appellare, aut in ea omnem ſalutis noſtræ ſalutem collocare: Illa enim verum germanumque ſcripturarum ſenſum apprehendit. Cæteri verò omnes, qui ea tempora inſequuntur, multis næuis reſpergũtur, multiaque habent, quæ iudicant iam eos à puriore illa

ſanctorum

sanctarum Scripturarum & Christianismi tractatione degenerare.

RESPONSIO CATHOLICA.

Qui docet tantùm eam Ecclesiam, quæ prioribus illis Christianis & Apostolicis viris constitit, veram esse & Catholicam Ecclesiam, apertè omnem rationem interpretandi, cui parère & stare teneamur, exulare iubet ab Ecclesia. Nulla igitur certa erit Schola, in qua Diuinarum legum legitimum sensum huius sanctæ Reipublicæ ciues addiscere liceat. Licebit igitur cuiuis, quodcunque velit & libeat, sentire. Non ergo Arrius, quòd Filium cum Patre non censeret homusion, Hæreticus erit: Non ergo Sabellius, quòd cum una natura unam quoq; in Trinitate confitetur personam, Hæreticus erit: Non ergo Nestorius, Eutiches, Donatus, Nouatus &c. iudicentur Hæretici, quoniam non est modò Catholica Ecclesia, quæ eos Ecclesiastico iudicio decernat Hæreticos. Omnes igitur tumultuentur: Omnes nouas & inauditas sectas inueniant, & inuentas tueantur: Sæuiat pater in filios, & filij in patres. Vxores diuersa sentiant à viris: Nõ sit unus Spiritus nec una fides, quoniam nõ est unus controuersiarum compositor, cuius sensui omnes stare teneamur.

Non primitiua tolùm Ecclesia, est vera Ecclesia Christi.

Ephes. 4.

At dicent, Ecclesiam illam, cæteris quibusq; futuris Ecclesiis, quid credendum esset, præscripsisse, illiusque magisterio, omnes sectas omnesq; hæreses posse profligari. Sed quid aliud est hoc dicere, quàm docere ad solam

ad ſolam Scripturam ſacram, cùm hæreſes inciderent, eſſe currendum? quod iamdudum eluſimus. Profecto eius Eccleſiaſtici ſeculi homines, præter Scripturas ſacras, aut nihil, aut pauciſſima ſcripsêre, taliaq, vt ea nullibi, propter Chriſtianorum perſecutiones nunc extent, aut ſi extent, ab Hæreticis tamen vitiata et multis næniis, & illorũ temporũ hæreticis inſanis refertis pro fabulis habeantur. Nullas in ſanctas Scripturas commentarios ediderant: Nullæ inciderant Eccleſiaſticæ controuerſiæ, vt quis in ea parte eſſet legitimus & Catholicus verbi Dei ſenſus, nobis cum ſcriptura tranſmitterent. Petrus, quamuis Pauli Epiſtolas in plurimos locos continere difficiles iudicaſſet; nõ tamen qui eſſet legitimus eorum ſenſus, nobis expoſuit. Ergo qui ad Eccleſiam illam priorẽ prouocat, ad ſolas nudas, puras putasq, Scripturas prouocat. Nullum vult, propter propriam temeritatem, earundem interpretem.

Nõ ſola primitiua Eccleſia eſt legitimus doctrinæ Apoſtolicæ interpres.

Deinde ſi illa Eccleſia & eius doctrina, eſt ille legitimus Euangelicæ doctrinæ interpres, quẽ, vt omnes in vnũ conueniremus ſenſum, Chriſtus in hac Republica Chriſtiana reliquit, cur nos & illi, qui eandem illam Apoſtolicã Eccleſiam colimus, in eundem ſenſum non conuenimus? Quod ſi nos ſimus, qui eius Apoſtolicæ Eccleſiæ imperio aut interpretationi refragamur, cur iidem ipſi, qui eam Eccleſiã tantopere colunt, vniuerſi, inquam, Hæretici, quibus ſolenne eſt ad eã Eccleſiæ Scripturas prouocare, inter ſeipſos tantopere diſſideant? Cur vel in noſtram perniciem, nõ in vnũ conueniunt?

Atqui

Atqui, oportuit Christum, in sua Repub. componendæ pacis media relinquere: Oportuit eum, qui pacem tantopere commendauit, omnes dissidiorum ac partium occasione præcidere.

Deinde cur isti inter se non conueniunt, quo tempore finita fuerit Apostolica illa Ecclesia: Quo tempore sanctarum Scripturarum legitimus sensus purusq́, ille Christianismus terminus fuerit, vt saltem sciamus, quos autores Ecclesiasticos, qui ad puriorem Christianismum illum aspiramus, legere ac versare debeamus. Quod si tamen ex horũ Scripturis diuinare liceat, iam Clementis Alexandrini forsitan seculo extinctus fuerat prior ille Christianismus; quoniam ille multa dicit, quæ non satis, cum ea, quam modò isti, quasi verum Christianismum docẽt, doctrina conueniant. Clemens Romanus, licet Petri & Pauli discipulus fuerit, quòd tamen fuerit Papa, quando cum horum doctrina ex diametro pugnat, ad puriorẽ Christianismum non pertimebit, Irenæus, Iustinus, Tertullianus, Cyprianus, & si qui sunt alij his vetustiores, quo pacto, quæso, ad puriorem illum Christianismum, ad Apostolicumq́, illum Ecclesiæ prioris sensum pertigerint, cùm multa doceãt, quæ istos hodie robustissimè torquent? Quin verò neq́ omnes eius Apostolici seculi homines, puriorem habuerunt Christianismum, nisi omnia, quæ Ignatius Antiochenus Episcopus, Dionysius Areopagita, Abdias Babylonicus &c. docuerunt, cũ purissimo horum Christianismo, quem modò colunt, conuenire debeant.

Figmentũ Lutheranorum, de puriore Christianismo, autoritate patrum refellitur.

Sunt

Apostolica & puriorEcclesia secundùm Lutheranos quænam sit.

Sunt igitur soli illi, qui Scripturas Canonicas ediderunt. Petrus nimirum, Ioannes, Matthæus, Paulus, Lucas, Marcus & Iudas Apostolica Ecclesia: Nam Iacobum, cùm doceat, fidem sine operibus mortuam esse, & nihil prodesse, quòd horum iudicio cum puriori illo Christianismo non conuenit, ad Apostolicam illam Ecclesiam pertinere non credent. Sed hæc sunt prorsus ridicula & indigna, quæ rationis participibus hominibus, tam petulanter obiectentur.

Optatus Mileuitanus li. 2. cont. Par. Figmentum Lutheranorum, de puriori primitiua Ecclesia, magis refellitur.

Deinde, quo pacto ea Catholica vocetur Ecclesia, quæ tantùm paucissimis hominibus, vnóque seculo fuisse conuincitur? Atqui Ecclesiam Catholicam dici huiusque didiceramus, quòd esset omnium hominum, quòd esset omnium temporum, quòd esset locorum omnium in eandem fidem, in eandem religionem, in eandem sententiam, Vniuersalis consensio. Putabamus nimirum Augustini, Hieronymi & Ambrosij tempore, Catholicam Ecclesiam fuisse: Nesciebamus ante Cyprianum & Tertullianum iam dudum obiisse. Quid illi sancti Patres ergo, Ecclesiæ Catholicæ consensu & autoritate, Hæreticos coërcent? Quid tantopere cum Nouato Cyprianus, & Augustinus cum Donato & Catholica Ecclesia, quæ iam dudum fuerat extincta, iuxta horum sententiam, cum Apostolico seculo, iurgant? An Cyprianus cum Nouato, & Augustinus cum Donato, de Ecclesia illa, quam isti Catholicam & Apostolicam solam volunt, id est, Apostolica illa societate, aut de ea, quæ Apostolico secula

fuit,

fuit, Christianorum hominum congregatione decertabant. Vides igitur, quo miserandos homines obstinatissimum illud veritatis odium perducat? Vides quanto ludibrio & subsannationi exponat, dum potiùs quidvis dicere malunt, quàm Ecclesiasticæ censuræ & correctioni parêre.

OBIECTIO NOVATORVM XV.

Per Catholicam Ecclesiam & Arcam Noë, non intelligimus eam hominum cõgregationem, quæ Apostolico seculo vixit: Sed fidem eius, sine qua, sicut olim, sine Arca Noë, nullus mortalium salutem consequitur. Hanc agnoscimus: Huic adhæremus, & è contra reiicimus & damnamus eam fidem, quæ posterioribus seculis nata & per homines, qui labi & errare possunt, excogitata est.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quis autem nobis, nunc aut post Apostolica secula, cùm controuersiæ inciderint, cum variis opinionum & sententiarum tumultibus, agitetur Ecclesia, hanc aut illam sententiam, cum Apostolica illa fide ac sensu conuenire docebit? Quis, quid sit sequendum, quídue fugiendum, id est, quid in ea parte Apostolica illa Ecclesia amplecteretur, aut fugeret, nobis indicabit? Quis, hoc rectè sentire, ex præscriptoq; illius veteris Ecclesiæ docere; contrà, illos ab eadem Ecclesia sensu & interpretatione Scripturarum deficere ostendit? Tumultuemur igitur vniuersi, dum vnusquisq; potiùs

ſuam fidem, quàm alterius, cum eius Apoſtolicæ Ec-
cleſiæ fide conuenire contendat.

Dicant iam Hæretici, quid Chriſti regnum & ſe-
des in Scriptura vocetur? An non Catholica Ec-
1. Tim. 3. *ſia: Illa, inquam, quæ eſt ſponſa Chriſti: Illa, inquam,*
quæ eſt firmamentum & columna veritatis? Quis e-
tam effrons, qui hoc negare audeat? Quod ſi ita eſt, au-
daces igitur illæ promiſſiones, quæ Chriſti regnum &
Pſal. 89. *ſedem, id eſt, Catholicam Eccleſiam, in finem ſeculi vſ-*
Pſal. 132. *que perduraturam ſpondent. Ordinaui, inquit, teſta-*
mentum electis meis: Iuraui Dauid ſeruo meo, vſque
Hæreticorũ *in æternum: Propagabo ſemen tuum, in generatione*
fuga. *generationem ædificabo ſedem tuam. Item: Elegit Do-*
Pſal. 131. *minus Sion, elegit eam in habitationem ſibi, hac requies*
mea in ſeculum ſeculi.

Dicent, Eccleſiam quidem omnibus ſeculis dura-
turam, non tamen eſſe ſemper doctricem, ſed eam tan-
tummodò, quæ Apoſtolicis illis ſeculis vixit, quibus
& ſanctarum Scripturarum verus ſenſus, & puri
An tantùm Apoſtolica Eccleſia, an verò etiã ea, quę Apoſtolicæ ſucceſſit, ſit legitimus ſacræ ſcripturę interpres.
Chriſtianiſmi vſus viguit: Sic enim in cæteris quo-
buſcunque Rebuſpublicis contingere, in quibus qui
primò illas inſtituerunt, quos Maiores appellant, n
legum exprimenda intelligentia, magiſtrorum qu
cunque deinde ſuccedunt, perſonam diſcipulorum ſu
tiuntur. Eſto ita, ſed nunquid propterea hæc, qu
modò viuit Eccleſia, eius, quæ tum vixit, non ero
legitima interpres? Et quis, quæſo, potiùs noſtrorum
Maiorum & ſenioris Eccleſiæ placita interpretet,

quã

quàm ea quæ legitimè successit Ecclesia? Fatemur, eam solam Ecclesiam, quæ fuit Christi tempore, in tota futura Christiana Republica Magisterium obtinere: Magisterium inquam, id est, legislationem: Ipsa enim est, quæ Scripturas aut potiùs per ipsam Spiritus sanctus condidit: At nostræ huic, quæ per varia secula eidem successit, illius veteris Ecclesiæ interpretandæ, & quid sibi voluerit explicandi, scholam tribuimus; quemadmodum in cæteris Rebuspublicis, legum condendarum Magisterium, Maioribus quidem, iam verò latas exponendi potestatem, Minoribus damus: Minoribus, inquam, non huic aut illi (essent enim omnia confusissima) sed Reipublicæ Magistratibus, & qui cæteras quasq; Reipub. partes virtute contineant.

Apostolica Ecclesia, nō sola Magisterium in Republica Christiana obtinet.

Iam verò falsum est, quod aiunt, solam eam, quæ Apostolico seculo vixit, Ecclesiam in Republica Christiana Magisteriū obtinere: Nam ascendens super oēs cœlos, vt adimpleret omnia Christus, quosdam dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam verò Euangelistas, alios verò Pastores et Doctores ad consummationē Sanctorum, in opus ministerij, & ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in virum perfectum; in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Quærimus ab his, an illo Apostolico seculo Sancti omnes fuerint consummati? An opus ministerij Euangelici illo tempore fuerit absolutum? An illo seculo omnes occurrerimus, resumptis iam corporibus,

Ephes. 4.

in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi? Quod si negent, & id in die Iudicij futurum fateantur: Non igitur vsq; ad eum diem in Ecclesia Pastores & Doctores deficient; qui totius Ecclesiastici cœtus personam sustinentes, ad verum et purum Christianismum Christianos instituant: Nec neq; id olim (cùm tamen grandis esset vtriusq; status differentia) Deus feciisse legitur: Quamuis enim per Moysen legem tulisset, quæ omnibus suis numeris (quantum ad illum seruilem statum attinebat) absoluta videri poterat; nunquam tamen, sequentibus seculis, sic eam Gentem deseruisse legitur, quin legamos quosdam suarum legum interpretes, id est, sanctos Prophetas, eidem indulserit: Nam cùm maximè desertus illo Magisterio videretur, id est, cùm iam non esset Propheta, qui legum Diuinarum interpretem ageret, Christus non modò ad Sacerdotes, sed ad Pharisæorum & Scribarum Cathedram, tanquam quæ etiam tunc, in tanta peccatorum colluuie, et virtutum strage, adhuc Moysis Cathedra esset, Apostolos remittit. Super Cathedram Moysi, inquit, sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt, facite, secundùm autem opera illorum nolite facere. Ex quo loco duo (mea quidem sententia) quæ nostri seculi Hæreticos violentissimè comprimunt, euidẽter eliciuntur: Prius quidem: Semper in Ecclesia publicam Diuinarũ legum Cathedram & Scholam futuram: Alterum: Hanc nulla peccatorum alluuione, nulla vitiorum inundatione, extin-

Iudæi semper habuerũt suos Prophetas.

Matt. 23.

guendam

guendam. Quod posterius, horum, quibus cum discer-
namus, vniuersas ratiunculas & frigidissimas excu-
satiunculas, quibus suam, ab Ecclesia, in alteram, ne-
scio quam Ecclesiam, apostasiam excusare conantur,
vnicè transfodit.

OBIECTIO NOVATORVM XVI.

Illa testimonia, quæ Ecclesiæ Magisterium Spiritus promittere videntur, tantùm de Apostolica illa Ecclesia sunt accipienda: De illa enim, nõ de quacunq; altera dicitur. Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum mittet vobis, Spiritum veritatis &c. Et rursus: Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis &c. Et iterum: Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò; cùm autem venerit Spiritus veritatis, ille nos docebit omnem veritatem. Quæ planè omnia in sancti Spiritus visibili aduentu impleta fuisse, nemo est qui dubitet. Illa igitur Apostolica Ecclesia, sola est, quæ promissum habet Spiritus Magisterium, non quæcunque aliæ, quæ per varia tempora eidem successerunt.

Promissiones soli Apostolicæ Ecclesiæ factę, obiiciuntur contra durationem Ecclesiæ. Ioan. 14. Ioan. 16.

RESPONSIO CATHOLICA.

Hoc argumentum non aliunde faciliùs diluetur, quàm ipsa eorundem locorum, quis opponuntur, integra narratione. Ego, inquit Christus, rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis. Quandiu? Vt maneat, inquit, vobiscum in æternum. Non igitur Ioan. 14.

tantummodo Apostolico seculo, sed vsque ad mundi finem Spiritus sanctus Catholicæ Ecclesiæ tributus Doctor: Nam quod secundo loco adducebatur hunc eundem habere sensum, ipsa Apostolica & Ecclesiastica historia non obscurè docet. Adhuc, inquit Christus, multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò; cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Anne omnem veritatem in visibili illo Spiritus aduentu Apostolici viri acceperunt? Quid ergo post non paucos annos Gentes esse cohæredes Euangelij dubitabant? Quid Petrus cœlesti visione commonefactus vix hoc fratribus vniuersis in Concilio coactis, intorquet? Quid legis Mosaicæ interitum & cessationem post multa tempora ignorasse se produnt? An non erant hæ veritates necessariæ.

Ioan. 14.

Actor. 10. 11. & 15.

Spiritus sanctus Ecclesiam non simul & vno ac eodē tempore, sed successiuè omnem docuit veritatem.

Ergo licet ab eo visibili aduentu Spiritus sanctus sanctæ Ecclesiæ in cuncta futura secula datus fuerit Doctor, non tamen eo aduentu omni veritate Apostolicas mentes, aut eius temporis Ecclesiam replenit, sed iuxta temporum & Ecclesiasticæ ætatis incrementa, vt optimus Magister veritatem explicuit. Nec aliorum visibilis ille linguis igneis, & vehementi stridore, Spiritus aduentus, non modò Apostolis, sed infidelibus, Persis, Elamitis &c. nobis contendit, quàm vt vniuersi mortales intelligerent, Ecclesiam Christi perpetuum Doctorem & Magistrum, qui Ecclesiasticorum hominum linguis, humana corda illustra-

illustrantibus, & Diuini amoris calore aduren-tibus, orbem perpetua prædicatione concuteret, ab eo ium tunc tempore, Diuino munere & Christi spon-si merito, fuisse sortitam: Non item quòd simul cum linguis illis, cunctas Ecclesiasticas veritates accepe-rit, licet multas, quæ tunc, inchoante prædicatione, necessariæ erant cum eo cœlestis Spiritus robore, quo fragilium animorum quoq; infirmitas fuit exclusa, eo die nacta fuerit.

Ecclesia, quàm diu durabit in terra, habi-tura est Spi-ritum san-ctum Ma-gistrum. Ephes. 6.

Verùm non modò de hoc seculo, sed toto illo, quo in terris actura est, temporum spatio, Ecclesiam Ca-tholicam Spiritum sanctum habituram Magistrum, Paulus Apostolus, de eo Spiritus aduentu sermo-nem faciens, abundè ostendit. Vnicuique, inquit, nostrûm data est gratia secundùm mensuram dona-tionis Christi, propter quod dicit: Ascendens in al-tum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona homi-nibus. Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia de-scendit primùm in inferiores partes terræ? Qui de-scendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia. Loquitur hic Apostolus de Christi ascensione, vnde cœlestis illa donorum spiri-tualium, quæ à visibili illo sancti Spiritus aduen-tu Ecclesiam inundare cœperunt, affluentia exo-ritur. Sed ego, inquit, veritatem dico vobis, expedit vobis, vt ego vadam: Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Ioan. 16.

Si autem abiero, mittam eum ad vos. Ergo ascendens in altum dedit dona hominibus: Aut, vt habet textus Hebraicus, לָקַחְתָּ *Lacachta, id est, accepisti a Patre nimirum, cui tunc nostræ carnis naturam offerebat; quòd nimirum nostræ redemptionis perfecta mysterio & corpore, quod assumpserat cœlis illato, post decem dies, quibus ad eius susceptionem disponi oportebat, omnium spiritualium charismatum autorem, Spiritum sanctum suæ Ecclesiæ donauerit. Sed quæ sunt ista dona, quæ à Patre accepit, & hominibus donauit? Quosdam subiungit, dedit Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores. Quæ Ecclesiastica munera, an omnia simul fuerint in Ecclesia, an verò diuersa seculis & temporibus, prolixo sermone antea exposuimus.*

Psal. 67.

Quamdiu Ecclesiæ, in hoc seculo, dona Spiritus sancti sint tribuenda.

Sed quod hoc loco ad rem præsentem attinet, aduertamus, quàm diu hîc per Spiritum Christi, dona Ecclesiastica sunt tribuenda? Ad consummationem sanctorum, id est, quousque ex hac vita mortali, in cœlestes illas sedes, quas Dominus eisdem ante mundi constitutionẽ prædestinauit, electi conscendant, donec impleatur electorum numerus, propter quem tantùm peccatorum scelera Deus patienter tolerat, id est, quàm diu corpus Christi, Ecclesia nimirum illa, quam sibi Christus sine macula & sine ruga in fine seculi exhibiturus est, numero integro prædestinatorum, non fuerit impleta: Aut si vultis clariùs: Donec occurramus

Ephes. 5.

ronus omnes, non modò Gentes, sed Iudæi, (quorum reliquiæ, cùm intrauerit plenitudo Gentium, sunt quoque ad Christum accessuræ) in vnitate fidei & cognitionis filij Dei, in virum perfectum, id est, in Ecclesiæ, non iam carnis plusquàm fœmineæ fragilitate peccantis, formam, sed in virilem prorsus, qualem Christus, cùm vitæ cursum impleuit, habuisse refertur. Qua periphrasi, nisi quis diem Iudicij, & totius huius Ecclesiæ areæ finem intelligat, præter hoc quòd omnes Ecclesiasticos Patres habet aduersos, ipsius eiusdem sancti Apostoli, vbi eandem penè sententiam vsurpat, testimonio conuincitur. Sicut in Adam, inquit, omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, vnusquisq; autem in ordine suo: Primitiæ Christus, deinde ij, qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt: Deinde finis, cũ tradiderit regnum Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem Principatum & Potestatem & Virtutem. Agit hoc loco Apostolus de vniuersali illa mortuorum resurrectione & viuificatione, quæ resumptis corporib⁹ ipso vniuersalis iudicij die, in fine mundi & Ecclesiæ militantis, facienda est: Tuncq; inquit, euacuandam esse omnem Potestatẽ & Virtutem, quæ per diuersa Spiritus sancti charismata, quib⁹ interim gubernatur Ecclesia, proculdubio significat illa nimirum, de quibus in eadem Epistola priùs locutus fuerat, dicens: Vnicuiq; autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatẽ, alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alteri fides in eodẽ spiritũ &c. 1.Cor.15. 1.Cor.12.

Et ſubinde : Quoſdam quidem primò poſuit in Eccleſia Deus Apoſtolos: Secundò Prophetas: Tertio Doctores: Deinde Virtutes : Exinde gratiarum curationes: Genera linguarum: Interpretationes ſermonum: Hi ſunt Principatus & Virtutes, quibus vſque in diem illum iudicij, in Euangelicæ vitæ ſenſu & officio continetur Eccleſia, quouſque ſcilicet eandem, quæ legitimum Chriſti Regnum eſt, duplici ſtola immortalitatis decoratã, & nulla iam vel doctrinæ tenebras ignorantiæ pellat, vel hominum gubernatione indigentem, Patri, qui futurus eſt omnia in omnibus, æterno eius imperio parituram exhibeat.

OBIECTIO ADVERSARIORVM XVII.

Galat. 3. Autoritas Pauli obiicitur cõtra antiquitatẽ Eccleſiæ.

Paulus ad Galatas ſcribit: Itaq; lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur: Vbi vero venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo. Ex quo videtur (inquiunt) quòd ante Aduentum Chriſti, fides non erat apud antiquos: Ergo per conſequens nec Eccleſia, quæ dicitur fidelium collectio.

RESPONSIO CATHOLICA.

Fides Mediatoris fuit à principio humani generis. Hebr. 11.

Ratio non militat: Quoniam, vt ait Apoſtolus, vbi venit fides &c. non loquitur de aduentu fidei Chriſti ſimpliciter; ita vt antè nõ fuerit: Fuit enim à principio humani generis fides mediatoris Dei & hominum, cùm dicat Apoſtolus: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Itẽ de antiquis Patribus loquens, dicit: Sancti per fidem vicerũt regna, operati ſunt iuſtitiã &c. Sed loquitur de aduentu fidei, ſecundùm manifeſta-

tionem

tionem, vnde Gloſſa ita habet: *At vbi venit fides,* Fides quomodo venerit ſecũdùm Paulum.
id eſt, poſtquàm reuelata eſt, quæ priùs occulta fuerat in antiquis: Et Nicolaus de lyra exponit: *Venit fides, id eſt, tempus fidei reuelatæ. Vel exponendum eſt: Venit fides, id eſt, impletum eſt illud, quod credebatur futurum; ſicut aliqua promiſsio dicitur veniſſe, quia id, quod promiſſum erat, eſt impletũ. Et ſic, licet apud antiquos non eſſet fides ita reuelata & adimpleta in multis, eo modo ſicut aduenientẽ tempore gratiæ; nihilominus ſemper ab initio humani generis fuit fides. Vnde* Aug. lib. 18. de ciui. Dei.
Auguſtinus inqt: Proculdubio tunc innotuit, per eius corporalẽ præſentiam, doctrina & religio Chriſtiana, quando diſcipulos cœpit habere Chriſtus, id eſt poſtquã in flumine Iordanis, miniſterio Ioannis, eſt baptizatus: Propter hoc enim de illo Prophetia illa proceſſerat: Et Pſalm. 71.
dominabitur à mari vſq; ad mare, & à flumine vſquæ ad terminos orbis terrarũ; ſed priuſquã paſſus eſſet, & reſurrexiſſet à mortuis, fides nõ omnib⁹ fuerat diffinita. Sed poſtea demũ, reſurrectione Chriſti diffinita eſt.

OBIECTIO ADVERSARIORVM XVIII.

Legitur in Paulo: Iuxta fidẽ defuncti ſunt omnes antiqui Patres, non acceptis repromiſsionibus: Ergo videtur, quòd fidem non habuerunt: Et per conſequẽs quòd apud eos non fuerit Eccleſia. Antiquitas Eccleſiæ oppugnatur. Hebr. 11.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ratio procedit ex mala intelligentia eius, quod dicit Apoſtolus: Quod enim Apoſtolus inquit, quòd antiqui defuncti ſunt iuxta fidem, non habet eam intelli-

intelligentiam, quòd antiqui Patres fidem non habuerunt, cùm eos idem Apostolus maximè de fide, in eodem capite commendet: Sed tunc dicuntur, iuxta fidem defuncti, quia fidem habentes sociam siue comitem defuncti sunt: Vnde Glossa ita exponit, iuxta fidem, id est, adhærentes fidei.

OBIECTIO ADVERSARIORVM XIX.

Matth. 16. Aedificatio Ecclesiæ super Petrum obiicitur cõtra antiquitatem Ecclesiæ.

In Matthæo dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram, scilicet fidei confessionem, ædificabo Ecclesiam meam: Ex quo verbo Christi accipiunt, quòd Ecclesia ante Christi Aduentum non erat, sed post, super Petri confessionem, per ipsum Christum est fundata.

RESPONSIO CATHOLICA.

Negatur consequentia: Non enim ita dicitur Ecclesia ædificanda à Christo super illam Petri confessionem: Tu es Christus filius Dei, &c. quòd prius Ecclesia simpliciter non fuerit: Fuit planè ædificata super eandem fidem, cùm omnes fideles à principio mundi in eadem fide fundati & solidati sunt, in qua nos: Illum siquidem crediderunt esse venturum, quem nos venisse credimus: Vnde Matthæus inquit: Turbæ quæ præcedebant & quæ sequebantur clamabant, dicentes: Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini; in quo, vt ait Hieronymus, & ponitur in Glossa, vtrunq; populum ostendit, & qui ante Euangelium, & qui post Euangelium Domino crediderunt, consona Iesum confessionis voce laudare: Et

Ecclesia quomodo ædificata sit super petrã.

Matth. 21.

Cryso-

Cyrillus inquit: Illi quidē prophetantes de Christo venturo clamauerunt: Hi autem laudantes clamant de Aduentu Christi iam adimpleto; sed dicebatur à Christo ædificanda super confessionem prædictam Petri, quo ad illos, qui credituri erant in Christo: Ecclesia enim quotidie hoc modo ædificatur, cùm aliqui corpori Christi nouiter per fidem incorporantur iuxta illud Apostoli: Quosdam Apostolos &c. Sequitur in ædificationem corporis Christi; vt ædificent eos in corpus Christi, qui adhuc alienati sunt. Et infrà subiungit Apostolus: Augmentum corporis facit in ædificationem sui, quia illos, qui non sunt corpus, ædificat in suam ciuitatem vel societatem.

Ecclesia quomodo quotidie ædificetur. Ephes. 4.

Ephes. 4.

OBIECTIO ADVERSARIORVM XX.

Glossa ordinaria super illud Psalmi: Vt annuntient omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion; sic dicit: Filia Sion est Ecclesia: Sion enim omnes Ecclesias mundi generauit, quia ibi natus est, vnde fides incepit: Ergo sequitur id quod prius.

Ecclesię antiquitas oppugnatur. Psalm. 9.

RESPONSIO CATHOLICA.

Sion dicitur omnes Ecclesias generasse, quia inde exeuntes Apostoli Euangelium prædicârunt per vniuersum orbem: Vnde fides non dicitur simpliciter ibi incepisse, neq; Dei Ecclesia, quæ antè ab initio humani generis fuerunt; sed quantum ad promulgationem & dilationem fidei per omnes Nationes, bene dicitur ibi initium fides siue Ecclesia suscepisse, quia inde Euangelium

Sion quomodo oēs Ecclesias generarit.

angelium per Apostolos & alios Christi discipulos, deriuatum est in omnes fines terræ.

OBIECTIO ADVERSARIORVM XXI.

Antiquitas Ecclesiæ oppugnatur.

Glossa super illud Psalmi: Nunquid qui dormit non adiiciet, vt resurgat? ita dicit: Sicut de latere dormientis Adæ, qui erat forma futuri Christi, assumpta est costa, de qua formata est Eua; ita dormiuit Christus somno mortis, vt de latere dormientis, de quo profluxerunt sanguis & aqua, quæ sunt nostræ redemptionis Sacramenta, formetur sponsa Ecclesia.

Gloss. ad Ephes. 4.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ecclesia quantum ad virtutem Sacramentorum, quibus formatur & quæ ex passione Christi virtutem accipiunt, dicitur initium sumpsisse à passione Christi, licet fides ipsa simpliciter, siue ipsa Ecclesia, à principio fuerit, sicut sæpe repetitum est.

OBIECTIO NOVATORVM XXII.

Christus caput Ecclesiæ obiicitur contra antiquitatem Ecclesiæ.

Christus est Ecclesiæ caput, & angulare fundamentum, non secundùm Diuinam, sed secundùm humanam naturam: Cùm ergo Ecclesia non potuit esse vnquam sine capite & sine fundamento, consequens videtur, non fuisse vnam & eandem Ecclesiam Christi, antequàm nasceretur Christus. Vnde & ipse factus homo in fine temporum, promisit se ædificaturum Ecclesiam suam supra petram; subindicans tunc Ecclesiam nondum inchoatam.

Matth. 16.

RESPON-

RESPONSIO CATHOLICA.

Obiectio hæc non concludit: Procedit namq; tanquam fundamentum, caput, & angularis lapis accipientur, quemadmodum accipiuntur in corporalibus secundùm situm partium ordinemq; positionis corporalis, cùm tamen omnis ista constructio, & membrorum Ecclesiæ compago fundamentiq; positio, metaphoricè intelligantur secundùm fidem in credentium cordibus. Christus cùm nondum factus esset homo, fundamentum erat in cordibus iustorum per Spiritum fidei in Iesum, tunc futurum liberatorem. Et huius virtute, quia tunc aderat sustinens spiritualis ædificij onus, defluebant sensus & motus spiritualis vitæ in viua Ecclesiæ membra, idcirco ratione congrua fundamentum appellatur. Nec sequitur: Christus homo spiritualis vitæ fundamentum erat, in corde iusti: Ergo Christus erat homo: Quamuis enim Christus nondum fuerat, cum suis membris eiusdem naturæ consors, carne nondum assumpta, & idcirco nondum vera vitis eiusdem naturæ cum palmitibus; per ipsum tamen erat eadem in membris Ecclesiæ vita, eadem fides, idem Spiritus viuificans, eadem Diuina virtus secundùm Diuinitatem præsens intus baptizans, & purificans in virtute sanguinis Christi tunc futuri, quamuis nondum fuerit omnium horum donorum æqualis cognitio, nondum luce Euangelicæ veritatis demonstrata.

Christus est, & fuit semper fundamentum secundùm fidem in cordibus credentiũ, non secundùm ordinẽ corporalis positionis partium.

Christus

Christus ergo non, quia nondum erat filius hominis, idcirco gratiam suam & misericordiam influere in corda suorum electorum minùs potuit. Coram Deo Patre iã erant omnia futura redemptionis nostræ opera: Languores, quos ipse filius portaturus erat, vulnera, quibus erat vulnerandus, orationes et lachryme, iam merita omnia erant illi præsentia, quamuis nondum exhibita; ipse filius iam ab æterno pro sua bonitate loquutus erat: Pœnitentiam ego agam, pro homine misero, futurus obediens Patri vsque ad mortem crucis. Eiusdem igitur Christi & virtute & meritis præuisis, segregata est ab impiis veterum iustorum Ecclesia. Proinde & ipse agnus occisus legitur ab origine mundi.

Merita prænisa Christi

Phil. 2.

Apocal. 13.

Quod autem Christus iam factus homo per verbum futuri temporis dixit: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; significat, non quòd Ecclesia sua antè non fuerit, sed quòd alterius status & conditionis erat futura, quàm fuerat, dum repudiandis legalibus vmbris & figuris & signis ipsa veritas olim promissa manifestaretur, non tam Iudæis quàm omnibus Gentibus.

Matth. 16. Aedificabo Ecclesiam meam.

OBIECTIO NOVATORVM XXIII.

Ecclesiam à Hierusalē incepisse, obiicitur contra antiquitatem Ecclesiæ.

Contra Epistolam Petiliani demonstrat Augustinus Scripturæ testimoniis, Ecclesiam ab Hierusalem incipere, & illinc crescere in omnes Gentes: Non potuit igitur Ecclesia esse, priusquàm esset Hierusalem ciuitas terrena.

RESPON-

RESPONSIO CATHOLICA.

Conſideratione eorum, quæ ad proximè præcedentem obiectionem reſponſa ſunt, Patres aliquot docuerunt, Eccleſiam Chriſti initium habuiſſe ab Hieruſalem, intelligentes, Eccleſiam Chriſti ſecundum alterum quendam incepiſſe ſtatum, ſub quo impletur promiſſio facta Patriarchis et Prophetis, ſub quo, iam manifeſtata luce veritatis, euaneſcebant legales vmbræ & figuræ. Et ex iſta radice ſoluitur obiectio hæc.

Eccleſia quomodo inceperit à Hieruſalē.

Eccleſia nempe ab Apoſtolis in Hieruſalem cæpta, continuata erat Eccleſiæ iuſtorum Iudæorum credentium, vtpote Simonis iuſti, Annæ viduæ, Zachariæ, Elizabeth, Nathaneel, qui expectantes Chriſtum, erāt iuſtificati, antequàm naſceretur Chriſtus. Gentium autem Eccleſia continuata erat Iudæorum Eccleſiæ, vtpote Apoſtolorum & aliorum, qui in Chriſtum crediderunt, & ita priuſquàm eſſet terrena Hieruſalem, fuerat Eccleſia Chriſti, quamuis non ſub eo ſtatu ſub eaq; perfectione, qua cœpit ab Hieruſalem.

Eccleſia Chriſti fuit ante Hieruſalem.

Eccleſia Chriſti fuit ab initio mundi in hominibus à peccatis liberatis, in Adā videlicet & Eua, in Abel, Seth, Noë aliisq; iuſtis; non tamen à Chriſto ſortiebatur nomen, quo vocaretur Eccleſia Chriſtiana, priuſquàm Filius Dei æternus fieret Chriſtus, id eſt, vnctus & in carne manifeſtatus. Religio Chriſtiana antiqua res eſt (inquit Auguſtinus) ſortita eſt nomen nouum; ſiquidem in Antiochia primùm vocati ſunt Diſcipuli Chriſtiani.

Eccleſia fuit ab initio mundi.

OBIECTIO NOVATORVM XXIIII.

Isa. 1. Matt. 23. Abiectio Synagogæ & nouitas fidei Christi obiicitur cõtra antiquitatem Ecclesiæ.

Iudæorum Synagoga, quæ olim fuit ante Christum, prænuntiatur in Scripturis deserenda & repudianda. Dicit enim Christus ad Ecclesiam Iudæorum: Ecce relinquetur domus vestra deserta. Deinde et Christus veniens in hunc mundum dicitur feciſſe omnia noua, deiectis lapidibus, fundamentis & ædificiis veteris ciuitatis, legiturq́, feciſſe nouum ædificium, nouos lapides nouosque parietes, legem nouam, mandatum nouum, vt noua quoq, ſint cantica. Legitur & Ecclesia noua eſſe ciuitas, de cœlo deſcendens.

Apocal. 21.

RESPONSIO CATHOLICA.

Non tota Synagoga eſt repudiata: Crediderunt enim Iudæi multi in Christum, vtpote Apoſtoli et alij, ex quorum fide & doctrina Dei virtus creſcere fecit palmites multos, ſupra arenã maris innumerabiles. Et ita Deus non aliã plantauit, ſed eã, quæ erat, perfecit in eadẽ vite; qui dicit: Ego ſum vitis vera, vos palmites.

Ioan. 15.

Ecclesia Christi cur vocetur noua.

Quòd autem Ecclesia per Christum & Apoſtolos in Hieruſalem cœpta, dicitur noua Ecclesia, ſignificat, nõ quòd ſit Ecclesia alia, id eſt, quæ habeat aliud caput, alium vitæ Spiritum, aut quòd aliunde hoc habeat, quàm habuerit prior iuſtorum Eccleſia: Sed quòd impletis iam veteris legis vmbris ac figuris, & luce veritatis olim promiſſæ iam manifeſtata, nouo quodam ac mirabili modo cœpit apparere in Hieruſalẽ, vt fructum plus afferat, abundè accipiens eundem fidei ſpiritum, qui ſubitò corda adhuc timida & carnalia

prorsus transformauit, induens illa virtute ex alto, nouas quædam mirabiliaque operans in linguis nouis, in nouis Sacramentis, in signis & prodigiis nouis, in doctrina noua, quæ dicitur Euangelium, tanquam bonum ac magni gaudij nuntium, docens Gratiam & veritatem per Iesum Christum esse & adimpletam & spargendam, non modò per Iudæam, sed per vniuersum orbem, donec in omnibus Gentibus fuerit manifestata, quemadmodum & olim promissa erat in lege & Prophetis; proinde & psallenda esse noua gratiarum actionum cantica, de tam copiosa redemptione nobis impensa.

Est ergo quodam modo altera, quemadmodum est vnus & idem vitæ iustificandæ Spiritus, sed nouos effectus operans, nouas plantationes inserens, vos palmites germinare faciens, dum Gentes, quæ non erant in Ecclesia, iam sunt Ecclesiæ membra: Iudæorum Synagoga, quæ olim in Ecclesia erat, iam ex parte repudiata, ex parte autem per Gentes in omnem terram ampliata. Vnde & Prophetæ hæc in Spiritu prouidentes futura, ad Ecclesiam loquuntur Iudæorum: Dilata locum tentorij tui, pelles tabernaculorum tuorum extende, semen tuum Gentes hæreditabit: Ecce accola veniet, & aduena adiungetur tibi. Isa. 45.

Vetus & noua vna est Ecclesia.

Quemadmodũ autem non ideo est alia arbor, quòd in ea noui prodeũt rami; nec idcirco alia est vitis, quòd in ea noui generantur palmites, dũ manet identitas arboris et vitis in virtute trũci et radicis: Ita nõ alia fit

Eccleſia ſupra numerum, multiplicatis vinis in illa
Eſa. 5. membris, reſeccatis palmitibus aridis, qui non vuas, ſed labruſcas faciebant. Vnde & ſenſus iſte ex Scripturis manifeſtus eſt, quibus commonſtratur Chriſtum non aliam plantaſſe vineam, quæ aliam habeat radicem, alium vitæ Spiritum; ſed ipſam, quæ erat, auxiſſe, perfeciſſe & in melius commutaſſe, et malis agricolis perditis, id eſt, Iudæorum Scribis & Pontificibus, locaſſe eandem aliis agricolis, Epiſcopis videlicet Eccleſiæ & Apoſtolicis viris, quemadmodum in
Matt. 21. Euangelio legitur: Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis: Non aliam (inquit) vineam plantabit, ſed ſuam (inquit) ſcilicet olim plantatam aliis locabit. Confirmat ſententiam hanc Apoſto-
Rom. 11. lus Paulus & Propheta; Paulus quidem ad Romanos ſic docens, Deum non repuliſſe plebem ſuam Iſrael, quam præſciuit, & Gentilem populum oleaſtrum inſertum eſſe illi plebi tanquam bonæ cliuæ, & ita factum eſſe ſocium pinguedinis atque radicis; Propheta
Pſal. 79. autem dicens: Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti Gentem & plantaſti eam. Dux itineris fuiſti in conſpectu eius, & plantaſti radices eius, Propheticos videlicet & Sanctos viros, & impleuit terram Patribus promiſſam, extendit palmites ſuos à mari vſq; ad mare; ſed vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Et exterminauit eam aper de ſylua & ſingularis fera depaſtus eſt eam. Verũ ne vinea iſta arbitraretur prorſus deſerenda, orat in Spiritu Propheta,

vineam

vineam istam visitari & perfici in virtute filij hominis, id est, Christi ad hoc prædestinati, vt quicunque inuocauerit nomen eius, viuificetur, non pereat & non discedat ab eo: Deus virtutum (inquit) conuerte- Ibidem.
re & respice de cœlo, & vide, & visita vineam istam, & perfice. Perfice (inquit) eam, non aliam instituę. Perfice dico, super filium hominis, id est, Christum, quem confirmasti tibi tanquam verum & immobile fundamentum.

Vides igitur vnam & eandem vineam, vbi eædem radices sub eadem vite & radice Christo, vnum fundamentum, idem spiritus viuificans, vnus Deus 1. Tim. 2.
et pater omniũ per sanguinem filij liberatoris omnium iustorum, ex eadem fide in eundem Christum. Vnde & Iudæa (vt inquit Chrysostomus) secundùm Deum mater est Gentium: Sic enim dicit ad eam Deus per Isaiam Prophetam: Tunc vocaberis ciuitas iustitiæ, Isa. 1.
& mater ciuitatum, id est, Ecclesiarum.

Quòd autem dicit Saluator: Mandatum nouum Ioan. 13.
do vobis, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos; significat, non quòd hoc in antiqua lege præceptum non fit: Diliges proximum tuum, sicut teipsum; non quòd antiqui Sancti non sic dilexerunt se inuicem; sed quòd dilectio ista, quæ præcipitur, de veteri homine faciat hominem nouum; & ita mandatum hoc dicitur nouum, non tanquam tunc priùs non fuerit datum: Non quòd apud veteris legis iustos non fuerit charitatis donum in cordibus eorum diffusum per Spiritum

Declaratur, qua ratione mandatum de dilectione dicatur nouum.

Matt. 5.
Leuit. 19.

1. Cor. 5. *ſanctum: Sed quòd ad impletionem huius mandati, homines, expurgato fermento malitiæ & nequitiæ veteris vitæ, quæ eſt ſecundùm deſideria terreſtris ſu carnalis Adæ, vt nouitatem vitæ ſpiritualis transmentur, induentes nouum hominem Ieſum Chriſtum. vt iam illi viuant. Vnde & Eccleſia credentium, in veteri lege dicebatur etiã noua, propterea quòd omnis carnalis ſanguinis iura, veteriſq; Adæ deſideria cuta, tranſierant in nouàm quandam cœleſtem vitã.*

Eccleſia quomodo dicatur noua ciuitas. Apocal. 21.

Eccleſia verò, quam Ioannes deſcribit, Hieruſalem nouam ciuitatem deſcendentem de cœlo, dicitur Eccleſia, in ipſo iam iudicio nouiſſimo cõſtituta, in qua eſt innouatio perfecta charitate, claraque viſione conſummata, quæ in hac peregrinatione adhuc ſub lachrymis & perſecutionibus eſt conſtituta, fide, ſpe & charitate quadam inchoata, donec fides tranſeat in viſionem, ſpes in adoptionem eius, quod ſperatur, & charitas ſecura & æterna pace fruatur.

OBIECTIO NOVATORVM XXV.

Diſcrimen Synagogæ & Eccleſiæ Chriſti obiicitur contra antiquitatẽ Eccleſiæ.

Illius veteris legis Eccleſiæ, nulla eſt vnio, ſeu identitas cum ea, quæ nunc eſt, neq; ſecundùm materiam, neque ſecundùm formam: Non ſecundùm materiam quidem, quia tunc fuerunt alia Eccleſiæ membra, quàm nunc ſunt: Neque ſecundùm formam, quia tunc alius Spiritus, quàm nunc: Tunc Spiritus ſeruitutis in timore; nunc Spiritus adoptionis filiorum; alia lex, alia præcepta; alia Sacramenta, aliud Sacerdotium; alia viuendi & regendi forma, alij ritus,

aliud præmium, quàm nunc. Secundùm doctrinam Pauli Apostoli, tunc erat lex mortis ministratio damnationis; lex iram operans, lex occidens; virtus seu fortitudo peccati; lex posita non iusto, sed impiis & adulteris; lex aut Euangelij dicitur lex pacis & gaudij, intus scripta in visceribus cordis: Præcepta illius Ecclesiæ dicuntur esse non bona præcepta, Sacramenta in illa Ecclesia fuerunt vmbræ & figuræ. Fuit & illic graue iugum, vile ac temporale præmium. Huius autem Ecclesiæ dicuntur Sacramenta Gratiæ & Veritatis numero pauciſsima; iugum suaue: Onus leue: Magnum insuper & inenarrabile præmium, vtpote regnum cœlorum. Videtur igitur in veteri lege Ecclesia, non posse eadem esse cum ista.

Rom. 8, 2. Cor. 3.

Matt. 11.

RESPONSIO CATHOLICA.

Identitas Ecclesiarum particularium consideratur secundum identitatem formarum, vtpote propter eandem fidem, eundem spiritum inhabitantem, propter eandem legem intus docentem & adiuuantem, propter eandem spem vocationis ad eandem cœlestem beatitudinem, per eundem Redemptorem Christum testificatum in lege & Prophetis, & iam datum nobis. Vnde & quæ olim fuerunt Ecclesiæ membra, in hodiernum vsque diem manent membra Ecclesiæ Christi; quæ tametsi transierint ex Ecclesia hîc peregrinante, non tamen desierunt esse membra in Ecclesia Christi: Neque enim perierunt, sed secundùm

Membra veteris Ecclesiæ, sunt etiã membra Ecclesiæ Christi.

animam mutata sunt in melius, secundùm carnem reseruata corpori claritatis Christi configuranda. Etquamuis illius Ecclesiæ fuerit forma secùs alia viuendi atque regendi forma, alij ritus aliaque Sacramenta; omnia tamen hæc tendebant ad eundem beatitudinis finem obtinendum, per eundem Christum Redemptorem, secundùm eundem Spiritum intus viuificantem & adiuuantem.

Lex vetus cur dicatur lex mortis.

Quòd autem dicitur illa lex esse mortis, lex occidens, ira inferens ac fortitudo peccati, intelligitur, quòd lex illa fuerit Iudæis carnalibus horum malorum occasio. Quemadmodum scientia sine charitate inflat, non efficiendo, sed hominibus elatis corde inde occasionem sumentibus superbiendi; ita lex illa sine Spiritu occidebat, non efficiendo, suggerendo, aut incitando Iudæos ad peccata, quibus merentur mortem, sed eisdem Iudæis carnalibus occasionem peccandi ex lege illa bona sumentibus.

1. Cor. 8.

Lex vetus quomodo mala & bona hominibus. Aug. lib. de spiritu & litera ca. 14.

Ad eundem quoq; sensum præcepta illa erant non bona hominibus illius Ecclesiæ absque Spiritu fidei & charitatis viuentibus, ex illa lege non transeuntibus in Christum. Vnde etiam lex Decalogi est non bona homini viuenti absque Spiritu fidei. Ipsa etiam (vt Augustinus docet) est litera occidens homines absque fide carnales sub eadem lege coactos. Ex lege autem illa, tanquam de pædagogo transeuntibus in Christum, lex illa sancta est & bona.

Proinde

Proinde & duorum testamentorum distinctio, quæ in vnitate fidei concordant, sub vno duce Christo, non distinctas facit Ecclesias, sed vnam: Non quòd ille populus veteris legis fuerit iste, qui est nouæ legis populus; sed quòd populi duo fuerint: Vnus, secundùm fidei Spiritum: Vnus in Christo capite, secundùm cor vnum & animam vnam in Domino.

OBIECTIO NOVATORVM XXVI.

Idem vsu venit Ecclesiæ senescenti, quod de senectute canit Poëta Satyricus:

Circumsilit agmine facto
Morborum omne genus.

Ecclesiæ senescẽtis delirium obiicitur.

Etsi enim in Primitiua Ecclesia Euangeliũ Christi syncerè prædicatum fuerit; negari tamen non potest, quin posterioribus seculis multæ superstitiones & multi abusus irrepserint, qui si fortasse, vigilantia piorum quorundam Episcoporum, aliquando repressi fuerint, eos tamen nunc iterum in hac Ecclesiæ senecta resuscitatos esse, in confesso est.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ecclesia Christi impiis Hæreticis etiam delirare senio videtur: Sed missis istis conuitiis, ex ipsis Sacrarum literarum fontibus potiùs discas, Hæretice, qualis sit Ecclesiæ Christi senectus; si tamen longæuitas temporis dicenda sit senectus: Pro eo (inquit Esaias) quòd fuisti odio habita & derelicta, & non erat, qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorũ, gaudium in generationem & generationem. Audi item,

Ecclesiam non delirare præ senio.

Esai. 60.

quid ipſamet, non iuuencula, ſed anus animoſa Eccleſia dicat: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea,
Pſalm. 128. dicat nunc Iſraël: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: Etenim non potuerunt mihi. Audi denique, quid Chriſtus de ſe & ea, corpore ſuo dicat: Vſque
Pſalm. 70. in ſenectam & ſenium, Deus ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi, omni quæ uentura eſt. Et iterum: Adhuc multiplicabun-
Pſalm. 91. tur in ſenecta uberi, & bene patientes erunt, ut annuntient; quoniã rectus Dominus Deus noſter. Manet igitur ſemper inuicta Eccleſia, nec inſtar ſenis hominis à morbis hæreſeon, idololatriæ & ſuperſtitionum, agmine facto circumſiliri poteſt; iuxta Chriſti
Matth. 16. promiſſa: Portæ inferi non ualebunt aduerſùs eam.
Matth. 28. Et: Ego uobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad ſeculi conſummationem. Non eſt autem dubium, quin
Promiſſiones Eccleſię contra delirium factæ. cùm morborum omne genus circumſilit, agmine facto, ſeneſcentem hominem, aduerſùs eum tandem præualeat, ut uita cum eo non maneat. Aliter porro quàm Hæretici de Eccleſia uelut ſemper iuueneſcente per Chriſti Spiritum (propterea quòd per eã omnes electi muncre ipſi credito, ſaluari debent) loquitur
Irenæus libr. 3. cap. 40. Martyr Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis: Fidem, inquiens, perceptam ab Eccleſia cuſtodimus, & quæ ſemper à Spiritu Dei, quaſi in uaſe bono eximium quoddam depoſitum iuueneſcens & iuueneſcere faciens ipſum uas: In quo enim creditum eſt Dei munus, queniadmodum aſpiratio plaſmationi, ad hoc, ut omnia

vt omnia membra percipientia viuificentur, & in eo dispositio est communicatio Christi, id est, Spiritus sanctus, arrha incorruptelæ, & confirmatio fidei nostræ & scala ascensionis ad Deum. Verùm quid hîc occupamur, vt Ecclesiæ senectutem contra Hæreticos defendamus? Cùm eos non pudeat, idem ipsos malum iuuenescenti Ecclesiæ tribuere; quòd nempe vixdum oriens, erroribus & superstitionibus plurimis scatere cœperit.

CAPVT XIII.

OBIECTIONES ADVERSARIORUM contra Ecclesiæ autoritatem earumque solutiones.

OBIECTIO NOVATORVM I.

Videtur extenuari Dei verbum, eius autoritati detrahi, & maiestas Diuinorum oraculorum obscurari, cùm Ecclesiæ hoc tribuitur; quòd ipsa possit sibi iudicium sumere de sacra Scriptura, Canonicam à non Canonica discernere, eam approbare & interpretari.

Ecclesiã nõ posse iudicare de scriptura obiicitur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Certissimum est, apud Apostolos fuisse Ecclesiam Christi, cùm nondum esset scriptura Euangelij; apud Abraham, Isaac & Iacob, fuisse veram Ecclesiã Dei, in fide vnius Creatoris & Redemptoris tunc futuri,

Ecclesia est antiquior scriptura.

quid ipſamet, non iuuencula, ſed anus animoſa Eccleſia dicat: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea,

Pſalm. 128. *dicat nunc Iſraël: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: Etenim non potuerunt mihi. Audi denique, quid Chriſtus de ſe & ea, corpore ſuo dicat: Vſque*

Pſalm. 70. *in ſenectam & ſenium, Deus ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi, omni quæ ventura eſt. Et iterum: Adhuc multiplicabun-*

Pſalm. 91. *tur in ſenecta uberi, & bene patientes erunt, ut annuntient; quoniã rectus Dominus Deus noſter. Manet igitur ſemper inuicta Eccleſia, nec inſtar ſenis hominis à morbis hæreſeon, idololatriæ & ſuperſtitionum, agmine facto circumſiliri poteſt; iuxta Chriſti*

Matth. 16. *promiſſa: Portæ inferi non ualebunt aduerſùs eam.*

Matth. 28. *Et: Ego uobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad ſeculi conſummationem. Non eſt autem dubium, quin*

Promiſſiones Eccleſiæ contra delirium factæ. *cùm morborum omne genus circumſilit, agmine facto, ſeneſcentem hominem, aduerſùs eum tandem præualeat, ut uita cum eo non maneat. Aliter porro quàm Hæretici de Eccleſia uelut ſemper iuueneſcente per Chriſti Spiritum (propterea quòd per eã omnes electi munere ipſi credito, ſaluari debent) loquitur*

Irenæus libr. 3. cap. 40. *Martyr Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis: Fidem, inquiens, perceptam ab Eccleſia cuſtodimus, & quæ ſemper à Spiritu Dei, quaſi in uaſe bono eximium quoddam depoſitum iuueneſcens & iuueneſcere faciens ipſum uas: In quo enim creditum eſt Dei munus, queniadmodum aſpiratio plaſmationi, ad hoc, ut omnia*

vt omnia membra percipientia viuificentur, & in eo dispositio est communicatio Christi, id est, Spiritus sanctus, arrha incorruptelæ, & confirmatio fidei nostræ & scala ascensionis ad Deum. Verùm quid hîc occupamur, vt Ecclesiæ senectutem contra Hæreticos defendamus? Cùm eos non pudeat, idem ipsos malum iuuenescenti Ecclesiæ tribuere; quòd nempe vixdum oriens, erroribus & superstitionibus plurimis scatere cœperit.

CAPVT XIII.

OBIECTIONES ADVERSARIORUM contra Ecclesiæ autoritatem earumque solutiones.

OBIECTIO NOVATORVM I.

Videtur extenuari Dei verbum, eius autoritati detrahi, & maiestas Diuinorum oraculorum obscurari, cùm Ecclesiæ hoc tribuitur; quòd ipsa possit sibi iudicium sumere de sacra Scriptura, Canonicam à non Canonica discernere, eam approbare & interpretari.

Ecclesiã nõ posse iudicare de scriptura obiicitur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Certissimum est, apud Apostolos fuisse Ecclesiam Christi, cùm nondum esset scriptura Euangelij; apud Abraham, Isaac & Iacob, fuisse veram Ecclesiã Dei, in fide vnius Creatoris & Redemptoris tunc futuri,

Ecclesia est antiquior scriptura.

futuri, cùm nondum esset super his rebus scriptus Moysis. Moyses primi voluminis sacræ Theologiæ Hebraicis literis fuit scriptor. Inter illius ortum & seculum nostrum, intercesserunt tria millia annorum centum & viginti septem. Nullus est nobis Ethnicus scriptor tam vetustus: Nullus Historiarum Scriptor illo antiquior; sicut & nulla lingua est Hebræa vetustior: Siquidem Cadmus, Moyse iam defuncto, diebus Iosuæ fertur Græcos characteres primus adinuenisse, docuisseq; tunc populum adhuc rudem & incultum ipsis vti.

Moyses omnium antiquissimus scriptor.

Hebraica lingua antiquior Græca.

Græci gloriantur, literas, artes & Philosophiam sese primùm esse profectas, sub Cadmo, vel alio quouis autore Græculo; sed vanè & mendaciter id iactitant, cùm sit manifestißimum tum ex sacris literis, tum ex vetustißimis probatæ fidei Ethnicorum Historiis, initium Philosophiæ atque literarum, non à Græcis in Phœnices & Assyrios, sed ab antiquißimis potiùs Phœnicibus seu Assyriis, Chaldæis atq; Ægyptiis profectum esse in Græcos; quemadmodum & Iosephus docet contra Appionem Grammaticum. Vnus & Apostolus S. Iudas recitat, Enoch ante diluuium scripsisse quædam. Item post diluuiũ Academia ibidem vetustißima in Phœnicia, hoc est, in Assyria, seu terra Canaan fuit Cariath Sepher, id est, ciuitas literarum, proxima ciuitati Hebron, ab antiquo etiam tempore Iosue & Moysi tempora sic appellata, quòd ibi primùm res gestæ ac memoriæ Assyriorum seu Phœnicum

Academia vetustißima.

sunt

sunt literis mandatæ; cuius ciuitatis Scriptura memi- Iosue. 15. Judic. 1.
ni. Longè autem posteriores sunt Græcorum libri: Nemo enim Græcorum, inquit Origenes, quippiam de rebus ante se gestis tradidisse legitur ante Homerum et Hesiodum, qui quadringentis ferme annis post Moysi tempora extiterunt. Libri autem si qui fuerint ante Moysen à Phœnicibus & Assyriis editi, vetustate perierunt; Diuina prouidentia conseruatis Scripturæ sacræ libris. Cùm ergo nullum habeamus volumen, nullam Historiam, nulla literarum monumenta ante Moysen scripta, consequens est, sacram Scripturam in quinq; libris scriptam, omnibus scripturis nunc extantibus esse antiquiorem.

Sacra scriptura omnibus aliis scripturis antiquior.

Sed tamen hac Scriptura antiquior est Dei Ecclesia, quæ ante diluuium incepit secundùm successionem credentium, durans ad hæc vsq; tempora. A principio, Adam & Eua de peccato suo ex fide in futurum Christum pœnitentibus, vsque ad ortum Moysi duravit Ecclesia fidelis populi, annos 2373. secundùm editionem ex Hebraica veritate; secundùm editionem autem septuaginta interpretũ, à principio mundi vsq; ad ortum Moysi sunt anni 3610. Longè igitur antiquior est Ecclesia, quàm sit Scriptura à Moyse edita. Hanc autem esse sacram & veram Scripturam Dei loquentis ad Moysen, facie ad faciem, sicut homo solet loqui ad amicum, credimus ex testimonio Ecclesiæ, quæ ab initio, quo hæc scripta sunt, sic credidit & docuit. Illam autem ab initio sic credidisse, cognoscimus ex testi-

Ecclesia multò antiq;or quàm scriptura.

ex testimoniis posteriorum, videlicet Iosue, Samuelis, Dauid, Esaiæ, Hieremiæ, Ezechielis cæterorumque Prophetarum & Pontificum, serie successionis protracta ad Christi vsq; tempora: Ex quorum scriptura manifestè cognoscitur, populum seu Ecclesiam Dei per Moysen semper credidisse, prædicasse & docuisse, sicut Moyses ipse in suo volumine credidit, docuit & posteriùs legendum tradidit. Ecclesia igitur fidelis populi innitentis gratiæ Dei miserentis, mox post exortum mundi incipiens, ab antiquo est orta.

Supputatio ætatis & durationis Ecclesiæ.

Quartus annorum mundi millenarius, iuxta Eusebij calculum, secundùm Hebraicam veritatem supputatum, completur anno Tyberij Cæsaris decimo sexto, in quo & Dominus noster Iesus antea baptizatus, cœpit prædicare Euangelium regni, signis & virtutibus demonstrans suam Ecclesiam in se credentem, esse veram Dei Ecclesiam, conuenientem cum Moysi Cathedra & Ecclesia. Hunc quoque annorum numerum, à principio mundi, vsque in decimum sextum Tyberij annum, Beda in libro de ratione temporum eruditè notauit, sub anno, quo Christus baptizatur, dicens, Dominum nostrum Iesum post Baptismum annuntiare mundo regnum cœlorum, peractis à principio mundi (vt Eusebius in chronicis suis significat) quatuor millibus annorum. Ex quibus consequens est, hoc nostro æuo, quo in vniuersa Ecclesia Catholica scribitur à natiuitate Domini septuagesimus sextus annus supra millesimum quingentesimum,

esse à principio mundi peracta quinq; annorum millia cum quingentis triginta octo: Quo fit, vt hoc seculo nostro dimidium sexti millenarij aliquot annis excesserimus.

Ad id autem, quòd Augustinus quidam Eugubinus scribit, à conditione mundi vsq; ad hæc tempora, apud Hebreos nunc numerari solùm annos 5336. dicimus à Cyro vsque ad Christum, non esse standum Hebræorum Thalmudistarum autoritati, in annorum supputationibus. Si ergo iuxta Scripturam Christus verus agnus, ab origine mundi, sit occisus in cordibus credentis populi, consequens est, Ecclesiam Christi duraſſe 5538. annis.

Aetas Ecclesiæ.

Ex his patet primò, quòd quærere, an Ecclesiæ Catholicæ autoritas sit prior aut maior autoritate Scripturæ, est idem ac si quæreretur, an autoritas personæ testimonium dantis, maior sit suo testimonio. Manifestum est autem, nos habere fidem cum scripturis quibuslibet, cum testimoniis, propter autoritatem & veracitatem personæ testificantis, quam credimus adeò veracem esse atque probatam, vt non velit fallere, adeoq; sapientem, quæ falli non possit.

Scripturæ ne magis an Ecclesiæ credendum sit.

Vel quærere, Scripturæ ne magis an Ecclesiæ testimonio sit credendũ, nihil aliud est, quàm quærere, magisne credendũ sit Spiritui sancto loquẽti per os Ecclesiæ, an eidem Spiritui sancto loquenti in Scripturis per literas amanuensiũ suorũ Prophetarũ & Apostolorũ?

Omnis

Ioan. 16. 1. Timot. 3. *Omnis veritas à Spiritu sancto est: Ille est enim, qui docet omnem veritatem. Cùm autem Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis, æquè à Spiritu sancto illius atque Scripturarum est veritas; cùm præsertim, qui docet illam omnem veritatem, vel ipsa Veritate attestante, sit Spiritus sanctus.*

Matth. 18. *Quin tamen prior sit autoritas Ecclesiæ, quàm Scripturæ, negari non potest. Multis antè seculis, quàm hæc verba scripta fuerunt: Dic Ecclesiæ; qui non audierit Ecclesiam, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus; non fuit obscura Ecclesiæ & natura, & autoritas: Quæ cùm fuerit antiquior, quàm vniuersa nõ modò noui, verùm & veteris Testamenti Scriptura, creditum est illi sine omni Scripturarum præsidio.*

Initium & cõtinuatio Ecclesiæ. *Apud quoscunq; fuit fides Mediatoris, apud eos Ecclesiam fuisse, quatenus ab illa se non præciderunt, dubium non est. Constat autem, Adam, Abel, Seth, Enoch & cæteros deinceps Patriarchas ac Prophetas fidem habuisse Mediatoris, quem signis etiam, Sacrificiis, ceremoniis adumbrabant. Ex illo itaque tempore cœpit Ecclesia, quæ nunquam vna & eadem esse desiit, iuxta seriem successionis continuata ab orbe condito vsq; ad nos, vsq; ad seculi consummationem duratura. Scriptura verò multis fuit seculis posterior, quam ante Moysen nullã fuisse palàm est. Nouæ quoque legis Scripturam, ea, quæ Christũ passum & mortuum est consequuta, præcessit Ecclesia.*

Quin

Quin & inter alia visum est, inter legem veterem & Euangelicam hoc interesse, quòd illam in tabulis lapideis Moyses consignauit, hanc verò Christus in animis hominum, in visceribus & cordibus eorum, sicut ab Hieremia prædictum erat, inscripsit. Nemini obscurum est, Christum nihil ipsum scripsisse, sed neq; scribendum quicquam Apostolis præcepisse: Nam vt euntes docerent omnes Gentes, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ, mandasse Christum legimus: Vt autem scriberent, mandatum nullum inuenimus.

Legis veteris & nouæ discrimen. Exod. 34. Hiere. 31. Matth. 28. Marc. 16.

Quin etiam hæc ipsa vox Euangelium traditionis est, non Scripturæ: Quid enim aliud significat Euangelium, quàm lætum & bonum optatumq; nuntium? Nimirum Redemptionis nostræ, peccatorum remissionis & obtentæ salutis æternæ, quæ passim annuntiabatur & prædicabatur omnibus: Neque tamen vlla ea de re Scriptura extabat totis annis octo post Christi in cœlos ascensum: Qui cùm intercessissent, tum primùm quæ de Christo Matthæus tradiderat, scripto mandasse legitur: Quem postea secuti sunt Marcus & Lucas, quorum neuter Christum vidisse, sed Marcus ea, quæ de Christo Petrus viua voce prædicauerat, scriptis consignasse, Lucas autem Euangelium suum ex ore Pauli scripsisse dicitur. Ioannes verò per annos sexaginta quinq; à Christo mortuo Dei verbū, sicut Augustinus testis est, absque adminiculo scribendi vsque ad vltima Domitiani tempora prædicauit. Ex quo satis liquet, quòd prior est Ecclesia, prior

Euangeliū vox traditionis, non Scripturæ.

Euangelia quando scripta.

est illius traditio, prius est Euangelium, quàm Scriptura.

Matth. 26. *Dixerat Christus: Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, & quod fecit, hoc narrabitur in memoriam eius.* *At quo tempore dixerat hæc Christus, de scribendo Euangelio ne cogitasse quidem videtur Matthæus, aut quispiam Euangelistarum. Habuit nihilominùs autoritatem suam illius temporis Ecclesia, non à scripto; sed à viuo Euangelio, hoc est, viua voce tradito & prædicato.*

Scriptura testatur de Ecclesia.

Sed nos tamen libenter assentimur, eius temporis Ecclesiam, ab eadem Scriptura suam autoritatem habuisse & habere: Illa enim nos docet, quòd instruatur à Spiritu sancto: Illa nos docet, quòd sit columna

1. Tim. 3. *& firmamentum veritatis, & quòd etiam inferorum*

Matth. 16. *portæ non præualebunt aduersùs eam: Illa nos docet, quòd qui non audierit Ecclesiam, sit habendus tanquam Ethnicus & Publicanus.*

Matth. 18.

Detrahentes Ecclesiæ detrahunt quoq; Scripturæ.

Sed videant interim, qui nomen Ecclesiæ ferre non possunt, qui tantopere cupiunt autoritatem illius eleuatam, ne qua ratione constitutam volunt Scripturarum autoritatem, ea in contrarium illis recidat, atque magis ad euertendam, quàm ad stabiliendam illam pertinere videatur: Quantum enim de Ecclesiæ fide imminuerint, tantum de ipsorum Euangeliorum autoritate detractum iri dubium non est: Nam vnde illi scire possunt, Euangelij Scripturam hanc esse

Matthæi

Matthæi aut Marci, aut Lucæ, aut Ioannis? Certè non aliunde nisi ex Ecclesiæ testimonio; cui si non tribuetur autoritas, nulla erit eorum, quæ scripta sunt ab Euangelistis, autoritas: Illa enim nos docuit, vera esse quatuor hæc Euangelia: Nam hoc scriptura nulla probatur, sed sola Ecclesiæ traditione; cui tantum tribuit Augustinus, vt non dubitanter diceret: Euangelio non crederem, nisi me cõmoueret autoritas Ecclesiæ. Hæc est enim, quæ nos inter Scripturas iudicare, quæ Canonicã à non Canonica discernere docuit.

Quis nos certos reddat de Euãgeliis.

Augu. tom. 6 cont. Epistolam fundamenti cap. 5.

Marcus Christum non vidit: Vidit Nicodemus: Ecclesiæ tamen autoritate commoti, atque ab illa edocti, recipimus Marci, reiicimus Nicodemi Euangelium. Quid igitur aliud agitur extenuanda Ecclesiæ autoritate, quàm quòd Maiestas Diuinorum oraculorum obscuratur, quòdq; autoritas omnis illis detrahitur? Quamuis enim latior & ad plura sit Ecclesiæ Catholicæ, quàm Scripturæ autoritas; eadem tamen & æqualis est eiusdem Ecclesiæ Catholicæ & Scripturæ sacræ veracitas; æqualis vis, par dignitas seu potestas, eodẽ Dei Spiritu loquente vtrobiq;, & in Scripturis sacris & in Ecclesia. Idcirco Scriptura sacra, & Ecclesia nõ possunt inter se esse cõtraria; quamuis Euangeliorum Scriptura non sit neque vera neq; Diuinitus reuelata, per testimonium aut Ecclesiæ aut Euangelistarum: Neque enim idcirco verificata sunt Euangelica dogmata, quia Ecclesia & Euangelistæ sic sunt testificati: Sed è contrario potiùs,

Ecclesia & Euangelici Scriptores, hæc idcirco olim sunt testificati, quia vera erant & per Christum & Apostolos re vera sic facta & adimpleta: Eandem tamen Euangeliorum Scripturam esse ad probandum efficacem & authenticam, declaratum est per autoritatem & testimonium Ecclesiæ in Spiritu sancto testificantis, hanc Scripturam continere ea, quæ docere præcepit Christus, dicens Apostolis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.

Marc. 16.

Euangelium nondum erat scriptum, nisi in cordibus Discipulorum, & præcepit Christus Collegio Apostolorum prædicare Euangelium. Vnde Irenæus vetustissimus, qui Polycarpum Discipulum Ioannis facie ad faciem vidit: Plenissima aduersùs omnes Hæreticos, inquit, contradictio, est traditio, quam Ecclesia ab Apostolis perceptam per successiones Presbyterorum & Sacerdotum custodit, peruenientem vsque ad nos, & distribuit filiis suis: Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognouimus, quàm per eos, per quos Euangelium salutis venit vsq; ad nos, qui primùm prædicauerunt, postea verò per Dei voluntatem fundamentum & columnam fidei nostræ, in Scripturis nobis tradiderunt. Addit: Matthæus Hebræis, inquit, ipsorum lingua scripturam edidit, cùm Petrus & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Ecclesiam. Post horum excessum, Marcus Discipulus & interpres Petri, ea, quæ à Petro annuntiata erant, perscripsit

Irenęus lib. 3. con. Valē.

scripta nobis tradidit. Postea verò et ipse Ioannes edidit Euangeliũ, in Asia cõmorans. Hactenus ille: Multa adiciens ibidem libro tertio aduersùs Valentinũ salutaria dogmata contra Hæreticos, videlicet non esse recipienda alia Euangelia præter quatuor ea, quæ Ecclesia tradidit, & veritatẽ fidei per successiones Presbyterorũ in Ecclesiis esse custoditam, & quotiescunq; super aliqua quæstione disceptatio est, oportere nos recurrere ad Ecclesias antiquissimas, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de proposita quæstione sumere certitudinem: Nam etsi ipsi Apostoli nullas scripturas nobis reliquissent; tamen & oportebat, inquit, nos sequi ordinem traditionis Ecclesiæ, & veterem fidem ex Ecclesia cognoscere.

Manifestum est igitur, Christi Ecclesiam esse antiquiorẽ scripturis Apostolicis atq; Euangeliorũ libris, easdemq; Scripturas non esse factas nobis authenticas sine autoritate Ecclesiæ testificantis.

OBIECTIO NOVATORVM II.

Papistæ cùm nos ad Ecclesiam remittunt, eiq; tribuunt autoritatẽ approbandi scripturam, eamq; interpretandi, iubent nos Euangelio credere, tanquam hominis testimonio, & non tanquã intus loquentis Dei voci. Animus autẽ verè Christianus credit Euangelio, propter vocem Dei intus loquentis accipiens Verbum Euangelij, non vt testimonium hominis, sed vt Verbum Dei, & vt reuelationem Spiritus sancti, credens Euangelio, non ex persuasione humana, sed ex fi-

Christianos credere Euangelio, non tanquã hominis, sed Dei testimonio, obiicitur cõtra autoritatẽ Ecclesiæ.

de desuper infusa: Fides enim est donum Dei cælitus
Ephes. 2. immissum & inspiratum, dicente Paulo: Gratia sal-
uati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim
Matth. 16. donum est, non ex operibus. Item Saluator ad Pe-
trum: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis
Galat. 1. non reuelauit tibi, &c. Et Paulus: Ego ab homine
non accepi Euangelium, sed per reuelationem Iesu
Christi.

RESPONSIO CATHOLICA.

Catholici libenter concedunt, accipienda esse Euangelia, vt verba Dei intus docentis & reuelantis, neque credendum illis esse, nisi propter Dei vocem
Hebr. 1. intus loquentis. Sed illud in terra scire oportet, ne quis
Deus multifariàm loquitur filiis suis. erret, quòd Deus multifariàm multisque modis loquutus est olim Patribus, ac nunc etiam loquitur filiis. Loquutus est per Prophetas, quemadmodum
Psalm. 44. vnus ex illis testatur, dicens: Lingua mea calamus Scribæ, velociter scribentis: Loquutus est per An-
Genes. 18. Zachar. 2. Lucæ. 2. gelos, sicut in Genesi, apud Zachariam & in Euangelio videre licet: Loquutus est per filium suum incarnatum: Loquutus est per Apostolos: Loquutus est & loquitur etiam nunc per Ecclesiam, cui dixit
Matth. 10. Christus: Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Quando igitur Scripturam hanc esse reuelatam à Deo, nos ad-
Quomodo ad credendum Euangelio nos cõ moueat autoritas Ecclesiæ. ductos Ecclesiæ autoritate credere profitemur, hoc affirmare videmur, quòd Spiritus sanctus, qui docet Ecclesiam, qui loquitur per os eius, docet nos, quod

scriptum

scriptum est à Matthæo, non esse vocem hominis, verùm intus loquentis Dei; contra quod scriptum est à Nicodemo, non Dei sed hominis vocem esse. Atque ita omnis autoritas & Scripturarum & Ecclesiæ, non est aliunde, nisi à Spiritu sancto, à quo etiam est Veritas omnis; par vt sit autoritas vtriusque: Scriptura sortitur autoritatem ab Ecclesia, quatenus ab illa planum fit omnibus, hanc & non aliam esse Scripturam Canonicam. Rursus Ecclesia accipit autoritatem à Scriptura, quatenus illa testificatur, quòd suggerit illi Spiritus sanctus, quòd docet illam omnem veritatem, quòd nunquam illam destituet, sed manebit cum illa in æternum, quòd portæ inferi non præualebunt aduersùs eam: Quo nomine vocat etiam eam columnam & firmamentum veritatis; & qui non audierit illam, eum haberi vult pro Ethnico & Publicano. Ioan. 14. Ioan. 16. Matth. 16. 1. Tim. 3. Matth. 18.

OBIECTIO NOVATORVM III.

Inualuit apud plerosque perniciosissimus error, Scripturæ tantum ineesse momenti, quantum illi Ecclesiæ suffragiis conceditur; ac si verò æterna inuiolabilisque Dei Veritas hominum arbitrio niteretur. Veritatem Dei hominum arbitrio non niti, obiicitur contra autoritatem Ecclesiæ.

RESPONSIO CATHOLICA.

Nemo Catholicorum de Scriptura sancta vnquam tale quid, vel per somnium quidē cogitauit, quòd videlicet omne robor ipsius ex hominū opinione ipsi proueniat.

ueniat. Duæ sunt autem ad fidem scripturarum nobis conciliandam certissimæ, & nunquam deficientes regulæ: Altera reuelatio ipsa Diuina, formalis vtique penitissima fidei nostræ ratio: Autoritas Ecclesiæ altera, velut ministra fidei, eam propònens atq; etiam explicans Diuini verbi sensus. Quare certitudo tota Deo est siue per Apostolos loquente, siue per Ecclesiam suam proponente & exponente. Et nos summo cũ consilio Spiritus sancti quærimus, ecquis nobis fidem faciat, scripturam hanc vel illã à Deo prodiisse? Eandem salua & intacta, sicq; intellecta ad nostram vsq; etatem peruenisse, certiores nos faciat? Ecquis persuadeat, librum hunc reuerenter excipiendum, alterum numero expungendum, nisi certam istorum omnium regulam Ecclesia præscriberet? Pendet igitur ab Ecclesiæ determinatione, non quæ scripturæ reuerentia debeatur: Absit; sed proponere qui libri Canonici censendi sint. Pendet insuper ipsarum scripturarum sensus & intelligentia; pendet, dixi, non quasi à primo & nativo suo principio, sed tanquam ab administratrice, vt sic loquamur, regula fidei.

Certitudo scripturæ vnde.

Scriptura quomodo pendeat à iudicio Ecclesiæ.

OBIECTIO NOVATORVM IIII.

Neminem habere potestatem interpretandi scripturã obiicitur cõtra autoritatẽ Ecclesiæ.

Quicunq; humanas leges ius interpretandi sortitur, in ipsas leges autoritatem exercet: Ergo quicunque ius interpretandi Diuinas accepit, in ipsas quoq; Diuinas leges exercebit imperium. At nullus mortalium in Diuinas leges potestatem habet: Nec ergo eadem interpretandi ius situm est apud vllum mortalium.

Totus hic discursus, præter subsumptionem, videtur apertus; quæ tamen ita suadetur. Maior est autoritas Scripturæ, quàm omnium veterum Doctorum maiestas: Ergo illi in sanctam scripturam potestatem non habent. Maior est scripturæ autoritas quàm omnium Conciliorum autoritas: Ergo Concilia in sanctam Scripturam nullam habent autoritatem vel imperium. Demum maior est sanctæ Scripturæ autoritas, quàm totius Ecclesiæ, quæ quantumuis magna sit, non tamen humanitatem transcendit: Ergo nec Ecclesia in sanctam Scripturam, vllum habet imperium. Atque huc illud pertinere nolunt, quod ad Galatas scribit Apostolus Paulus: Sed licet aut nos, aut Angelus de Galat. 1. *cælo Euangelizet vobis, præterquàm quod Euangelizauimus vobis, Anathema sit. Cùm dicit nos, intelligit (aiunt) Apostolos aut Apostolorum Ecclesiam, quòd scilicet nullus, imò neque tota Ecclesia, aliter dicendi, quàm credendum aut operandum Scripturæ præscribit, potestate sit præditus.*

RESPONSIO CATHOLICA.

Ad hanc obiectionem respondemus, triplicem esse potestatem in leges; integram vnam, quæ, si illi libuerit, possit ipsas leges pessundare & abrogare: Atque hanc solùm legum conditoribus, & his, qui totius Reipu. potestate censentur, indulgemus interpretandi, &, quid sibi legibus legislator voluerit, explicandi. Triplex potestas in leges.

Alteram, quam in humanas leges, omnes iure prudentes, etiam qui in Republica iura non dicunt, absq;

vllius potestatis vsurpatione quotidiana vsu exercere videmus.

Ex his mistam tertiam, quã Aristoteles ἐπιείκειαν, Iurisprudentes æquitatem aut bonitatem dixerunt, quæ absq; legũ abrogatione, quod omissum est, supplet, aut quod legis conditor facturus, si adesset, videretur, cum verbalis quidẽ contrarietatis specie, sed non præter legislatoris mentem, exhibet: Quæ sola in Reipublicæ Præfectis & Magistratoribus residet, etiamsi cum legis conditore pari potestate non censeantur: Sine hac enim tertia potestate in leges, nulli mortales, vt recte docet Aristoteles, in eandem vitæ rationem & Reipublicæ formam, potuissent coire: Quoniam ex rerum humanarũ varietate, vix duæ actiones humanæ eiusdem rationis, duo, inquam, homicidia, aut duo furta, eadem lege est mensurari possibile: Semper enim, quantumcunque in ferendis legibus legislator sit prouidus, aliquid legum Præsidi supplendum relinquitur, de qua re non sunt hîc plura dicenda.

Deus in leges suas habet primam & integram potestatem.

Damus ergo Deo, qui solus est Ecclesiasticæ Reip. Conditor, priorẽ illã: Ipse enim & nullo præter ipsum, pro rerũ & temporũ cõditione, leges mutat et abrogat; quemadmodum fecit sub temporũ plenitudine, quibus antiquato priori illo Testamento & legibus, quas per Moysem Israëlitico populo tulerat, è medio sublatis, Euangeliũ induxit: Neq; hanc vlli huius sanctæ Reip. Magistratui tribuimus: Quoniam si Lycurgo, Draconi aut Soloni, qui homines fuêre, in his ipsis, quas instituerunt, Rebuspub. æquales, qui leges eorum inutiles abroga-

abrogarunt, dari potuerunt; in nostra tamen Repub. Deo legislatori nostro nullus est æqualis, qui leges ab eo latas possit abolere, neq; vllo tempore eædem ab eo latæ leges reddentur inutiles.

Secundam potestatem omnibus his indulgemus, qui pio studio, pro suo et fratrũ commodo, in lege Domini meditantur die ac nocte, & siue verbo siue scripto captuantes intellectum in obsequium fidei, Domini sui in sanctis Scripturis voluntatẽ exquirunt. In quibus, quemadmodũ & in humani Iuris interpretibus, duo sunt ordines: Sunt enim quidam, quos quòd sancto illo Spiritu, quo Scripturæ sunt cõditæ, et vitæ sanctitate & miraculorum splẽdore refertos, certò cognoscamus, quasi eis, qui ab Imperatore nostro respondendi de iure potestatem acceperint, in legitimo sensu indagando, præsertim cùm inter se cõsentiunt, necessariò paremus. Hominum potestas in Diuinas leges. Psal. 1. 2. Cor. 10.

Sunt alij, quos quòd hanc plenitudinem Spiritus habuisse ignoramus, nisi tunc cùm ea, quæ ab his prioribus dicta fuerant, sequuntur, non tenemur recipere, sed liberum est illis refragari.

Tertia potestas in Diuinas leges, ordinariè quidem in Romano Pontifice residet: Hoc est enim, quod illi à Domino in regionem longinquam proficiscenti, quasi vicario & Reipublicæ Christianæ, dum reuertitur, Præsidi, in procinctu suggeritur: Quodcunque ligaueris super terram, ligatum erit in cœlis &c. Extraordinariè verò in Conciliis legitimis, quæ totam Ecclesiam repræsentant, quæq; eiusdem Spiritus, qui Pont. & Cõciliorum potestas in Diuinas leges. Luc. 19. Matt. 16.

Scripturas

Scripturas condidit, certam pròmissionem acceperunt, indubitatò consistit: His (etsi nobis aliud videatur) tanquam Reipub. Christianæ præfectis, in scripturarum & legum sanctarum interpretatione necesse parendum.

OBIECTIO NOVATORVM V.

Ea, quæ sunt fidei & salutis, non oportet ab alio discere, quàm ab Spiritu Dei, quòd humanus spiritus, præter hoc, quòd res istiusmodi, quæ humanæ rationis altitudinem superant, prorsus ignoret, semper sit mendax: Ego enim dixi (ait Dauid) in ecstasi mea: Omnis homo mendax. Non ergo vllus mortalium munus interpretandi Scripturam accepit, sed ipse solus, qui condidit illam. Atque id Ioannes Apostolus apertissimè indicat: Non, inquit, necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, verum est, & non est mendacium. Et Christus: Vos autem nolite vocari Rabi: Vnus est enim Magister vester Christus. In quæ verba Augustinus: Nolite, inquit, putare, quenquam hominum, quicquam discere ab homine: Magister, qui docet intus, est Deus.

Psal. 15. Ecclesiã nõ posse interpretari Scripturas, obiicitur contra autoritatẽ & potestatẽ Ecclesiæ. 1. Ioan. 1. Matt. 23.

Præterea nemini licet, aut secundùm suum spiritum, aut secundùm humanum sensum Scripturas intelligere: Quo nanque sensu conditæ sunt Scripturæ, eodem etiam intelligi debent. Vnde Bernardus: Quo Spiritu Scripturæ sanctæ sunt, eo Spiritu legi desiderant; ipso etiam intelligendæ sunt. Nunquam egredieris in Pauli sensum, donec vsu bonæ intentionis in

Bernardus ad fratres de monte.

lectione

lectione eius & studio assiduæ meditationis, spiritum eius imbiberis: Nunquam intelliges Dauid, donec ipsa experientia ipsorum Psalmorum affectus indueris: Sicque de reliquis. Hactenus ille. Oportet igitur non alio, quàm Spiritu sancto interprete, scripturas imbibere; cuius Cathedra non alibi, quàm in ipsa hominis anima luculentiùs inueniri, & ipsa Spiritus natura & sacræ Scripturæ testimonium nos docet: Anima iusti, inquit, sedes est sapientiæ, id est Cathedra, ubi Spiritus sanctus Doctor internus, Magisterium exercet. Sap. 7.

Atque iis quidem ac similibus rationibus certissimè colligitur, potiùs verum Scripturarum sensum veramque intelligentiam, per orationem & internam Spiritus reuelationem, quàm per autorum quorumcunque, qui homines fuerunt, interpretationem quærendam; iuxta illud Iacobi: Si quis vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei; postulet autem in fide nihil hæsitans. Et illud: Abscondisti hæc à Sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Hinc colligitur etiam toti Ecclesiæ, quæ ex hominibus compingitur, in eiusdem Scripturæ interpretatione nullam fidem adhibendam, sed interno illi Spiritus Magisterio, qui in Christiani cuiusq; anima celebratur & exercetur, Diuina prouidentia. Iacob. 1. Matth. 11.

RESPONSIO CATHOLICA.

Isti quamuis in hoc, quòd volunt solum Spiritum sanctum

ſanctum legitimum Scripturarum interpretem, à veritate non diſcedant, quòd nimirum & eundem & autorem & interpretem eaſdem habere ratio ipſa ſuadeat: In hoc tamen à Veritate procul aberrare conuincuntur, & in ipſam legislatoris prouidentiam iniurijs cantur, quòd Sedem ac Cathedram vnam, eiſdem ſpiritus Magiſterio non detiment, vt ſenſus vnitas in Eccleſia ſeruetur, ſed contra omnem humanam prudentiam, tot, quot ſunt ciuiũ pectora; vt nimirum tot ſint in earundem interpretatione ſententiæ, quot capita, imò horæ: Nec enim homo in eodem ſtatu permanet, ſed trochi in morem (quod eſt in prouerbio) de ſententia in ſententiam perpetuò conuoluitur.

Periculoſa opinio de interno Magiſterio Spiritus ſancti, inſpirãtisve rum ſenſum ſcripturæ.

Et profectò horum in hac parte ſententia, tam atrocem, ipſa ſtatim pronuntiatione, perniciem Eccleſiaſticæ ſocietati minitari videtur, vt nec vnum diem, nedum Chriſtianè, ſed nec ciuiliter in vnum conuiuere, ſi ſemel admitteretur, daretur hominibus: Nã quis mortalium proprij iudicij cenſuram alienæ non prætulit? Aut quis vnquam proprios animi partus propriasque cogitationes, præſertim ſtudio & labore conquiſitas, aliorum cogitationibus & ſtudiis anteferre non ſtuduit? Aut quis ſuum ſenſum aut ſententiam, quæ ſola ſibi inter vniuerſas alias vera eſſe videtur, à Spiritu ſancto profectam non dicit? Aut quo pacto non ita eſſe, conuinci poterit? Erit igitur, vt cùm tot ſint in Eccleſiaſtica ſocietate de Religione ſententiæ, quot capita, nulla tamen earum poſſit falſa conuinci, cùm

internum Spiritus, cui ſoli iuxta hanc ſententiam credendum eſt, Magiſterium huic aut illi deeſſe, comprobari non poſſit. Imò fit, vt nullus aberrore, quem ſemel, Diabolo ſuggerente, concepit, vlla ratione reuocari queat, quòd nimirum aut verè credat, aut falſò cariſſetur, ſe in illum ſancti Spiritus Magiſterio compulſum. Iam verò quis eam Rempub. indignam non dico Chriſto, ſed homine ſapiente non crederet, in qua cuiuis, propria animi ſententia, ſanctas leges, quò propria libido raperet, detorquere liceret? Aut quo pacto vnitas ciuium conſtabit, cum tanta ſententiarum varietate?

Reſpondemus igitur, locos illos vniuerſos, quos ad id intorquendum inducebãt, ne aliunde ſcilicet, quàm à Spiritu ſancto intus in anima docente, Scripturarum intelligentiam petendam, nihil aliud docere, quàm Scripturas, non alio quàm Spiritus Magiſterio illuſtrari, quod nec ipſi nos negamus. Verùm id Magiſterium non ex propria cuiuſque temeritate, ne locum demus diſſidiis, ſed ex Eccleſiaſtica Cathedra metiendum decernimus: Nam quod Ioannes ait (qui tamen locus illis maximè fauere videbatur) Chriſtianum non egere extrinſeco Magiſterio, ſed eundem, per intrinſecam Spiritus vnctionem, veritate doceri, quem ſenſum habeat, ipſa Ioannis verba, quæ præcedunt & quæ ſequuntur, demonſtrare videntur: Et vos vnctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis. Et ſubinde annectit ea, quæ in argumento aſſum-

Scripturæ de Spiritu ſancto verũ Scripturæ ſenſũ nos docente, quomodo ſint intelligendæ.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 2.

assumuntur: Et non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, verũ est, & non est mendacium. Et statim: Et sicut docuit vos, manete in eo. Intelligit ergo Apostolus sanctæ, non quamcunque Dei vnctionem veritatem docentem, sed eam, quam præcedenti tempore, cum sancto lauacro & Christianæ institutionis Catechismo, per sanctos Apostolos, aut alios eius temporis Ecclesiasticos viros Christiani acceperunt. Vnde priùs dixerat de Hæreticis & veræ doctrinæ percussoribus, loquens:

1. Ioan. 2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: Nam si ex nobis fuissent, permansissent vtique nobiscum; sed vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis; sed vos vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia: Non scripsi vobis, quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eã. Loquitur itaque Ioannes de Christiana illa Catechesi, ad quam Ecclesiastico beneficio cum Baptismo susceptam, quasi lapidem Lydium Hæreticorum mendacia affricantes, Christiani, quid cum Ecclesiastica doctrina veraque proinde religione cohæreret, aut ab ea recederet, explorabant. Non ergo ad internum Spiritus dictamen (vt Hæretici volunt) hoc loco Christiani mittuntur, sed ad id, quod docentes Ecclesia cum Baptismo ebiberunt.*

Scripturæ interpretationẽ, ex Hebræorum libris petẽdã, obiicitur cõtra autoritatẽ Ecclesiæ.

OBIECTIO NOVATORVM VI.

Intelligentia Scripturæ non ab Ecclesia, sed potiùs ex Hebræorum libris petenda, isq; solus sanctarũ Scripturarum sensus, qui in libris Rabinorum, qui non ex versionibus,

versionibus, sed ex ipso sanctæ Scripturæ fonte bibe- ... inuenitur, legitimus habendus videtur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Si ad Rabinorum & Hebræorum interpretũ sen- sum & interpretationes remittamur, quis non videt, actum esse de religione Christiana, cùm illi nihil magis insectentur, nihilq; magis scriptis suis & falsis maledictis incessant, quàm Christum Seruatorem nostrũ & quicquid ille pro Euangelico instituto formando aut docuit, aut fecit? Aut quare hos sanctarum Scripturarum interpretes eligere libeat, quorum corda iam diu excæcata, videndo non vident, & audiendo non audiunt, & intelligendo non intelligunt? Quare hos, in vero sanctarum Scripturarum intellectu exquirendo, Magistros optabimus, quibus earum liber clausus est & signatus? Quibus vsq; in hodiernum diem, cùm Moyses & reliquæ Scripturæ leguntur, velamen positum est ante oculos eorum: Quibus mensa verbi Dei facta est in laqueum, in retributionem & in scandalum: A quibus ablata est vinea Domini, id est, sancta Scriptura, & aliis agricolis locata: A quibus demum ablatum est regnum Dei, id est, Diuinæ legis, qua regnum Dei verum acquiritur, intelligentia: Et aliòqui profectò, quamuis Hebræorum Schola, præter historicum sensum, mysticum etiam colat (habet enim Caballam, qua nihil apud eam Gentem arcanius) & hic tamen, & ille adeò à Christianæ religionis præcipuis placitis longè recedunt, vt nulli magis, quàm

Esai. 6.

2. Cor. 3.

Psalm. 68.

Matth. 21.

Habent Iudæi pter historicũ sensum, spirituale quoq; sed nobis aduersariũ.

gis, quàm illi aduersentur. Præter hoc, quòd vterq; horum tot fabulis, tot puerilibus mendaciis, tot nugarum portentis tertio quoq; verbo respergitur, vt nullam ego (nisi vnum Dauidem Chimchium libeat excipere, qui in hac parte minùs, quàm cæteri, deliraſſe videtur) liberali ingenio lectionem indigniorẽ existimet.

Hebraicæ linguæ cognitio prodest ad intellectum Scripturæ.

Respondemus ergo, totum hoc argumentum aduersus nos persuadere nihil, quàm quòd Hebraicæ linguæ peritia magnoperè, ad sanctæ Scripturæ parandam eruditionẽ & cognitionem proficiat; quod nunquam negabimus. Nam & ob hoc olim eiusdem linguæ Cathedras instituit Ecclesia, atq; vtinã eadẽ Ecclesiastica constitutione, ad eas frequentiùs colendas Theologi adigerentur. Felicius enim (sat scio) in earundẽ Sacrarum literarum studio & interpretatione quidam versarentur. Itaq; aliud est, sanctas Scripturas Hebraicæ linguæ cognitione iuuari; aliud Rabinorum, quos etiã eius linguæ ac idiotismorũ eiusdem peritia destitutos sat scimus, in earũdẽ interpretatione imitari, quod est absurdissimũ.

Amussis ad quã cognitio linguæ Hebraicæ exigi debet.

Est autem Hebraicæ atq; aliarum quarumcunque linguarum, quibus Scriptura continetur, etiã exactissima cognitio, ad amussim Ecclesiastici Magisterij exigenda; præsertim cùm sciam°, facilius esse multò, Hebraica, aut Græca Originalia vitiari, quàm tamen Patrum antiquitatem & autoritatem corrumpi. Fidelis ergo sanctarum Scripturarum interpres, linguarum quidem iuuatur præsidio; verùm quousque Ecclesiasticæ fidei & religionis regula non videtur obsi-

stere.

fitere: *Nam aliòqui (quod est multò facilius) non Ecclesiam errasse, sed vitiosos esse Hebraicos aut Græcos prototypos existimabit; quod in Hebraica præsertim lingua, in qua tot sunt in forma & imagine consimiles characteres, etiam si dolus Iudæorum absit, docti non ignorant posse sæpe accidere.*

OBIECTIO NOVATORVM VII.

Naturalis ratio obiicitur contra Ecclesiæ autoritatẽ interpretandi scripturam.

Cùm ratio & humana prudentia à Deo nobis indulta videatur, nos nullũ, quicqd sit de Ecclesia eiusq; autoritate interpretandi Scripturam, verum Diuinæ legis sensum admittimus, nisi quẽ ipsa naturalis ratio, naturalisq; prudẽtiæ captus, comprobauerit idoneum: Eam enim, quam dixi, rationem naturalem omnium Diuinorum mysteriorum sequimur interpretem.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ratio duplex.

In confutatione huius Hæreticæ sententiæ, quid rationem appellemus, principiò annotabimus. Ratio profectò duplex est: Altera, quæ absolutè & simpliciter ratio appellatur: Altera, quæ non simpliciter, sed cum subiecti additione, cui inest, profertur, vt cùm humanam rationẽ dicimus: Illa cùm sit inuariabilis, à plerisque nostrũm post Zenonem Stoicum apud Ciceronẽ lex æterna: Ista cùm sit variabilis, imò fallibilis, humanum iudiciũ aut humanus sensus à sanctis autoribus plerunque vocatur: A Paulo vero & Iacobo nunc mundi prudentia, nunc mundi sapientia, quæ sit apud Deum stultitia, frequentissimè dicitur

Cic. 1. li. de nat. Deorũ

Iacob. 3. 1. Corin. 3. &c.

Habent Iudæi p̃ter historicũ sensum, spiritualẽ quoq; sed nobis aduersariũ.

gis, quàm illi aduersentur. Præter hoc, quòd vterq; horum tot fabulis, tot puerilibus mendaciis, tot nugarum portentis tertio quoq; verbo respergitur, vt nullam ego (nisi vnum Dauidem Chimchium libeat excipere, qui in hac parte minùs, quàm cæteri, deliraſſe videtur) liberali ingenio lectionem indigniorẽ existimẽ.

Hebraicæ linguæ cognitio prodest ad intellectum Scripturæ.

Respondemus ergo, totum hoc argumentum aliud persuadere nihil, quàm quòd Hebraicæ linguæ peritia magnopere, ad sanctæ Scripturæ parandam eruditionẽ & cognitionem proficiat; quod nunquam negabimus. Nam & ob hoc olim eiusdem linguæ Cathedras instituit Ecclesia, atq; vtinã eadẽ Ecclesiastica constitutione, ad eas frequentiùs colendas Theologi adigerentur. Felicius enim (sat scio) in earundẽ Sacrarum literarũ studio & interpretatione quidam versarentur. Itaq; aliud est, sanctas Scripturas Hebraicæ linguæ cognitione iuuari; aliud Rabinorum, quos etiã eius linguæ ac idiotismorũ eiusdem peritia destitutos sat scimus, in earũdẽ interpretatione imitari, quod est absurdissimũ.

Amussis ad quã cognitio linguæ Hebraicæ exigi debet.

Est autem Hebraicæ atq; aliarum quarumcunque linguarum, quibus Scriptura continetur, etiã exactissima cognitio, ad amussim Ecclesiastici Magisterij exigenda; præsertim cùm sciam°, facilius esse multò, Hebraica, aut Græca Originalia vitiari, quàm tantam Patrum antiquitatem & autoritatem corrumpi. Fidelis ergo sanctarum Scripturarum interpres, linguarum quidem iuuatur præsidio; verùm quousque Ecclesiasticæ fidei & religionis regula non videtur obsistere:

sistere: *Nam aliôqui (quod est multò facilius) non Ecclesiam errasse, sed vitiosos esse Hebraicos aut Græcos prototypos existimabit; quod in Hebraica præsertim lingua, in qua tot sunt in forma & imagine consimiles characteres, etiam si dolus Iudæorum absit, docti non ignorant posse sæpe accidere.*

OBIECTIO NOVATORVM VII.

Naturalis ratio obiicitur contra Ecclesiæ autoritatẽ interpretandi scripturam.

Cùm ratio & humana prudentia à Deo nobis indulta videatur, nos nullũ, quicqd sit de Ecclesia eiusq; autoritate interpretandi Scripturam, verum Diuinæ legis sensum admittimus, nisi quẽ ipsa naturalis ratio, naturalisq; prudẽtiæ captus, comprobauerit idoneum: Eam enim, quam dixi, rationem naturalem omnium Diuinorum mysteriorum sequimur interpretem.

RESPONSIO CATHOLICA.

Ratio duplex.

In confutatione huius Hæreticæ sententiæ, quid rationem appellemus, principiò annotabimus. Ratio profectò duplex est: Altera, quæ absolutè & simpliciter ratio appellatur: Altera, quæ non simpliciter, sed cum subiecti additione, cui inest, profertur, vt cùm humanam rationẽ dicimus: Illa cùm sit inuariabilis, à plerisque nostrûm post Zenonem Stoicum apud Ciceronẽ lex æterna: Ista cùm sit variabilis, imò fallibilis, humanum iudiciũ aut humanus sensus à sanctis autoribus plerunque vocatur: A Paulo verò & Iacobo nunc mundi prudentia, nunc mundi sapientia, quæ sit apud Deum stultitia, frequentissimè dicitur.

Cic. 1. li. de nat. Deorũ.

Iacob. 3. 1. Corin. 1. & 3.

Contrà illam nec Deus aliquando præcepit, ſed neque præcipere poteſt: Semper enim quod præcipiet, erit rectè præceptum? Contra iſtam, vniuerſa ſacroſanctæ fidei & Diuinitatis myſteria; dum illam exſuperant, pugnare videntur: Atq; de ea ſunt intelligendi apud vetuſtos autores frequentiſſimi loci, qui fidem noſtram contra rationem eſſe, aut cum ratione pugnare, plerunq; loquuntur: Neq; enim aliud iis locis, per rationem intelligunt, quàm humanum iudicium, aut humanum ſenſum, hoc eſt, rationem illam priorem, non in ſui puritate, ſed corporis, quod corrumpitur & aggrauat animam commercio depreſſam.

Fides Chriſtiana, quomodo ſit cõtra rationẽ.

Huius autem duplicis rationis exempla ſunt peruia, ſi fidei initium & progreſſum aduertamus. Proponitur homini infideli Trinitatis & Vnitatis articulus; ille ſtatim humani ſenſus aut humanæ rationis præiudicio deterritus, eandem rem vnam & trinam eſſe impoßibile iudicat. Docetur & informatur, ac in eius myſterij cognitionem inducitur; iam, quod omnino contrarium eſſe rationi, priùs ſenſerat, rationabile credit. Quid ita? Nimirum quòd priùs ſola ea in eo ratio vigeret, quæ à corporis ſenſibus, in iudicando dependet: Nunc verò prioris illius iudicio excluſo, ratio illa, quæ abſolutè ratio & eſt & vocatur, in mente principatum obtineat.

Sap. 9.

Eſt autem inter vtranq; rationem, quod ad originem attinet, manifeſtum diſcrimen: Nam ratio humana aut humanus ſenſus, aut humanum iudicium, ab hu-

Duplicis rationis diſcrimen.

ab humana ipsa ratione cognoscendi, quæ à rebus sensibilibus pendet, per naturæ virtutem separari non potest. Contrà ratio illa absoluta, non à natura, sed à fide proficiscitur: Hoc est enim, quod dicitur: Nisi credideritis, non intelligetis, quòd verè Diuinitatis mysteria, nisi post fidei obsequium & piam indaginē, quæ sequatur obsequium, rationabilia apparere non possint. Ergo iam qui dicunt, in sanctarum Scripturarum interpretatione & legitimo sensu exquirendo, ad solius rationis naturalis amussim esse Scripturarum expendendam, cùm vniuersa nostra religionis mysteria aut humanæ rationi, quæ sola ante fidei, eius rei quæ in Scriptura inquiritur, aduentum, in homine viuat, aduersentur, aut certè eius captum excellant; nihil volunt ab homine credi: Quid enim animali homini, qui nondum, quæ Dei sunt, fidei beneficio suscepit, cum tam arcanis mysteriis? Aut quo pacto illa, quæ Spiritus Dei sunt, percipiet? Aut quomodo non erunt illi stultitia, cùm nondum per fidem sensum Dei habeat? Itaque ea tantùm, quæ cum humano sensu aut humana ratione non pugnent, aut quæ eam non superent, id est, nulla suscipiet.

Esai. 7.

1. Cor. 2.

Respondemus ergo, quòd autores huius opinionis nihil aliud suis rationibus proficiunt, quàm quòd in expositione, vbi fides non contradicit, sit rationi delectus: At cùm fides Christianaque religio sit supra rationem, vbi illa contradicit, captiua ratio & intellectus in fidei obsequium, libertate priuatur. Verbi

Ratio quãdo captiuãda in obsequiũ fidei.

cauſſa: Sunt in eius loci Scripturæ expoſitione duæ interpretationes, quæ mutuò à ſeipſis diſſidere videntur, ambas tamen Catholicæ confeſſionis ambitus claudit: Tunc quidem liberum eſt, hanc aut illam, alteram pudiata, pro noſtro iudicio aut ſenſu, comprobare præeligere. Cæterùm quando altera communis fidei & religionis metam prætergreditur, iam amplius, & ad eandem humanus ſenſus humanumque iudicium pelliciant, comprobare non licet. Atque hæc ſit eius argumenti dilutio.

An nihil, niſi conforme rationi credendum ſit.

Eſt tamen & altera, quæ iis, quæ antea de multiplici ratione diximus, magis applaudit: Verum quidem eſſe, quod in argumento aſſumebatur; nihil eſſe, niſi ciforme conſonumq; rationi credendum, ſi id nõ de quacunq; ratione, humana ſcilicet, quæ ſenſuum & phantaſiæ lenocinio decipitur, ſed de abſoluta perfectaq; ratione intelligant: Nihil enim nos aut interpretanda Scriptura, aut dogmatum expoſitione huic abſolutæ perfectæq; rationi contrarium ſuſcipimus, quòd cuncta fidei Chriſtianæ dogmata deriuentur à Diuina Sapientia. At, ſi de humana ratione humanoq; iudicio, quod ex phantaſiæ ductu plerunq; potiùs, quàm ex rerum natura de rebus iudicat, loquantur, falſum profus eſt, quod aiunt, aut Chriſtiana dogmata, aut ſanctæ Scripturæ interpretationes, ad id genus diminutæ detritæque rationis exigendas, cùm Paulus toties quaſi ſtultam & rerum Diuinarum ignaram, huius mundi prudentiam & ſapientiam incuſet.

1. Cor. 1.

OBIE-

OBIECTIO NOVATORVM VIII.

In verbis: Licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizauerit vobis præter id, quod euãgelizauimus vobis, anathema sit; clara voce, vt nemo tam surdus sit, qui modò velit, exaudire non possit, prohibet ac diuulgat Paulus, neq; Papam sanctarum Scripturarũ arbitrum esse, neq; Ecclesiã ipsam, cùm & se ipsum, & Angelos, superas scilicet inferasq; mentes sanctis submittat subiuciatq; Scripturis, vt doceat, supremã esse in cœlo & in terra Scripturæ, hoc est, Diuini verbi auctoritatẽ. Grauiter hoc nostri aduersarij accipiũt, omnia ad vnũ Romanũ Pontificem deferentes; cuius potentiã super omnes homines, super omnes Angelos, super Verbũ Dei esse volũt: Quo quid poterit cogitari insolentius? Neq; enim in tam graui & intoleranda arrogantia animaduertunt, Dominum nostrum Iesum Christum pro vestiganda veritate & salutis via dignoscenda, non misisse nos ad hominis cuiusq; arbitrium, non ad multorum, qui sapientes se esse profiterentur, conciliũ; sed ad sanctarum Scripturarũ lumen clarissimum: Scrutamini (inqt) Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitã æternam habere, & illæ sunt, quæ testimoniũ perhibent de me. Si Beræensibus, qui à Paulo tanto atq; tali Apostolo et vase Diuino iudicio electo, vt nomẽ Domini ad Reges, Gentes & filios Israël deferret, Euangelium cum omni auiditate acceperant, licuit Scripturas quotidie scrutari & quærere, an, quæ Paulus prædicauerat, ita se haberent: Cur nobis fas non erit,

Galat. 1. Locus Pauli, & quædã alia obiiciũtur contra Ecclesiæ autoritatẽ interpretandi scripturam.

Ioan. 5.

Actor. 17.

ad Scripturarum normam, omnia omnium hominum de fide & moribus decreta diligentißimè perpendere, eariumque ſupremum & ſummum ſequi iudicium? Cur integrum non erit, Auguſtinum imitari, cuius ſententiam à nobis vſurpatam, quia ſurda tranſeunt aure, iterum atque iterum inculcare oportet? Ego (inquit) ſolis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre; vt nullum eorum autorem ſcribendo aliquid erraſſe firmißimè credam: Ac ſi aliquid in eis offendo literis, quod videatur contrariũ veritati, nihil aliud quàm vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretẽ non aſſecutum eſſe, quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe, ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos autores Canonicos, vel probabili ratione, quod à verò non abhorreat, perſuadere potuerunt.

Augu. Epiſtol. 19.

RESPONSIO CATHOLICA.

Nulla certè neq; in cœlo neq; in terra vis eſt atque poteſtas ſupra Verbũ Dei, quod ſanctis cõtinetur Scriptis & monumentis: Neq; enim vnq; Angelorũ cuipiam aut hominũ ius fuit, aut erit aliquid decernendi contra Verbum Dei, quod perinde eſſet, atq; poteſtatem habere labefactandi illud ac diſſoluendi. De quo Petrus dixit: Omnis caro vt fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: Exaruit fœnum, & flos eius decidit: Verbum autem Domini manet in æternum.

1. Pet. 1.

Sed

Sed fuit profectò semper, futuraque perpetuò est, quod ad Verbum Dei & sanctos ac religiosos libros attinet, duplex in Ecclesia potestas, vtraque vel maximè necessaria: Quam quicunque non agnouerunt veneratique sunt, turbulenti omni tempore perniciosique fuêre homines, seditionis & discordiæ concitatores.

Duplex Ecclesiæ potestas in libro scripturæ.

Altera est de libris sanctis, qui syncerum ac nulla ratione inficiandum Dei Verbum complectuntur, quos Canonicos appellamus, statuendi: Qua vtitur, ne quid ad Dei verbum addi possit; id quod Manichæus efficere voluit, qui libri eius, quem Epistolam fundamenti nuncupauit, initio sic scripsit: Manichæus Apostolus Iesu Christi, prouidentia Dei Patris: Qui se Apostolum nominat, totum id, quod loquitur, Diuina illustratione accepisse videri vult, ac non sua, sed Dei verba enuntiare; nequid item à Dei verbis adimi queat, quod tum crebriùs, tum audacius fecêre iidem Manichæi, negare audentes, quicquid contra istorum siue fidem, siue mores, ex sanctis libris à Catholicis induceretur, falsos esse codices & corruptos dictitantes. At quantò deteriùs peccant isti, qui nunc Machabæorum librum, nunc Iacobi Epistolam, nunc Petri, aut Ioannis alteram, nunc eam, quæ ad Hebræos est, nunc Ioannis Apostoli Apocalypsim, ex quibus libris aperta contra eos oracula proferuntur, tanquam fictos & commentitios contemnunt? Facit igitur prima ista Ecclesiæ potestas, vt, quod Deus ipse

Prima potestas Ecclesiæ, in libro scripturæ.

Aug. contra Epistolam fund. ca. 4.

Augu. cont. Faust. li. 12. cap. 2.

Deut. 4. 12. Prouer. 30. Augu. conf. lib. 2. & c. 7.

mandauit, ad verbum eius nihil addatur, nihilque ex eo auferatur: De qua Veritatis propugnator ille ac pe-nè Patronus Augustinus cum Deo primùm sic loquitur: Non sinebas, me vllis fluctibus cogitationis auferri ab ea fide, qua credebam & esse te, & esse incommutabilem substantiam tuam, & esse de hominibus curam, & iudicium tuum, & in Christo filio tuo Domino nostro, atq; in Scripturis sanctis, quas Ecclesiæ tuæ Catholicæ commendaret autoritas, viam te potuisse salutis humanæ ad eam vitam, quæ post hanc mortem futura est. Faustum deinde Manichæum hac ipsa de re redarguens atque refellens: Vides (inquit) in hac re, quid Catholicæ Ecclesiæ valeat autoritas; quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum, vsque ad hodiernum diem, succedentium sibimet Episcoporum serie & tot populorum consensione firmatur.

Aug. contra Faust. li. 11.

Altera potestas Ecclesiæ in libro scripturæ.

Altera est ea quoq; maximè necessaria in Ecclesia potestas de veris & germanis interpretationibus & explanationibus verbi Dei iudicandis illis præsertim, quibus vel fidei, vel morum recepta iam & longo vsu confirmata sanctorum Patrum decreta labefactari & infringi aliaque vel inaudita & recentia nouari, vel explosa iãdiu & improbata renouari videntur. Quæ nisi esset; quomodo cõtrouersiæ dirimerẽtur, quæ in Verbi Dei, ad proprium vniuscuiusq; sensum, accõmodata explicatione, fundantur atq; extruuntur omnes? Quomodo qui Scripturas docendo deprauant, & ouium Christi pascua inficiunt, à bonis Magistris & veris Pastoribus internoscerentur? An verò qui pascendis

pascendis gregibus præpositi sunt, de eorũ scelere, qui pastionem contaminant, iudiciũ facere non poterunt?

Nihil ergo dubitationis habet, hanc à Christo traditã fuisse Ecclesiæ suæ potestatem, qua ipse primùm vsus fuerit: Cùm enim de violato Sabbathi cultu & obseruantia ex Diuini verbi autoritate accusaretur, quid aliud ostendit, nisi non bonos esse Diuini verbi interpretes, suos accusatores, qui putârunt contra Diuinum mandatum facere eum, qui Sabbatho laborantibus succurreret, ægrisq; mederetur: Inquit, enim: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam, & si ceciderit hæc Sabbathis in foueam, nónne tenebit & eleuabit eam? Quantò magis melior est homo oue? Itaq; licet Sabbathis benefacere. Hac eadẽ de re alio loco inquit sic: Vnũ opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionẽ, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus; & in Sabbatho circumciditis hominem. Si circumcisionẽ accipit homo in Sabbatho, vt non soluatũr lex Moysis, mihi indignamini, quia totum hominẽ, sanum feci in Sabbatho? Deniq; in illa legis Diuinæ explanatione, quæ apud Matthæum legitur, illud potissimùm ostendit, Diuinæ legis interpretes, qui tum Scribæ & Pharisæi appellabantur, à vera cognitione & intelligentia legis aberrare.

Christus Ecclesiæ potestatem dedit interpretãdi scripturam.

Matt. 12.

Ioan. 7.

Matt. 5.

Mox autem vt in cœlũ Christus se recepit, hanc in Ecclesia remansisse potestatẽ, Petrus ostendit in Cõcilio Hierosolimitano, aduersùs eos, qui ex verbo Dei persuadere studebãt. Necesse est ad salutẽ comparandã circum-

Actor. 15.

circumcidi & seruare legem Moysis: Quam interpretationem, vtpote prauam & à veritate remotam, improbauit Petrus; statuens, ne Patribus quidem ex iugo legis intolerabili & circumcisione contigisse salutem, sed ex fide & Gratia Domini nostri Iesu Christi.

1. Pet. 3.

Cùm autem perpetuò postea in Ecclesia fuerint homines indocti & instabiles, qui ad suam ipsorum perditionem (vt Petrus ait) sanctas Scripturas depraurent; perpetuò quoque hanc Ecclesia Catholica iurisdictionem exercuit. Quod cùm sanctorum Conciliorum declarant historiæ, tum maximorum Pontificum responsa ad Orientis totius & Occidentis Synodicas consultationes.

Sed singula iam examinemus diligenter, quæ ad hanc deuitandam Ecclesiæ potestatem in argumento colliguntur. Christus inquit: Scrutamini scripturas. Hoc nihil ad nos: Cum Iudæis est sermo, qui in eum non credebant, quos præclarè admonet, vt & eius opera considerarent: Dixerat enim: Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me; & Scripturas, in quibus illi omnem adipiscendæ vitæ æternæ spem collocauerant, perscrutarentur, vt agnoscerent, se eum esse, quem Pater in Scripturis primùm promisisset, deinde misisset, vt credentibus vitam daret & salutem.

Joan. 5. Scrutamini Scripturas.

Aut si mauultis, hoc non ad Iudæos tantùm, sed ad nos quoque referre: An putatis, permisisse Christum omnibus, vt Scripturas perscrutantes suo quisq; sensu

Scripturæ quomodo sint scrutandæ.

eas

eas interpretaretur? Quî igitur hoc vobis hodie liceat, quod Arrio, Sabellio, Macedonio, Manichæis, Pelagianis olim nõ licuerit? Quî Luthero, quod non Zuinglio? Bucero, quod non Anabaptistis? An existimatis, Christi, in ea sententia, permissu fas esse vobis, Patrum omnium, qui ab Ecclesiæ exordio fuerunt, qui sunt, quique futuri sunt, interpretationes damnare, ac vobis vnis, quod impudenter facitis, Diuinarũ Scripturarum notitiam vendicare? Quis verò posteros ab hac vestra impudenti licentia prohibebit? Eodem profectò iure exemplo vestro vestra omnia condemnabunt, quando vos in Patres vestros tam audaces & tam iniqui fuistis. Scilicet istud, istud, inquam, voluit Christus, vt quam Ecclesiæ eripueretis de verbi Dei interpretationibus iudicandi potestatem, eam vobis ipsi arriperetis? Scrutamini igitur, scrutamini Scripturas: Quis vnquam hoc prohibuit? Sed vestrorum commutationum opinionumq; æstimationem & iudicium Ecclesiæ Catholicæ more maiorum esse finite? Neq; enim vobis lege aliqua, aut more interdicitur, vt Beræenses, vel Thessalonicenses potiùs æmulari non possitis, qui audita Pauli prædicatione, in qua multa ex Scripturis testimonia citauerat, Scripturas ipsas scrutabantur: Verùm neq; se ipsos Scripturæ arbitros constituebant; neq; Ecclesiæ potestatem derogabant, vt eam sibi arrogarent; nec quicquam aliis detrahebant, vt illud sibi tribuerent.

Actor. 17. Beræenses quomodo sint scripturas scrutati.

Quid autem illud est ex Augustino sumptũ, quod ipsi

Responsio ad autoritatem ex Augustino obiectam.

ipsi toties attulerint, protulerint, inculcârint: Nos verò surdis (vt aiunt) auribus audiuerimus? Illud scilicet, quod nemo vnquam negauit, nullum in sanctis libris erratum, nullum mendacium esse posse: Alios verò, quantumuis magna sanctitate & doctrina excelluerint, autores in errorem rapi potuisse?

Sed cùm tantopere vobis hæc Augustini sententia probetur, quid est quòd eiusdem sanctissimi Patris mansuetudinem, moderationem, integros religiososque mores ac sensus non tenetis, qui suos libros non primo, quem sacrosancta Scriptura sola occupat, sed secundo loco numerat, in quibus labi, errare, decipi nonnunquam potuerit. Proinde non pigebit (inquit) me, sicubi hæsito, quærere; nec pudebit, sicubi erro, discere. Quisquis ergo hæc legit; vbi pariter certus est, pergat mecum; vbi pariter hæsitat, quærat mecum; vbi errorem suum agnoscit, redeat ad me; vbi mecum, reuocet me. Qui summam sanctæ Ecclesiæ tribuit autoritatem, non modò cùm inquit: Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret autoritas: Quem vos locum, vt alia ferè omnia, ad vestrum arbitrium libidinemque eluditis. Sed cùm ad Honoratum sic scripsit: Dubitabimus nos Christi Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem humani generis, ab Apostolica Sede, per successiones Episcoporum, Hæreticis frustra circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum

Augu lib. 1. de Trinita. cap. 2.

Aug. contra epist. fund. cap. 5.

Aug. de vera cre. c. 17.

Autoritas Ecclesiæ ab Augustino prædicata.

Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen autoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ: Qui denique in rebus ambiguis & inuolutis, Ecclesiam consulendam docuit, sic inquiens: Quamuis rei alicuius certè de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum; earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur Veritas; cùm hoc facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat autoritas; vt quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit alicuius obscuritate quæstiones, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.

Aug. lib. 2. cont. Cresc. cap. 33.

Vos autem, qui vt viri boni esse videremini, Augustini nomen & sententiam vsurpastis, neque cum Augustino ab vllo mortalium doceri, neque vt cæteros mortales errare vos posse vultis, vestra & scripta, commentationes, opiniones, non verbo, sed re ipsa cum Scripturis sanctis exæquatis; quãdo de ipsis, ne ab Ecclesia quidem Dei viui, quæ (vt Paulus ait) columna est & firmamentum Veritatis, iudicium fieri permittitis. Sed erat profectò in re p̃sertim vestro Tertulliano Scriptori antiquissimo obtemperandum; qui ait: Fides nostra obsequiũ Apostolo debet prohibẽti quæstiones inire, nouis vocib⁹ aures accommodare;

Hæretici à nomine volunt doceri.

1. Tim. 3.

Tertull. de præscr. hær.

Hæreticum

Hæreticum post vnam correptionem conuenire, non post disputationem: Adeò interdixit disputationem, correptionem designans caussam Hæretici conuenendi, & hoc vnam scilicet, quia non est Christianus; & more Christiani, semel & iterum, & sub duobus, aut tribus testibus castigandus videretur; cùm ob hoc sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandum. Deinde quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, nisi planè, vt aut stomachi quis meat versionem aut cerebri: Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas: Et si quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad disputationem instituti sui interuertit; & si recipit, non recipit integras; & si aliquatenus integras præstat, nihilominùs diuersas expositiones commentata conuertit. Sed ne nostra taciturnitate Veritas oppressa videretur, non correptione modò, sed disputatione quoq; vobiscum agendum esse, ère Christiana fore existimauimus.

OBIECTIO NOVATORVM IX.

Aug. contra Epistolam funda. ca. 5. Augustini sententia: Euangelio non crederem, nisi me Ecclesię moueret autoritas; obiicitur contra autoritatē Ecclesiæ.

Scio, vulgò citari Augustini sententiam, vbi se Euangelio crediturum negat, nisi Ecclesiæ ipsum moueret autoritas. Sed quàm perperàm & calumniosè citetur in eum sensum, ex contextu facile est deprehendere. Negotium illi erat cum Manichæis, qui absque controuersia sibi credi volebant, cùm Veritatem habere se pollicerentur, non ostenderent. Quia verò vt Manichæo suo fidem astruerent, obtendebant Euangelium, rogat, quidnam facturi sint, si in hominem incidant,

incidant, qui ne Euangelio quidem credat; quo genere persuasionis eum sint in suam sententiam adducturi. Postea subiicit: Ego verò non crederem Euangelio &c. significans, se, cùm alienus esset à fide, non aliter potuisse adduci, vt Euangelium amplecteretur, pro certa Dei Veritate, quàm Ecclesiæ autoritate victum. Et quid mirum, si quis nondum Christo cognito, hominum respectum habeat? Non ergo illic docet Augustinus, fundatam esse piorum fidem in Ecclesiæ autoritate: Nec Euangelij certitudinem inde pendere intelligit; verùm simpliciter nullam fore Euangelij certitudinem infidelibus, vt inde Christo lucrifiant, nisi Ecclesiæ consensus eos impellat. Atque id paulò antè non obscurè confirmat, ita loquendo: Cùm ego laudauero, quod credo, & quod credis irrisero, quid putas nobis esse iudicãdum quídue faciendum, nisi vt eos relinquamus, qui nos inuitant certa cognoscere, & postea imperant, vt incerta credamus, & eos sequamur, qui nos inuitant priùs credere, quod nondum valemus intueri, vt ipsa fide valentiores facti, quod credimus, intelligere mereamur; non iam hominibus, sed ipso Deo intrinsecùs mentem nostram firmante atq; illuminante? Hæc certè sunt Augustini verba; ex quibus cuiuis colligere prõptum est, non hanc sancto viro fuisse mentem, vt fidem, quam Scripturis habemus, à nutu arbitrioue Ecclesiæ suspenderet; sed tantùm vt indicaret, quod nos quoque verum fatemur, eos, qui nondum Spiritu Dei

Augustl. lib. eod. ca. 4.

Sunt illuminati, Ecclesiæ reuerentia ad docilitatem induci, vt Christi fidem ex Euangelio discere sustineant, atque ita hoc modo Ecclesiæ autoritatem Isagogen esse, qua ad fidem Euangelij præparamur: Nam vt videmus, piorum certitudinem longè alio fundamento vult esse suffultam.

Hoc ergo sancti viri dictum: Ego verò Euangelio non crederem, nisi me commoueret Ecclesiæ autoritas; autoritati Euangelij opponunt homines vel imperiti Augustinianæ dictionis, vel illam malitiosè dissimulantes & peruertentes. Argumentatur aduersùs Manichæos ad hunc modum: Nostis, me statuisse, nihil à vobis prolatũ temerè credere; quæro ergo, quis sit ille Manichæus? Respondetis: Apostolus Christi. Non credo iam; quid dicas aut facias, non habebis: Promittebas enim scientiam Veritatis, & nunc, quod scio, cogis vt credam. Euangelium mihi fortè lecturus es, & inde personã Manichæi tentabis asserere. Si ergo inuenires aliquem, qui Euangelio nondum credit, quid faceres dicẽti: Tibi nõ credo? Cùm ista obiecisset Manichæis veritatis demonstrationem profitentibus & iactantibus, exempli vice de se ipso subiungit: Qualis non tunc cùm ista scriberet, sed olim fuerit, priusquàm ad synceram Euangelij fidem, relicta Manichæorum hæresi, accepisset, talis videlicet, qui nõ fuisset crediturus cuipiam testimonium ex Euangelio afferenti, sic consequenter dicit: Ego verò Euangelio non crederẽ, nisi me cõmoueret Catholicæ Ecclesiæ autoritas. Quod

illi

illi idem est, ac si diceret: Ego sanè talis olim eram, cùm à vobis Manichæis discederem, vt Euangelio non credidissem, nisi me cõmouisset Catholicæ Ecclesiæ autoritas: Ea enim dictio, quæ præterito imperfecto subiunctiui, pro præterito plusquàm perfecto eiusdem modi sumitur, apud eundẽ Augustinum frequentissima est. Quare prorsus alienum est à mente Augustini, si verba ista: Ego non crederem Euangelio, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret autoritas; non ad ea tempora, quibus adhuc erat Manichæus, sed ad ea referat, quibus ista contra Manichæos scribebat, etiam nõ propter Ecclesiam Euangelio credebat, sed propter agnitam in illa cœlestem & infallibilem Veritatem Dei.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quàm falsum sit dicere, Augustinũ non de eo tempore, quo eadem scribebat, sed de tempore, quo à Manichæorum hæresi discesserat, intellexisse, ea, quæ immediatè ante eadẽ verba dixerat, luce meridiana clariùs probant. Illic igitur cùm de Ecclesiastica sapientia, quæ eum in gremio Catholicæ Ecclesiæ, nõ quasi occasio, sed quasi vera caussa contineret, quædam loquutus fuisset, sic continuò subiungit: Vt hanc sapientiam omittam, quam in Ecclesia esse Catholica nõ creditis, multa sunt alia, quæ me in gremio eius iustissimè tenent: Tenet consensio populorũ & Gentium: Tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: Tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus

Aug. contra Epist. fund. cap. 5.

Quę Augustinũ in gremio Ecclesiæ cõtinuerint.

commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum: Tenet posiremò ipsum nomen Catholicæ, quod non sine causſa inter tam multas hæreſes, sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cùm omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus Hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum suam audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis chariſsima vincula, rectè hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia; etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, Veritas nondum se apertissimè ostendat. Apud vos autem, vbi nihil horũ est, quod me inuitet ac teneat, sola personat Veritatis pollicitatio; quæ quidem si tam manifesta monstratur, vt in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor; si autem tantummodò promittitur & non exhibetur, nemo me commouebit ab ea fide, quæ animum meum tot & tantis nexibus Christianæ religioni adstringit. Hactenus Augustinus.

Verba Augustini: Euãgelio nõ crederẽ &c. de quo tempore intelligẽda sint.

Quo loco quæ tandem hæretica impudentia dicere audebit, virum sanctum & eximium, Catholicæ Ecclesiæ autoritatis propugnatorem, de eo statu, quo Manichæus erat, & nõ de illo, quo librum hunc in eosdem Hæreticos cõtorquebat, sermonem texere? Quod si ita est, illa ergo, quæ immediatè iis assuuntur, de eodem tempore, de eodemq; Augustini statu sunt accipienda, non de eo, quo Manichæus erat. Et, quis non videt, in his,

in his, quæ recitauimus, verbis, multò maiora Ecclesiæ ab Augustino tribui, quàm sint illa, quæ Hæretici eidem donare renuunt, dum se eiusdem Ecclesiæ Catholicæ autoritate in eadem Ecclesiæ contineri ingenuè confitetur? Quin & cùm multa, quibus in Ecclesia, id est, in Christianorum societate, per rectam fidem contineretur, enarraret, confessionem scilicet populorum, autoritatem miraculis inchoatam, fide firmatam, charitate auctam, Romani Pontificatus nunquam interruptam successionem, ipsum denique Catholicæ Ecclesiæ nomen, nunquam tamen aut sacri Euangelij, aut sacrarum Scripturarum meminit: Nimirum quòd non illis, quæ etsi veræ sint, absq; autoritate tamen Ecclesiæ, sacræ aut diuinæ esse, cognosci nequeunt, sed Ecclesiastica autoritate non occasionaliter, sed verè caussaliter, in fide ac religione perstaret.

Fatetur igitur Augustinus ingenuè, se suam omnem fidem, non alteri quàm Catholicæ Ecclesiæ debere, dum illa: quid sit credendum, quid verè contrà sit refutandum, quasi mater ostendit. Facetur, se in fide, id est, in Christiana religione, eo etiam statu, quo ista scribebat, non per Euangelia, aut Scripturas, quibus quasi Diuinis, sine Ecclesiastica autoritate non crederet, sed per Ecclesiam conseruari, atque adeò neque eo tempore se Scripturis crediturum insinuat, nisi Ecclesia præscriberet. August. cui fidem suam acceptũ ferat.

His ergo verbis Augustinus caudato argumento (vt vulgò dicitur) seu Dilemmate aduersarium irre-

titum & illaqueatum tenet, quærens ab eo, vtrum eligat, placeátne Euangelio credere, an magis credere diffiteri. Quidquid dabit, suo verbo capiendus foret. Quòd si daret, credendũ esse Euangelio, statim quæret, quid facturus, si hominẽ inuenisset, qui Euangelio non crederet. Certè quidem parum apud eum Euangelica veritate profecisset. Inde sumit suum argumentum Augustinus, præmittens: Ego non crederem Euangelio, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret autoritas. Quare tantùm apud me Euangelium valebit, quantũ videro, ipsum Catholica autoritate præstare. Fit hinc, vt si quidpiã Ecclesia non probat, cuiusmodi erat Manichæi Apostolatus, perinde mecum ex Euangelio contendas, ac si hominem conuenires, qui Euangelio nondum credidit. At ego, inquit Augustinus, quia Euangelio credo, et non nisi per Ecclesiã; nõ possum probare, nisi quod eadem Catholica autoritas commendauerit.

Piorum quidem certitudinem D. Augustinus, vult Diuino fundamento esse suffultam; at ea, nisi Ecclesiastica autoritate firmetur, dum proponitur & explicatur, parum Augustino nostro probaretur, vt per eosdem integram Diuini verbi fidem perpetuò asseruet, per quos principiò accipere licuit. Hinc natum videmus, eum ipsum Doctorem, vt Manichæos, non tam Diuino verbo, quàm Catholicæ Ecclesiæ sensu & cõsensu vrgere, non modò pro approbanda Scriptura, quam illi repudiabant, verùm etiam pro enodanda, quam illi, tanquã Diuinam, suspiciebant. Quam etiam

rem

rem toto libello de vtilitate credendi fuse Augustinus commendat, vbi proponendi & exponendi autoritatem (quod opportunũ ad fidem nostram et necessarium omnino, vt ipse loquitur, exordium est) penès Ecclesiam semper recognoscit; vt tamen in hominum opinione nunquam acquiescere, sed certa & solida veritate niti Christifideles semper existimentur.

Non ergo de his tantùm, qui nondum Spiritu Dei illuminati sunt, verba sua intelligi volebat magnus Augustinus; sed multò magis regulã præscribere, quã perpetuò tenerent non Catechumeni solùm, sed omnes alij, qui à Scripturæ Veritate nunquã deficere student.

OBIECTIO NOVATORVM X.

Ecclesiæ autoritas interpretãdi scripturam oppugnatur.

Papistæ contendunt, donum interpretationis ordinariæ Episcoporum successioni ita alligatum esse, vt quicunq; ad Episcopales thronos euehatur, eius qualescunq; interpretationes statim suscipiendæ & venerandæ sint, tanquam legitimæ, veræ & sanæ, quæ valerent ex priuilegio loci, quem illi occupant. Et talis est etiam persuasio Synodorum, quòd quando ibi congregati sunt omnes Episcopi, sicut in Arca Noë animalia munda & immunda congregabantur, quamcunq; illi sine probatione tradant interpretationem, eam amplectendam: Propterea q; fingunt, Cathedris Episcoporum indiuulsè alligatum esse donum interpretationis.

Genes. 7.

RESPONSIO CATHOLICA.

Disputatoris synceri & integri, & præsertim Christiani officium imprimis est, vt si quando incidat

Lutherani infideles incitandi Catholicorum sententiis.

necessitas, reprehendi aliorum Scriptorum sententias, vt eas bona fide, syncerè & simpliciter, minimeq; captiosè proponat, actum demum eas excutiat. At nostri aduersarij nihil pensi prorsus habent, fidelitérne Pontificiorum sententias an falsò commemorent, modò Catholicos odiosè, apud lectores ineruditos traducere valeant: Quis enim vnquam Pontificius scripsit, donum interpretationis ordinariæ Episcoporum successioni ita alligatum esse, vt quicunque ad Episcopalem Cathedram euehatur, eius qualescunq; interpretationes statim suscipiendæ sint & venerandæ, tanquam legitimæ, veræ & sanæ, idq; ex priuilegio loci, quem occupant? Neminem enim sanè tam rei Theologicæ imperitum Pontificium extitisse arbitror.

Catholicorum sententia de dono interpretationis concesso Ecclesiæ.

Ac hoc est, quòd secundùm testimonia tam veteris quàm noui Testamenti, Catholici de dono interpretationis in Ecclesia docent, docendi munus in Ecclesia non passim quibuslibet permissum esse, sed certo cuidam ordini: Ipse, inquit Paulus, dedit quosdã quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas; alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Et in Epistola ad Corinthios: Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secũdò Prophetas, tertiò Doctores. Et in Actis: Attẽdite vobis et vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quã acquisiuit sanguine suo. Et sub veteri Testmẽto: Sacerdotes

Ephes. 4.

1. Cor. 10.

Actor. 20.

Ezech. 44.

Sacerdotes populum meum docebunt, quid ſit inter ſanctum & pollutum, & inter mundum & immundum, oſtendent eis. Et cùm fuerit controuerſia, ſtabunt in iudiciis meis, & iudicabunt leges meas. Et rurſus: Interroga Sacerdotes legem. Rurſus: Labia Agge. 3.
Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent Malach. 2.
ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt.

Ad illud autem munus in Chriſti Eccleſia non eſſe aſſumendos aut euehendos, niſi qui dono interpretationis, ſiue per reuelationem, abſque omni humano ſtudio & induſtria Diuinitus conceſſo, ſiue per laborem & exercitationem multam, Scripturarũ Diuinæ gratiæ præſidio comparato inſtructi eſſent; quia ſine Scripturarũ interpretatione docendi munus rite peragi non poſſe, manifeſtum eſt: Atq; horum ad docendi munus in Eccleſia vocatorum, omnem interpretationem Eccleſiæ iudicio ſubiectam eſſe debere. Sicut ordinat Apoſtolus in Eccleſia Corinthiorum: Prophetæ, 1. Cor. 14.
inquiens, duo aut tres dicant, & cæteri, nempe Prophetæ, diiudicent. Quod ſi alij reuelatum fuerit, prior taceat: Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare; & 1. Cor. 14.
Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt: Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis; vt ſi quando in Eccleſiam irrepſerint Pſeudoprophetæ, quod futurum Paulus Diuino Spiritu præuidebat, Eccleſia diiudicaret, verũmne à Deo interpretationis ſacræ donum haberent; an verò per arrogantiam aut hypocriſin illud ſibi falſò arrogarent, & Pſeudoprophetas à veris & Ad munus docendi quinam vocandi.

ris & germanis Diuinitus missis dignosceret.

Iudiciũ cõtrouersiarũ de sensu Scripturæ in Ecclesia.

Quòd si verò in Ecclesia de certæ alicuius Scripturæ Diuinæ interpretatione inter plures, qui dono etiam interpretationis videntur præditi esse, quæstio & cõtrouersia oriretur, quæ nam esset germana & syncera interpretatio, quam tenere & sequi oporteret; constitutam esse in Ecclesia à Christo Cathedram quandã, tanquam summum tribunal Ecclesiæ, quæ consuli deberet, & à qua, certa definitio postulari deberet; eiusque Cathedræ præsidem, ius publicum & autoritatẽ, ex perpetua Spiritus sancti præsentia & gubernatione à Christo ipsi promissa, interpretandi & verum Scripturæ sensum tradendi à Christo habere. De cuius interpretatione & definitione, post multam inquisitionem & probationem, & præsertim in Episcoporũ & doctorum virorum undequaq; conuocatorum cœtu, tanquam de Spiritus sancti interpretatione statuendũ esset, nec ampliùs certamina & disquisitionem admittenda. Hanc verò interpretationis summam autoritatem & ius non cuilibet Episcopo à Christo, ꝓpter Episcopalis functionis locum & gradum, promissam esse.

Calumnia Hæreticorũ de dono interpretationis.

Quæ Catholicorum doctrina quàm sit diuersa ab ea, quam affingunt eis Hæretici, luce meridiana clarius esse existimo: Propter priuilegium fastigii Episcopalis, statim eorum quaslibet interpretationes Scripturarum, tanquam legitimas, veras & sanas recipiendas esse, donumq; interpretationis Episcoporum Cathedris indiuulsè alligatum esse.

De dono

De dono quoque interpretationis hoc manifestum est ex Christi & Pauli doctrina, illud à Spiritu, quibus vult distribui, non iis solùm, quos Spiritus sanctificat, iustificat, & in corpore Christi vera et viua mẽbra facit; sed etiam aliquibus, quos illustrat quidẽ luce scientiæ rectæ & intelligentiæ Scripturarum. Quæ illustratio Spiritus rectè appellatur, & est: Sed non luce illa Diuinæ & sanctæ charitatis, quæ filios Dei facit. Diuisiones, inquit Paulus, Gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem, ad vtilitatem scilicet Ecclesiæ, non autem ad propriam sanctificationem. Et Christus apud Matthæum: Multi dicent mihi illa die: Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus? Et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui vos. Ex qua Apostoli sententia hoc quoque manifestum est, quatenus Spiritus sancti illuminatione opus sit ad inueniendum & diiudicandum verum Scripturæ sensum.

1. Cor. 12.

Matth. 7.

Postremò manifestum est & hoc, quòd non doceant Catholici, donum interpretandi Scripturam, esse penès solos summos Pontifices: Fatentur enim, Spiritũ sanctũ, cùm sit liberrimus in donorũ suorũ distributione, non esse

An donum interpretãdi scripturã sit alligatũ summis Põtificibus.

non esse alligatum ad certum genus hominum, sed distribuere dona pro suo beneplacito, etiam quibusdam de infimo ordine hominum, vt Piscatoribus & Pastoribus, si illius Diuino consilio ita videatur: Imò de sexu etiam muliebri, vt Delboræ. Sed priuilegia paucorum non faciunt legem communem, quasi Pastores passim armentorum, & mulieres prophetare possint aut debeant, quia Amos & Delbora prophetauerunt. Quin potiùs Paulus præscribit in Ecclesia Corinthiorum, vt mulieres prorsus in Ecclesia non loquantur.

Iudic. 4.

Amos. 7.
Iudic. 4.
1. Cor. 14.

OBIECTIO NOVATORVM XI.

Ecclesiæ autoritas interpretandi Scripturam oppugnatur.

Papistæ ex dono interpretationis faciunt autoritatem quasi Prætoriam seu Dictatoriam, vt non opus ipsis sit interpretationem probare, monstratis certis & firmis rationibus & fundamentis interpretationis: Sed sine examine, sine inquisitione & diiudicatione simpliciter volunt nos iurare in illum sensum, quem nobis obtrudunt illi, qui sine ostensione Spiritus, ius interpretandi sibi arrogant.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quòd obiicitur, Papistas ex interpretationis dono facere Prætoriam & Dictatoriam autoritatem, vt nullis rationibus & probationibus redditis, velint suas interpretationes suscipi; an non scelerata & manifesta est calumnia? Cùm nullam palàm doceant interpretationem, vt certam prorsus & firmam recipiendam, nisi quæ vel apertissimis Scripturæ testimoniis, vel concordi & consentiente Patrum explanatione &

tione & antiquitatis testimonio fulciatur. Quæ ratio interpretationis in omnibus Ecclesiæ Synodis semper est adhibita.

OBIECTIO NOVATORVM XII.

Quando dictum aliquod Scripturæ Pontificij ad suas corruptelas transformârunt, solicitè inquirunt in Patrum scriptis, vt aliquas inde sententias corrodant, quomodocunque patrocinaturas suo proposito. Et tales interpretationes veterum quacunq; occasione, quocunq; modo traditas contendunt, simpliciter, sine discrimine & examinatione recipiendas esse, siue verbis Scripturæ consentiant, siue ab illis dissentiant; cùm ipsi Patres lectorem nolint ita sibi alligatum, vt putent necesse sibi esse, aliquid ideo credere, quoniam à Patribus dicitur: Sed quia dicta sua vel per Scripturas Canonicas, vel per alias probabiles rationes, quòd à veritate non abhorreant, persuadere possunt.

Ecclesię autoritas interpretandi scripturam oppugnatur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quòd in hoc argumento proponitur Papistas docere, quaslibet Patrum interpretationes recipiendas esse sine vlla examinatione, siue Scripturæ consentiant, siue ab illis dissentiant, contra Patrum ipsorum de suis scriptis apertam testificationem; tam est putidũ mendacium, vt non mereatur responsionem: Luce enim meridiana clarius est, Catholicòs Doctores nullius vnius, quamlibet eruditi & sancti Scriptoris, interpretationem priuatam pro certa & indubitata habere, aut

re, aut habendam censere, nisi vnanimi totius antiquitatis consensu & testificatione sit communita, testificata & approbata: Sic enim Synodus in Canone decernit, vt contra vnanimem Patrum consensum nemo interpretari Scripturam audeat.

CAPVT XIIII.

OBIECTIONES ADVERSARIORUM contra Ecclesiæ potestatem: Et earundem solutiones.

OBIECTIO NOVATORVM I.

Ecclesię potestas obligãdi ad peccatum mortale oppugnatur.

PECCATVM est dictum vel factum, vel concupitum contra legem æternam Dei. Ergo Lex Ecclesiæ non obligat ad mortale.

RESPONSIO CATHOLICA.

Negatur Consequentia: Verum enim est, omne peccatum esse contra legem Dei, sed non contra solam legem Dei. Neque contra solius Dei mandatum facere peccatum est, sed & contra præceptum humanum, puta, Patris, Principis, vel Pontificis: Peccare enim nihil aliud esse videtur, quàm contra rectam rationem agere. Omnis ratio obligandi cuiuscunque legis à Diuina & æterna deriuatur. Sed non ideo omnis lex Diuina est. Sicut omne verum à prima & Diuina Veritate trahit originem; tamen non omnis Veritas Diuina est. Grammatica & Rhetorica & Mathematicæ scientiæ, habent (vt inquit Hieronymus) in suis scientia veritatem, sed non est hæc doctrina pietatis.

Peccare quid.

Et omnis

Et omnis activa potentia ex prima & Divina pendet; non tamen solus Deus operatur, omnibus causis secundariis cessantibus. Pariformiter dicendum est de legibus & obligationibus.

OBIECTIO NOVATORVM II.

Nemo potest obligare ad pœnam, quæ non potest punire peccantem. Sed Ecclesia non potest inferre pœnam æternam. Ergo etiam non potest obligare ad ea.

Ecclesiæ potestas obligãdi ad peccatum mortale oppugnatur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Nullus Legislator propriè ligat ad pœnam, sed ligat subditum ad aliquid agendum, vel non agendum, qui contrafaciendo meretur pœnam, non modò qua de iure vel de facto Legislator punire potest peccantem, sed & eam, quam supremus Legislator, qui eodem facto offenditur, inferre potest: Si enim argumentum valeret, æqualiter concluderet, nullo modo peccatum esse mortale vel veniale, transgredi quodcunque hominis præceptum, vel legem: Solus enim Deus potest punire peccantem pœna Inferni, vel Purgatorij; quam tamen nemo negat eum mereri qui peccat.

OBIECTIO NOVATORVM III.

Ista consequentia non valet. Iste transgrediendo legem humanam peccat mortaliter: Ergo transgressio legis humanæ est mortalis. Per simile de medico dicente patienti: Nisi triduo abstineat, à vino morietur: Iste bibendo vinum peccat mortaliter, quia interficit seipsum faciendo contra Divinum præceptum: Non occides.

Ecclesiæ potestas obligãdi ad peccatum mortale oppugnatur.

RESPON-

RESPONSIO CATHOLICA.

Discrimen Medici & Legislatoris.

Non est simile de Medico & Legislatore: Quia Medicus fungitur tantùm vice nuntij & præconis annuntiantis id, quod pertinet ad suam facultatem, ei tanquam experto in sua scientia credere tenetur ægrotus. Longè aliter est de Ecclesia vel Papa, aut Imperatore, qui non tantùm est nuntius legis Dei, sed etiam est autor suæ legis, per quam subditos obligat: Medicus enim vt talis nullam iurisdictionem vel autoritatẽ habet in ægrotos suæ solicitudini commissos. Vnde is, qui habet aliud medium pertingendi ad sanitatem à medio præscripto à medico, nec in Deum, nec in hominem peccat, prætermittendo præceptum Medici. Secus est in præceptis legis humanæ, quia subditus tenetur medium amplecti à lege determinatum, quod per autoritatem Legislatoris factum est necessarium.

Ea enim est natura iuris positiui, vt antequàm ponatur, nihil referat, hoc an illud fiat; sed postquàm positũ est, refert; vt dicit Aristoteles: Vt exempli causa: Non excusatur à transgressione legis, qui alio modo licito & honesto cultum exteriorem Deo exhibet, quàm audiendo Missam die festo, & cessando à seruilibus operibus. Item is, qui alio modo corpus suum castigat, & seruituti Spiritus subiicit, quàm ieiunio Quadragesimali, non euadet transgressionem legis, si non ieiunet Quadragesimam: Quod tamen satis esset ad euadendum peccatum, præueniendo legem positiuam, & stando in terminis legis Diuinæ & naturalis.

Aristotel. 5. Ethic.

OBIE-

OBIECTIO NOVATORVM IIII.

Ecclesia non potest aliquid addere ad fidem, quod non priùs esset de fide: Ergo neque ad legem præceptiuam.

Ecclesiæ potestas obligãdi ad peccatũ mortale oppugnatur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Quando lex aliqua positiua fertur, nihil additur ad legem Dei; quia talis lex humana est, non Diuina. Fieret autem additio ad legem Dei, si talis diceretur esse lex Diuina, & tali legislatori resistendum esset, sicut adulteratori Diuinæ legis, non minùs quàm si legem aliquam Diuinam abrogare conaretur: Est enim æqualiter prohibitum ad Diuinam Scripturam addere & detrahere. Non autem sequitur: Transgrediens præceptum hominis pœnam meretur, quam solus Deus inferre potest: Ergo idem præceptum Diuinum est: Præcipit enim Pater filio, Dux militi, Vir vxori, Dominus seruo, non tantùm quæ Deus præcipit, puta ne homicidium, adulterium, vel mendacium, aut aliquid simile committat, sed & impertinentia secundùm se ad Diuinam legem; pertinentia tamen ad ius & facultatẽ præcipientium, vt ille Centurio Euangelicus dicebat: Habeo sub mę milites, & dico huic: Vade; & vadit; & alij: Veni; & venit; & seruo meo: Fac hoc; & facit. Non est tamen simile de fide & lege, siue præcepto ligante subiectos; quia fides soli Diuinæ Veritati innititur: Est enim solùm de reuelatis: Sed lex obligans, non tantùm innititur primæ legi, vel supremæ potestati, sed etiam secundariis &

Deut. 12. Prouer. 30. Apocal. vlt.

Matth. 8.

participatis, in quibus est subordinatio, sicut in causis efficientibus & finalibus.

OBIECTIO NOVATORVM V.

Ecclesię potestas obligādi ad peccatū mortale oppugnatur.

Christianus legem Christi profitetur, dum baptizatur: Monachus verò regulam Benedicti, Augustini vel Francisci, dum Monachus efficitur. Sed Abbas non potest Monachum vltra vel præter regulam professam obligare: Ergo nec Ecclesia vel Prælatus Christianum vltra vel præter legem Christi.

RESPONSIO CATHOLICA.

Differentia inter legem Christi & regulā Monasticam.

Ad hoc argumentum respondetur primò, negando similitudinem: Quia regula monastica est quidam determinatus viuendi modus, addens vltra legem Christi quasdam ordinationes humanas, ad quas, ex sua professione, non tenetur ad ampliùs faciendum, quàm vouendo se obligare intenderit. Sed lex Christi, quam baptizatus seruare tenetur, Diuina est, totam legem naturalem includens, in qua obligatio non pendet ex humana voluntate, sed ex Diuina, secundùm quam legem tenetur ad Baptismum suscipiendum.

Item lex Christi generalis est, ferè nihil præcipiens de iudicialibus & ceremonialibus, & quasi omnia talia relinquens disponenda arbitrio Rectorum Ecclesiæ.

Ideo longè alia est potestas ipsi Ecclesiæ relicta ordinandi, statuendi, & leges, siue Canones condendi, specificando iudicialia & ceremonialia, atque cætera ad com-

ad communem Christianorum conuictum necessaria, quàm erat Ducibus & Principibus populi Iudaici; atque adeò quàm Abbatum, respectu suorum Monachorum: Nam Abbates eadem regula viuere tenentur tanquam Monachorum Commonachi ex sua professione. Vnde non possunt in toto vel parte regulam tollere, quia subsunt regulæ; & est in hac parte simile de Prælatis Ecclesiæ erga legem Christi & Diuinam, secundùm quam viuere tenentur.

Secundò dicendum est, quòd totus Ordo in generali Capitulo aliquam legem facere potest, qua ligetur Monachus; quamuis illa lex de regula non esset, quando eam profitebatur. Item quando experientia manifestat, aliquam partem regulæ minùs conuenire communitati professorum regulam, potest totus Ordo eam tollere vel mitigare, accedente consensu & approbatione Sedis Apostolicæ. Et quoniam humanæ leges ex consuetudine firmantur vel infirmantur, Regula Monastica, quo ad illa, quæ sunt humanæ ordinationis, per consuetudinem fieri potest strictior vel latior, manentibus substantialibus, & his, quæ directè sub obligatione voti cadunt: Nec sunt dicendi tales Monachi non seruare Regulam suam; vt est omnium Theologorum & Canonistarum sententia. Et idem eleganter dicit Bernardus in apologia in Guilielmum Abbatem, loquens de Cluniacensibus professoribus regulæ Beati Benedicti.

Bernardus in apolog. in Guiliel. Abbatem.

OBIECTIO NOVATORVM VI.

Galat. 4. Pœnæ Hæreticorum obiiciuntur contra potestatem Ecclesiæ.

Apostolus Paulus ad Galatas scribit: Quomodo tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm Spiritum: Ita & nunc &c. Quid autem quæso est, quod Apostolus inquit: Ita & nunc; si hoc non est? Quia semper quicunq; Christum pura fide amplectuntur & prædicant, tanquam veram & propriam credentium omnium iustitiam ac Spiritum sanctum facta carnis mortificantem hauriunt: Hi enim secundùm Spiritum cum Isaac verè nati dicuntur, ab Ismahelitis hominibus secundùm carnem tantùm natis, hoc est, à syncera fide & Diuino Spiritu nudis & vacuis affliguntur ac modis omnibus diuexantur. Hoc nobis vsu hodie euenit: Idem nos hoc tempore patimur, qui sanctam hanc & salutarem doctrinam amplectimur & prædicamus? Quibus enim conuitiis non iactamur? Quibus probris non vexamur? Quibus locis non extrudimur? Quibus Matth. 27. *plagis non cædimur? Qua morte non afficimur?* Actor. 17. & 24. *Dicimur cum Christo seditiosi, cum Paulo & Sila turbulenti, concitatores plebis, perturbatores orbis. Quæ quidem omnia veritatis, quæ nunquam non oppugnantur, argumenta sunt certissima, indiciaque clarissima, quam nos prædicamus atque defendimus, ipsi autem odio habent & vehementer oppugnant.*

RESPONSIO CATHOLICA.

Non ob eam, quam vos fingitis, caussam, sanctissima fidelium parens & educatrix Ecclesia, vos non

(vt di-

(vt dicitis) affligit, aut inimicè insectatur, quòd veritatem ametis, defendatis, prædicetis: Sed quodam pio ac salubri quasi flagello, tanquam errantes oues ad gregem & ad Pastorum ouilia reuocare, suis omnibus viribus nititur & studet: Cùm enim id, quod de vestra sanitate vehementer optabat, nulla sibi alia successisse via videret, omnes experta, filiorum suorum satagens, vim denique more Maiorum adhibendam esse censuit, vt vos à turpi vestro consilio, & ab erroris vestri pernicie, ne dicam furore retraheret; atque hoc non (vt vos impudenter fingitis) quòd Christi iustitia & almi Spiritus sanctitate iustos nos ac sanctos effici prædicetis: Hæc enim ab Apostolis prædicata literisque mandata, à Patribus accepta & declarata, ac quasi per manus tradita, purè ac sanctè nos quoque custodimus. Verùm, quia Veritatem hanc, tot erroribus, tot mendaciis, tot vanitatibus, tot hæresibus contaminatam deturpastis, vt non tam commutandæ, quàm euertendæ religionis cupidos vos esse ostenderitis: Id quod Genti primùm vestræ, deinde quibusdam nimis credulis, aliarum etiam Nationum hominibus, quibus fucum, vt dicitur, feciſtis, intolerandam licentiam, Diuinarum humanarumque legum neglectum, calamitatem denique peperit perpetuam.

Ecclesia quomodo & cur persequatur Hæreticos.

Sed vt non coniectura, verùm oculis ac manibus teneamus, quàm falsum illud sit, in quo multi estis, & vsque ad summam impudentiam inepti, Ve-

Heretici nõ patiuntur persecutionẽ propter veritatem.

ritatis ſcilicet gratia vos vexari, cuius vos vnos defenſores & propugnatores facitis: Dicite, quæſo, an non priùs à vobis multis nos vexati contumeliis, multis iactati ſumus iniuriis? Quid aliud famoſi veſtri libelli, quibus omnia referſiſtis, continent, nisi Pontificum, Cæſarum, Regum, Epiſcoporum, Principum, Monachorum, omnium denique Catholicorum Ordinum iniuſtas vexationes, calumniarum plenas accuſationes, & tam infames, quàm falſas contumelias? An vos noui non fuiſtis Germaniæ totius circumcelliones, plagis, rapinis, cædibus, incendiis omnia vaſtantes? Cœnobia, Sacerdotia, Prædia, Villas, Domos, Bona omnia Catholicorum hominum, quorum nemo vlla vos iniuria laceſſierat, diripientes, & occupantes? Quorum incredibili audaciæ & temeritati, cùm alia mitiore ratione, obuiàm ire non potuiſſet Carolus Quintus Imperator & potentiſſimus, & religioſiſſimus, qui longè plurimum omnium Germanorum Imperatorum & virtute bellica & opibus valet, maximo ac fortiſſimo comparato exercitu, bellum vobis & ipſi patriæ propter religionem indixit & intulit: Pium illud quidem, & maximè neceſſarium, vt exitus belli propè Diuinus, quem vidiſtis, facilè oſtendit: Deiecit enim bellicoſiſſimam & omnibus Nationibus formidoloſiſſimam Germaniam, non hoſtium exercitu arte aliqua extra ſuos fines allecto & extracto; ſed in ipſius Germaniæ medio atque viſceribus. Ducis verò

Hæretici perſequuntur Catholicos.

Bellum Schmalkaldicum.

verò non tam exercitus, quàm sceleratæ impietatis, in suam potestatem, re bene gesta, redegit: Idque anni tempore durissimo, summaque hieme, cùm iure Gentium omnia bella conquiescunt. Quod quidem bellum, non tam à Cæsare, quàm ab ipso Deo rerum omnium auctore & Moderatore, aduersùs vos fuisse susceptum & administratum, & perpetua hybernorum mensium moderatio, & summa cœli alieno tempore serenitas apertè demonstrârunt.

Sed vt ad argumentum reuertamur: Qualis ea sit vexatio, quam vos primi in nos concitastis: Qualis item ea, qua Pont. Max. Cæsar, Catholicique Reges, ne Christianæ religioni nocere pergatis, vestras propulsant & vlciscuntur iniurias: Quidque inter vtranque intersit, cognoscite: Cognoscite, inquam, non meis, sed Augustini hominis mitissimi ac lenissimi verbis his, quæ sequuntur: Si boni & sancti nemini faciunt persecutionem; sed tantummodò patiuntur; cuius est in Psalmo vox illa: Persequar inimicos meos, & comprehendam eos, & non conuertar, donec deficiant? Si ergo verum dicere, vel cognoscere volumus, est persecutio iniusta, quam faciunt impij Ecclesiæ Christi; & est iusta persecutio, quam faciunt impiis Ecclesiæ Christi. Ista itaque beata est, quæ persecutionem patitur propter iustitiam: Illi verò miseri, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Proinde ista prosequitur diligen-

Augustinus Epist. 50.

Psalm. 17.

Duplex persecutio piorum & impiorum.

Matth. 5.

do; illi ſæuiendo: Iſta, vt corrigat; illi, vt euertant: Iſta vt reuocet ab errore; illi, vt præcipitent in errorem: Denique iſta perſequitur inimicos, &
Pſalm. 17. *comprehendit, donec deficiant in vanitate, & in veritate proficiant. Illi autem retribuentes mala pro bonis, quia eis conſulimus ad æternam ſalutem, etiam temporalem nobis conantur auferre. Hæc Diuus Auguſtinus: Qui, quod ad hunc quoque attinet lo-*
Auguſtinus Epiſt. 48. *cum, quem ex Apoſtolo Paulo ad veſtræ cauſſæ commodum torquetis, alio loco ſic inquit: Duæ mulieres Sara & Agar, & duo filij earum Iſaac & Iſmahel, pro ſpiritalibus & carnalibus figurantur. Et cùm*
Gen. 16. 21 *legamus ancillam & filium eius à Sara paſſos graues moleſtias: Paulus tamen Apoſtolus dicit, quòd ab Iſmaële perſecutionem ſit paſſus Iſaac. Sed ſicut*
Galat. 4. *tunc (inquit) ille, qui erat ſecundùm carnem, perſequebatur eum, qui erat ſecundùm Spiritum: Ita & nunc: Vt qui poſſunt intelligant, magis Eccleſiam Catholicam perſecutionem pati ſuperbia & impietate carnalium, quos temporalibus emendare conatur.*

Quidquid ergo facit vera & legitima mater, etiamſi aſperum amarumque ſentiatur, non malum pro malo reddit; ſed bonum diſciplinæ, expellendo malum iniquitatis, apponit, non odio nocendi; ſed dilectione ſanandi.

Ad hanc quoq; confirmandã ſententiã varia colligit ex Sacris

ex Sacris literis exempla, quæ totidem verbis recitare liceat. Inquit: Cùm boni, & mali eadem faciunt, eademque patiuntur, non factis & pœnis, sed caussis vtique discernendi sunt. Similitudo facti bonos & malos sæpe cõiungit, & eosdem causse dissimilitudo discernit.

Pharao populum Dei duris laboribus atterebat. Moyses eundem populum impiè agentem duris coërcitionibus affligebat. Similia fecerunt; sed non similiter prodesse voluerunt: Ille dominatione inflatus; iste zelo inflammatus. Exo. 1. &c. Exo. 32. &c

Iezabel occidit Prophetas: Helias occidit Pseudoprophetas. Puto, quòd diuersa sint merita facientium, & diuersa passorum. 3. Reg. 18.

Aspice etiam tempora noui Testamenti, quando iam ipsa mansuetudo charitatis nõ solùm in corde seruanda, verùm etiam in luce monstranda, quando Petri gladius in vaginam reuocatur à Christo, & ostenditur non debuisse de vagina eximi neque pro Christo. Legimus tamen, non modò, quòd cæciderunt Iudæi Paulum Apostolum, verùm etiam quòd cæciderunt & Græci pro Paulo Apostolo Sosthenem Iudæum. Nonne similitudo facti, quasi vtrosq; coniungit, & tamen eos caussæ dissimilitudo discernit? Matth. 26. Asto. 16. 22. 2. Cor. 11. Actor. 18.

Tres cruces in loco vno erant. In vna latro liberandus; in alia latro damnandus: In media Christus alterum liberaturus, alterum damnaturus. Quid similius istis crucibus? Quid dissimilius istis pendentibus?

Traditus est Paulus includendus & colligandus; sed quolibet custode carceris peior est vtiq; Satanas; Actor. 16.

1.Cor.6. *cui tamen ipse Paulus tradidit hominem in interitum carnis, vt Spiritus saluus sit in die Domini Iesu.* Item 1.Tim.1. *cùm ait idem Apostolus, tradidisse se quosdam Satanæ, vt discerent non blasphemare; malum pro malo reddidit, an potiùs etiam per malum emendare bonum opus esse iudicabit?*

Persecutionē pati aut facere, non semper laudabile aut culpabile. Matth. 5. Psal. 100.

Si semper esset laudabile, persecutionem pati, sufficeret Domino dicere: Beati, qui persecutionem patiuntur; nec adderet, propter iustitiam. Item si semper esset culpabile persecutionem facere, non scriptum esset in sanctis libris: Detrahentem proximo suo, hunc persequebar semper, & mali persecuti sunt bonos, & boni persecuti sunt malos; illi nocendo per iniustitiam; illi consulendo per disciplinam; illi seruientes cupiditati; illi charitati: Nam qui trucidat, non considerat, quemadmodum laniet; qui autem curat, considerat, quemadmodum secet: Ille enim persequitur sanitatem; ille putredinem.

Sed ne defatigemur, obsecro, Augustinum iterum hac de re audire differentem; cuius seculo eadem erant Hæreticorum voces & querimoniæ: Vexamur à Regibus; vexamur à Principibus; cùm, ne animas ipsi vel suas, vel aliorum delerent ac perderent, exiliis, vinculis, carceribus, sæpe etiam supremo supplicio à Catholicis Regibus & Principibus castigarentur. Et factum est (Augustinus ait) cùm luderet Genes. 21. *Ismahel, & Isaac vidit eos ludentes: Quis persecutus est? Quem persecutus est? Ludentes eos vidit Sara, & ait:*

& ait: Eiice ancillam, & filium eius. Quare? quia vidit eos ludentes; sed lusum illũ Paulus persecutionem vocat; quia lusio illa, illusio erat: Si illusio; seductio & deceptio. Omnis lusus puerorum simulachrum est negotij maioris, & quãdo maior ludit cum minore, quasi vt seducatur, sciens se habere negotia alia, quæ intendit, & simulat quædam puero, id est, infirmo, ludens cum illo. Maior erat Ismahel & roboratus in malitia; sed ludens cum puero Isaac, seducebat Isaac, & quasdam fraudes ludendi cum infirmo faciebat. Animaduertit mater, lusum illum esse persecutionem. Si intelligit mater lusum illũ, intelligit Ecclesia lusum illum. Sara dixit: Eiice ancillam & filium eius: Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Et Ecclesia dicit: Eiice Hæreticos, & filios eorum: Non enim hæredes erunt Hæretici cũ Catholicis. Sed quare non erũt hæredes? Nonne de semine Abrahæ nati? Et quomodo Baptismũ Ecclesiæ habent? Baptismum habent. Hæredẽ faceret semen Abrahæ, nisi ab hæreditate superbia excluderet. Eodẽ verbo nasceris, eodem Sacramento: Sed ad eandem hæreditatem non peruenis, nisi ad Ecclesiã Catholicã reuersus fueris. Ex semine Abrahæ nasceris; sed filius ancillæ foris est propter superbiã. Galat. 5. Genes. 21.

Cernitisne iã & intelligitis, qualis fuerit vexatio, qua vos tot annos in Sanctã Catholicã Ecclesiã insultastis, quantumq; ab ea dissideat pia nostra correctio, qua vel emẽdare vos, vel furori vestro resistere conamur; ne malorũ contagiones, q̃ à vobis proficiscuntur, latiùs

latiùs manent: Quemadmodum & in corpore nostro, si quid est eiusmodi, quod reliquo corpori noceat, vri patimur & secari.

OBIECTIO NOVATORVM VII.

Ecclesiæ potestas excõmunicandi oppugnatur.

Luther. in serm. de excommunicatione.

Fidelium communio bifariàm distinguitur: Altera enim interna est & spiritualis: Altera externa & corporalis. Illa constat fide, spe & charitate in Deum: Hæc verò est participatio Sacramentorum, quæ fidei, spei & charitatis signa sunt. Eadem insuper ad communionem vsq; rerum vsus, colloquij, habitationis aliarumque corporalium conuersationum extenditur: Sicut iam nulla creatura potest animã, illa priori spirituali communione, vel excommunicare, vel excommunicatam reconciliare, nisi solus Deus: Ita nec potest alius quisquam communionem illam spiritalem tollere, seu quenquam excommunicare, nisi homo ipse seipsum per peccatum proprium. Ex quibus consequitur, vel excommunicationem Ecclesiæ nullam esse, vel si quid sit, esse communionis externæ duntaxat priuationem, hoc est, Sacramentorum, funeris, sepulturæ, publicæ orationis, atq; id genus cæterorum.

RESPONSIO CATHOLICA.

Hæc argumentatio Lutheri plurimum habere fuci videtur, perparum verò solidæ veritatis: Quid enim, si nemo fidem, spem, aut charitatem auferre posset ab homine, nisi per peccatum has ipse tollat sibi, num non restant alia, quæ per excommunicationem tollantur? Neq; nos negamus, quin indignè quispiam interdum excommu-

excommunicetur, cùm nihil inde prorsus dispendij patiatur. Sed nos de illo, qui iustè fuerit excommunicatus, loquimur: Cuiusmodi sunt hi, qui plerunq; fidem retinent, amissa charitate: Qualis nimirum & Corinthius ille fuerat, quem Paulus Satanæ tradidit. 1. Cor. 5.

Num (te quæso) Corinthius iste post traditionem & excommunicationem, quam ei Paulus inflixit, non iam in ampliorem, quàm antè fuerat, detrusus est Satanæ potestatem? Quid enim prohibet, quò minùs id fieret? Cùm & de Iuda legamus, bis eum in potestatem Satanæ venisse: Semel cùm concepit animum tradendi Christum; atque iterum, quando buccellam accepit à Christo. Sic nimirum & Corinthius ille, semel (cùm peccauit) sub ditionem Satanæ venit, ac denuò (cùm excommunicatus fuerat) & tunc multò quidem euidentiùs. Intellige quæ dico: Corinthius ille primò per Baptismũ communionis Ecclesiasticæ factus est particeps. Deinde per culpam charitatem amisit, & dilapsus est in aliquam Diaboli seruitutem: Et quanquam erat spiritaliter in se mortuus, nimirum quia charitate caruit; erat tamen adhuc per fidem Ecclesiæ membrum, & mystico corpori coniunctus. Quo sanè factum est, vt non, quantum voluit Satanas, in illum potuerit sæuire: Obsistebant enim ei preces & cætera spiritualia totius Ecclesiæ bona, quorum erat adhuc aliquo modo Corinthius ille particeps, ne pro sua libidine vexaret hominem: Quid enim aliud (te precor) Satanæ malitiam cohibuit tunc magis, quàm postea?

Corinthius à Paulo excommunicatus.

Iudam bis in potestatẽ Satanæ venisse, legimus. Matt. 26. Ioan. 16.

Excommunicationem plurimũ ob esse excommunicato, exẽplo Corinthij probatur.

Nempe

Nempe cùm illius potestati datus erat Corinthius: Aut cur non æquè priùs vexauit illum, si non minùs tunc ab eo fuerat possessus?

Verùm inquies: Etsi maiorẽ in corpus accepit potestatem; non tamen in animam identidem. At istud illic haudquaquam probas: Bene quidem ostendis, nihil iis nocere posse, qui charitatis sunt participes. At de aliis, qui propter admissa sua charitatem amiserunt (de quibus magis attinebat loqui) nullam inducis probationem. Quæres omnem argumentationem tuam prorsus inualidam reddit: Nam de iis & non de illis firmari necesse fuit, quòd excommunicatio nullum inferat animæ nocumentum.

1. Cor. 5. *At inquies: Paulus adiecit, vt spiritus eius saluus sit in die Domini. Quid tum? An non interea dispendium Corinthius ille passus fuit, etiam in anima? Profectò: Nam etsi Corinthio Paulus hanc intulerit excommunicationem, ob finalem animæ suæ salutẽ (modò Corinthius æquanimiter eã tulisset, et iusta pœnitudine se ipsum emendasset) ipse nihilominùs bonorũ spiritualium, quæ in Ecclesia quotidie multiplicabantur, iacturam interea passus est non modicam. Quòd si per hanc excommunicationem haudquaquam resipuisset, ad maiorem damnationis cumulum tandem ei cõuerteretur. An Christum credis, quando buccellam Iudæ porrexit, id ad detrimentũ Iudæ fecisse? An non potiùs, vt Iudas tanta beneuolentia resipisceret? Et tamen accepta buccella, mox intrauit in eum Satanas ad mali*

Buccellã à Christo accepit Iudas, vt resipisceret.

sui

sui cumulũ. Multò magis hîc, cùm ex instituto Paulus Corinthium ab Ecclesia separauit, & tradidit Satanæ. Nunquid tu non malum putas à Christo separari? Et malum quidem animæ? cùm et hæc inuisibilis vnio secundùm animã potiùs, quàm secũdùm corpus facta sit.

At inquies: Iampridem per peccatum fuit separatus à Christo. Fuit certè nec viuaciter coniunctus, nec tamen penitùs à Christo diuisus. Habuit vtiq; per fidem nonnullam vnionem, quemadmodum & membrum aliquod expers vitæ, quod tamen corpori per neruos & pellem coniungitur, & nonnullo fouetur corporis calore. Ad quem modum & Corinthius ille (priusquàm fuerat excommunicatus) Ecclesiæ per fidem iũgebatur, & per Ecclesiæ bona spiritualia fouebatur nonnihil. Sed postquàm anathematis gladio percussus fuit, haud aliter à communibus Ecclesiæ bonis separabatur, quàm brachium à corpore, si penitùs dissecatum sit, vt nihil ab eo fomenti prorsus suscipiat.

Excõmunicatione traditus iã antea Satanæ, iterũ eidem traditur.

Ex quo nimirum tuus error apertus est, qui negas, excommunicatum anathemate separari, aut Satanæ tradi, sed antè fuisse separatum & Satanæ traditum. Excommunicationẽ verò contendis haud aliud quàm signum illius separationis esse: Sic enim ais sermone tuo de excommunicatione quarto loco: Excommunicatio iusta est, significat potiùs animam esse Diabolo traditã & Ecclesiæ communione spirituali priuatam, quæ refertur super eũ, qui peccato mortali seipsum priuauit cõmunione charitatis, & Diabolo seſe tradidit.

Lutherus sermone de excommunicatione.

Nos,

Nos, quòd seipsum priuauerit bona parte communionis spiritalis, & quòd aliquousque seipsum Satanæ tradiderit, non refragamur. Quàm diu tamen remansit in corpore, non per excommunicationem omnino separatus, non omni penitùs emolumento bonorum illorum spiritualium caruit, neque omnino in Satanæ venit potestatem.

Quæ duo iam firmabimus. Et primum istud, quod posterius est: Exploratum cunctis esse potest, non fuisse

1.Cor.5. *mentitum Paulum, cùm dixit, se decreuisse in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis Corinthiis, & suo spiritu vnà cum potestate Domini nostri Iesu Christi, quatenus fornicator ille traderetur Satanæ in interitum carnis, vt spiritus eius saluus esset in die Domini Iesu Christi. Non hîc dicit Paulus, quòd sit traditus, sed quòd sit tradendus. Quæ res adhuc dilucidior est apud Timotheum, vbi ait, se Hymenæum &*

1.Tim.1. Hymenæus & Alexander à Paulo Satanæ traditi. *Alexandrum Satanæ tradidisse, vt discant non blasphemare. Si non verè tradidisset eos Satanæ, iam constat falsum dixisse Paulum, qui seipsum asserit hoc feciſſe. Sed & illud, quod sequitur: Nempe vt discant non blasphemare, rem ipsam indicat manifestiùs: Quomodo enim didicissent non blasphemare, nisi per hanc traditionem accepisset in eos Satanas apertiorem aliquam vindicandi potestatem. Sed & Corinthius ille, quem Satanæ Paulus tradidit in interitum carnis, vt spiritus eius saluus fieret, quomodo non iam grauiorem à Satana molestiam incurrerit, quàm antè sit*

Per excommunicationem homo verè traditur Satanæ.

perpessus

perpessus? Palàm est igitur, excommunicationem non solàm significare traditionem factam Satanæ, sed per illam item excommunicatum iam eidem efficaciter tradi.

Porrò quòd ante excommunicationem nemo sit penitùs omnium bonorum spiritualium emolumento priuatus, vel ex eo constare potest, quòd malis etiam profuerit plurimum, inter bonos conuersari: Nam vt bonus potest operibus communicare malignis, quod & D. Ioannes testatur; ita possunt vicissim & mali bonorum operibus aliquousque communicare. Certum est, quando Stephanus pro se lapidantibus exorabat, preces eius Saulo profuisse; quanquam & tunc is esset inimicus Christi, & acerrimus quidem. Quid ergo dicemus? Paulo, cùm infidelis erat ac infidelium socius, Stephani precatio profuit; & fideli cum fidelibus conuersanti, tametsi peccatori, totius Ecclesiæ suffragia nihil omnino conferant? Adiumento quin etiam fuit cuidam mortuo, quòd inter Helizæi fuissent ossa sepultus; quemadmodum in libris Regum scribitur; & nihil adminiculari posset peccatoribus, quòd in medio Sanctorum conuersari sinuntur? Adminiculatur haud dubiè. Veruntamen cùm per excommunicationem abscinduntur à totius Ecclesiæ corpore, iam ab omni bonorum spiritualium ope separantur. In quo separationis malo tam diu perseuerant, quàm diu permanserint in sua pertinacia.

Ante excõmunicationem homo nõ priuatur omni spirituali bono.

2. Ioan. 1.

Actor. 7.

4. Reg. 13.

Excommunicatus ab omni spirituali bono segregatur.

OBIECTIO NOVATORVM VIII.

Incommoda, quæ excommunicato, propter solã excommunicationẽ, eueniũt, obiiciuntur contra Ecclesiæ potestatem & vsum excommunicandi.

Cùm excommunicatus tradatur Satanæ, vt ab eo faciliùs & liberiùs torqueatur: Nam etsi propter peccatum ante excommunicationem iam sit in Dæmonis potestate, quia seruus Dæmonis per peccatum est factus; tamen per excommunicationem maiorem in eo habet Dæmon potestatem, vt faciliùs pro sua libidine illum torquere possit: Ante excommunicationẽ enim etsi per peccatum charitatẽ amiserat, quapropter Christo non est viuaciter coniunctus; non tamen ab eo est prorsus separatus; quoniam per fidem nonnullam habet vnionem: Quemadmodum membrum aridum, vt arens vita, quod corpori per neruos & pellem coniungitur, & aliquantulo fouetur corporis calore. Et propter hanc fidem & coniunctionem particeps est orationum communium, quæ ab Ecclesia fiunt. Et propterea Dæmon non tantam potestatem in eum habet, vt pro sua libidine illum vexet; quoniam resistit virtus reliquorum membrorum, quibus est per fidẽ coniunctus. Post excommunicationem verò destituitur hoc auxilio, & à corpore magis separatur; & sic Dæmon potest eum faciliùs quàm antea torquere.

Cùm etiam excommunicatus separetur ab aliorum communi conuictu & contubernio, ita vt illis nec loqui videamur, nec illos hospitio recipere: Paulus enim ait: Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cũ huiusmodi nec cibũ sumere etc.

Et ad

Et ad Thessalonicenses: Quòd si quis nõ obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur. Et beatus Ioannes ita dicit: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis: Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Ecce prædixi vobis; vt in die Domini non confundamini. Ex his Beati Ioannis verbis apertè constat, excommunicatum esse priuatum beneficio hospitalitatis & familiari aliorum hominũ colloquio. 2. Thess. 3. 2. Ioan. 1.

Cùm, in quam, tanta incommoda excommunicato propter solam excommunicationem eueniant, crudelis videtur esse Ecclesia & tyrannica, quòd tam sæuo supplicio fideles punit, ideoque non mirum, quòd Ioannes Vvicleff eam censuram Antichristi appellare non dubitauit.

RESPONSIO CATHOLICA.

Præstigiæ istæ sunt hominum à via Veritatis aberrantium; quæ ipsæ tamen statim euanescunt, cùm ostenderimus ex sacris literis, Ecclesiam Catholicam dubio procul habere potestatem excommunicãdi. Tribuit autem hanc ei, cùm apud Matthæum ait: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Matth. 18. Ecclesiã habere potestatem excommunicandi.

Ethnicus & Publicanus. Quid autem est dicere: Sit tibi sicut Ethnicus? Idē certè est ac si dixisset: Nullam prorsus cum eo habeto communionem; quoniam communio cum infidelibus est Christianis interdicta. Vnde

1.Cor. 6. *Paulus ait: Quæ pars fideli cum infideli? Et Beatus*

2.Ioan.1. *Ioannes ait: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non habet, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis: Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Ecce prædixi vobis, vt in die Domini non confundamini. Quod ergo fuit populo Israël Chananæus, hoc est homini Christiano homo infidelis.*

Matth.18. *Cùm ergo dixit: Sit tibi sicut Ethnicus; idem est, ac si dixisset, cum illo non esse communicandum.*

Sententia excōmunicationis rata est in cœlo.

Vt autem sententiam Ecclesiæ excommunicantis aliquem ratam & firmam esse nullus dubitaret, addit: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis: Quæ verba

Matth.18.

Hieron. in commenta. super Matt. cap. 18.

exponens Hieronymus ait: Quia dixerat: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus; & poterat contemptoris fratris hæc occulta esse responsio, vel tacita cogitatio: Si me despicis, & ego te despicio: Si tu me condemnas, & mea sententia condemnaberis: Potestatem tribuit Apostolis, vt sciant qui à talibus condemnantur, humanam sententiam Diuina sententia roborari; & quodcunque ligatum fuerit in terra, ligari pariter in cœlo. Hæc Hieronymus. Vides hîc Hieronymum tribuentem Ecclesiæ potestatem

potestatem excommunicandi, & hoc non ex suo cerebro (quemadmodum Hæretici faciunt) sed ex verbis Euangelij, quæ de illa potestate censet esse intelligenda.

Hieronymo consentit Chrysostomus, qui exponens illa Matthæi verba, ait: Vide qualiter duplicibus colligauit necessitatibus, & pœna, quæ hîc est, scilicet proiectione ab Ecclesia: Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus; & supplicio futuro, quod est esse ligatum in cœlo. Hæc Chrysostomus. Chry. super Matt. ca. 18

Christianus Druthmarus idem dicit, & ferè eisdem verbis, quibus Hieronymus; ideo non fuit opus ea repetere; sed satis est indicasse lectori. Christianus Druthmarus super Matth.

Eandem etiam sententiam docet Vrbanus Papa & Martyr in epistola de communi vita & oblatione fidelium: In ea enim epistola postquàm inhibuit, ne Ecclesiæ facultates caperentur in alios vsus conuertendæ, & cuicunque diripienti excommunicationem minatus, ne talem excommunicationem aliquis vilipenderet, ait: Quòd autem Sedes Episcoporum in Ecclesiis excelsæ constitutæ & præparatæ inueniuntur, vt thronus, speculationem & potestatem iudicandi & soluendi atq; ligandi à Domino sibi datam materiam docent. Vnde ipse Saluator in Euangelio ait: Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. Et quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Et alibi: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum Matth. 18. Ioan. 20.

retinueritis, retenta sunt. Ideo ista prætulimus, charissimi, vt intelligatis potestatem Episcoporum vestrorum, in eisque Dominum veneremini, & eos, vt animas vestras diligatis, & quibus illi non communicant, non communicetis, & quod eiecerint, non recipiatis. Hæc Vrbanus Papa & Martyr, cuius epistola habetur in eo Volumine, in quo sunt omnium Conciliorum Decreta coaceruata. Hos autem Doctores citauit, vt videat Lutherus, qualiter illum Euangelij locum sacri Doctores sint interpretati, ex illo colligentes, Ecclesiam habere potestatem excommunicandi.

Prelati quo modo debeant vti potestate excommunicandi.

Verùm etsi talem potestatem Prælati Ecclesiastici habeant; non tamen debent illam temere & pro leuissima culpa infligere: Quoniam cùm sit acerbissima punitio, nullus ea pœna plecti debet, nisi pro crimine lethali, nec pro quolibet tali, sed (vt patet ex contextu literæ Euangelicæ) pro solo illo, cui est admixta pertinacia. Vnde Leo Papa huiꝰ nominis primus in epistola ad Episcopos per Viennensem prouinciam constitutos, quæ est 67, sic ait: Nulli Christianorũ facilè communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitriũ Sacerdotis, quod in magni reatus vltionẽ inuitus & dolens quodãmodo debet animus vindicantis: Cognouimus enim pro commissis & leuibus verbis quosdam a gratia cõmunionis exclusos, & animã, pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tã sæui supplicij sanctitatem, et inermẽ quodammodo exutam omni munimine, Diabolicis incursibus, vt facilè caperetur, obiecta.

Certi

Certè si quando causſa talis emerſerit, vt pro commiſſi criminis qualitate aliquem iuſtè faciat communione priuari, is tantùm pœnæ ſubdendus eſt, quem reatus inuoluit, nec particeps eſſe debet ſupplicij, qui conſors non docetur commiſſi. Hæc Leo Papa. Ex cuius verbis multa ſunt, quæ poſtmodum annotabuntur.

Quod autem noſtro propoſito ſeruit, eſt, Excommunicationem non eſſe irrogandam alicui, niſi pro culpa, eáq; graui: Priùs enim, quàm aliquis excõmunicetur, diſcutienda eſt criminis qualitas. Quòd ſi in eo crimine inuentus fuerit, corrigẽdus eſt & omnibus viis ad pœnitentiam inducendus. Et ſi monitiones contemnens pœnitere noluerit, nec ad rectam tramitem redire, tũc meritò excommunicandus erit, vt vel ſic confuſus & erubeſcens reſipiſcat: Nam hic eſt vnus finis, propter quem aliquis excommunicari debet, propter ſuam, excommunicati videlicet, vtilitatem. Vnde B. Paulus de Corinthio illo loquens, qui cum nouerca ſua coibat, ſic ait: Iudicaui tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vides qualiter traditur Satanæ, vt ſcilicet ſpiritus ſaluus ſit. Et in epiſtola ad Timotheum dicens, aliquos circa fidem naufragium paſſos eſſe, ſubdit: Ex quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare. Et in epiſtola ad Theſſalonicenſes ait: Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur.

Excommunicatio non eſt irroganda, niſi pro graui culpa.

1. Cor. 5.

1. Tim. 1.

2. Theſſ. 2.

Excommunicationis vtilitas.

Primò ergò per excommunicationem prospicitur ipsius excommunicati vtilitati, vt videlicet cùm viderit se à communione fidelium eiectum, vel sic confusus pœniteat malè actorum: Sæpissime namq; compertum est, quòd excommunicatione aliquis coactus, emendauerit, quæ priùs malè gesserat. Cuius rei plurima possint adferri exempla: Illud omnium maximum

Hist. tripar. lib. 9. ca. 30. Theodosius Imperator ab Ambrosio excommunicatus.

est, quod narratur de Theodosio Imperatore, qui ob crudelem multorum hominum cædem Thessalonicæ illius iussu factam, ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo excõmunicatus est, & ab ingressu Ecclesiæ prohibitus. Hanc Excommunicationem Imperator patienter tolerans, eò quòd iustè sibi inflictam cognouit, octo continuis mensibus ab ingressu Ecclesiæ abstinuit, domiq; manens, fletibus & gemitibus pœnitentiam pessimi sceleris agebat, veniamque à Domino postulabat. Quod Ambrosius plenè cognoscens, post illos octo menses Ecclesiæ communionem illi dedit: Propter hoc autem factum nunquam Imperator fuit aduersus Ambrosium etiam aliis irritantibus indignatus; imò postea de hac re Ambrosium Constantinopoli laudauit. Multum certè profuit Theodosio Excommunicatio illa, quæ illum ad peccati sui cognitionem adduxit, & illius pœnitentiam agere coëgit: Felix enim est necessitas, quæ nos ad meliora perducit.

Excõmunicatio medicinalis quãdo sit.

Et propter hanc causſam vocatur Excommunicatio medicinalis; quia finis eius est mederi peccatori, morbo peccati laboranti: Erit namq; medicinalis Excommunicatio,

nicatio, si eam non contempserit, sed potiùs confusionem suam aspiciens, emendet, quæ malè priùs egerat. Si autem contemnens Excommunicationem, pœnitere negligat, tunc Excõmunicatio non est illi medicinalis, sed lethalis. Verùm etsi lethalis sit; non tamen propter hoc Excommunicatio reuocanda est; quoniã Excommunicans non solùm consulit vtilitati ipsius Excommunicati, sed etiam incolumitati totius reliquæ communionis: Quia enim vnum pecus morbidum inficit omne pecus; ideo pecus infectum sequestratur, ne reliquas attactu suo inficiat oues.

Pastor excommunicans, an sit crudelis cẽsendus. Amb. lib. 2. de off. c. 27.

Nec propter hoc pastor iudicatur crudelis, sed pius; imò crudelis & secors & ignauus esset censendus, si hoc non faceret. Vnde beatus Ambrosius sic ait: Cum dolore amputatur etiam, quæ putruit, pars corporis, et diu tractatur, nisi potest sanari medicamentis; si non potest, tunc à medico bono abscinditur. Sic Episcopi affectus bonus est, vt optet sanare infirmos, serpentia auferre vulcera, adurere aliqua, non abscindere, postremò quod sanari non potest, cum dolore abscindere. Hæc Ambrosius. Non ergo (vt Lutherus obiicit) crudelis est censenda mater Ecclesia, eò quòd filium suum tam sæuo supplicio punit, quia ad filij vtilitatem facit; quam si filius contempserit, consulit incolumitati aliorum, quia videlicet mauult, & rectè, vnum perdere, quàm omnes.

Ex his ergo omnibus satis patet, Ecclesiam habere potestatem excommunicandi, & in quos, & propter

quem finem talis excommunicatio est exercenda.

Vniuersalis consuetudo excommunicandi.

Præter hæc omnia ad eandem rem confirmandam, non paruum, imò maximum pondus habet totius Vniuersalis Ecclesiæ antiqua consuetudo, quæ per scripta & Decreta summorum Pontificum & sanctorum & doctissimorum cognoscitur. Deinde plurium Conciliorum Decreta hodie extant, quibus dicitur: Si quis tale aut tale fecerit, excommunicetur, aut priuetur communione, aut anathema sit; quod idem est.

Concilium Constant. sess. 8.

Postremò in Concilio Cõstantiensi condemnantur 45. assertiones Ioannis Vuicleph, quarum vna est hæc: Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi priùs sciat, eum esse excommunicatum à Deo; & qui sic excommunicat, est Hæreticus ex hoc, vel excommunicatus. Et alia assertio eius ita habet: Excommunicatio Papæ & cuiuscunque Prælati non est timenda, quia est censura Antichristi. Quæ propositiones cum aliis eiusdem vnà super omnes lata sententia damnatæ sunt.

OBIECTIO NOVATORVM IX.

Ecclesiæ potestas in cõpellẽdis hæreticis oppugnatur: Quòd videlicet nihil prosit eos cogere ad fidem. 2. Cor. 9.

Nemo ad id cogendus est, ex quo nullam potest consequi vtilitatem. Ex bono autem, quod quis coactus facit, nullum meretur à Deo recipere præmium: Nam Apostolus, cùm Corinthios ad eleemosynas hortaretur, ait: Vnusquisque det, prout destinauit in cordẽ suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: Hilarem enim datorem diligit Deus. Ex quo datur intelligi, quòd qui inuitus dat, & rem perdit, & meritum.

tum. Ecclesia ergo non habet potestatem Hæreticos cogendi ad Catholicam fidem.

RESPONSIO CATHOLICA.

Huic obiectioni respondet Beatus Augustinus, sic inquiens: Si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare monetur Pater in Scripturis sanctis filium durum non solùm verbis corripere; sed etiam latera eius tundere, vt ad bonam disciplinam coactus, ac domitus dirigatur? Vnde idem Salomon dicit: Tu percutis eum virga; animam autem eius liberas à morte. Si autem mala voluntas suæ semper permittenda est libertati, quare corripiuntur negligentes Pastores, & dicitur eis: Errantem non reuocastis, perditum non inquisistis? Et vos oues Christi estis, characterem Dominicum portatis in Sacramento, quod accepistis; sed erratis, & peritis. Non ideo displiceamus; quia reuocamus errantes, & quærimus perditos: Meliùs enim facimus voluntatem Domini monentis, si vos ad ouile eius redire cogamus, quàm consentiamus voluntati errantium, vt perire vos permittamus. Hæc Augustinus.

Augustinus Epist. 204. Item Epist. 50. ad Bonifacium. Eccli. 30.

Prouer. 23.

Voluntas mala, non est permittenda suæ libertati. Ezech. 24.

Sed quia in his verbis Augustinus absolutè & sine vlla distinctione videtur, vt omnis, sine vllo discrimine, possit ad quodlibet bonum cogi; ne quis ex verbis illius malè intellectis decipiatur, admonere decreui lectorem, vt intelligat, non omnes iustè posse cogi ad fidem, sed considerandam esse illius, qui cogitur, qualitatem.

Si quis

An & quis ad fidem Christi cogi possit.

Si quis nunquam fidem Christi susceptit in Baptismo, sicut sunt Iudæi, aut Sarraceni, aut Pagani; is certè non est minis & terroribus compellendus ad fidem; quia credere voluntatis est. Si quis verò fidem iam semel in Baptismo susceptit, & postea eam deseruit, quemadmodum Apostatæ & reliqui Hæretici faciunt; is meritò compellendus est, vt fidem, quam semel susceptit, teneat.

Ratio discriminis, cur Hæretici possint, infideles autẽ nõ debeant cogi ad fidem.

Ratio autem huius discriminis est; quia iure naturæ quisq; obligatur, vt, quod semel promisit, reddat; & sic ex eodem iure oritur, vt potestas publica possit illum cogere ad promissa seruanda: Licet enim cuiq; liberum sit aliquid promittere, vel non promittere; tamen postquàm illud promisit, iam non est in eius potestate seruare promissum, vel non seruare: Nam per promissionem suam se subdidit potestati publicæ, vt possit ab ea, ad seruandum promissum compelli. Idem prorsus dicendum est de voto & redditione voti: Vouere siquidem libertatis est; reddere autem necessitatis. Ad primum quidem nemo cogitur; ad alterum verò iustè quisq; compellitur. Iudæis, & Sarracenis & cæteris infidelibus liberum est fidem velle suscipere, vel non suscipere. Liberum dico, non quidem ad beatitudinem consequendam; ita vt sine fide possint vitam consequi sempiternam, sicut cum ea: Sed liberum dico, quo ad publicam humanam potestatem; sed quia non sunt in hoc publicæ potestati subiecti, vt possint ad fidem Catholicam suscipiendam compelli. Postquam

Infidelibus quomodo liberum sit fidem suscipere.

quàm autem iam fidem in Baptismo susceperunt; quia tunc se illam in posterum seruaturos promiserunt; meritò ad id, quod susceperunt, tenendum, & quod promiserunt seruandum, compelli possunt.

Hæc nostra sententia confirmatur autoritate Concilij Toletani quarti, quod in capite suorum Decretorum 56. postquàm definierat, Iudæos & Sarracenos, non esse ad fidem Catholicam cogendos, ita ait: Qui autem iam pridem ad Christianitatẽ venire coacti sunt, sicut factũ est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti; quia iam constat, eos Sacramentis Diuinis associatos, & Baptismi gratiam suscepisse & Chrismate vnctos esse, & corporis & sanguinis Domini extitisse participes; oportet, vt fidem, quam etiam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur. Hæc Concilium Toletanum. Quæ verba habentur in volumine Decretorum, in cap. de Iudæis. 45. dist. Ex quibus verbis clarissimè patet, Hæreticos esse ad fidem Catholicam, quam deseruerunt, cogendos.

An sit vtile, Hæreticos cogi ad fidem.

Quod autem obiiciunt, neminem esse cogendum ad id, ad quod inutiliter cogitur, fateor. Sed nunquid Hæreticus inutiliter cogitur ad fidem suscipiendam? Minimè: Quia multiplex ex hac compulsione succedit vtilitas. Prima est ipsius Hæretici emendatio; quæ ex punitione facilè oriri potest; quoniam sæpe aliquid timore incipitur, & tandem perfecto amore finitur, &

tunc,

tunc; vt Beatus Ioannes ait, perfecta charitas foras mittit timorem.

An coactio ad fidem faciat fictos Christianos.

Sed obiiciunt, multis ista non prodesse; sed per tales pœnas multos fictos Christianos fieri, qui etsi publicè se dicant fidem tenere, mente tamen negant. Huic obiectioni ego, iuxta Beatum Augustinum, respondeo, quòd non ideo contemnenda est medicina; quia aliquorum insanabilis pestilentia per illam non sanatur: Non est enim vitium medicinæ, sed morbi; cùm ea, quæ aliis morbis medicina succurrit, alicui eiusdem generis morbo non medetur. Deinde etiam si aliquibus huiusmodi compulsio ad salutem non prosit; non tamen ideo inutilis censenda est; quia tunc publica consideranda vtilitas, quæ multò maior est, quàm priuata: Nam per talem punitionem cohibentur Hæretici, ne suas hæreses publicè prædicent & doceant; & sic sua pestifera doctrina totã Rempublicam inficiant: Magna siquidem est totius Reipublicæ vtilitas, si illa à pestiferis Hæreticorum doctrinis immaculata custodiatur. Vnde colligimus, melius esse, hoc est, minus malũ, occultos Hæreticos tolerare, quàm publicos permittere: Quia hi per effrenatam licentiosamq; audaciam multò nocentiores fiunt, quàm illi, qui timore pœnæ veluti freno quodam cohibiti, in publicum prodire non audent.

Hæreticos argumentis non pœnis ad fidem cogendos, obiicitur contra potestatẽ Ecclesiæ.

OBIECTIO NOVATORVM X.

Hæretici verbis & rationibus conuincendi sunt: Non debet ergo Ecclesia Christi eos pœnis & afflictionibus ad

uibus ad fidem cogere. Consequentia nota est: Assumptum verò probatur: Quia Beatus Petrus docet, debere nos omnes esse paratos reddere rationem omni poscenti de ea, quæ in nobis est, fide. 1. Petri. 3.

RESPONSIO CATHOLICA.

Fatentur Catholici, bonũ esse priùs Hæreticos verbis admonere, & rationibus illos, iuxta cuiusq; Hæretici conditionem, applicandis, de sua hæresi conuincere. Sed quia multi sunt adeò pertinaces & indurati, vt citiùs frangantur, quàm emendentur, opus est circa illos id agere, quod beatus Isidorus ait: Qui blãdo verbo (inquit ille) castigatur, & non corrigitur, necesse est, vt acriùs arguatur. Cum dolore abscindenda sunt, quæ leniter sanari non possunt. Hæc ille.

Pastor, qui videt lupum inuadentem gregem ouium, vocibus primò contra illum clamat, vt vel sic illum à grege arceat: Et si vocibus illum minimè deterreri conspicit, baculo, & funda, & gladio, & sagitta, si opus est, illum aggreditur, vt à grege propellat, & sic oues illæsas custodiat. Pastores sunt Ecclesiæ Prælati, qui vigilant per subditos, tanq; super oues sibi cõmissas, pro quibus sunt Deo reddituri rationem. Lupi autem, qui his ouibus maximè nocent, Hæretici sunt, de quibus Saluator noster apud Matthæum ait: Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium; intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. Et Paulus in Actibus Apostolorum Hæreticos appellauit lupos, sic inquiens: Scio, quoniam intrabunt post Matth. 7. Actor. 20. Hæretici lupi, quomodo ab Ouili Ecclesiæ per Pastores arcendi sint.

post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Ne igitur Hæretici aliis noceant, oportet illos tanquam lupos rapaces flagellis & fustibus percutere, si admonitione blanda non compescuntur. Coguntur medici multas & varias perquirere medicinas, cùm vident, vsitata & communia remedia non proficere; & quò magis increscunt morbi, ei efficaciora sunt quærenda antidota, quæ illos ab humano corpore citiùs & meliùs propellere valeant. Bonum certè & optimum salutis medicamen circa Hæreticos ad fidem reducendos est lenitas & mãsuetudo, per verba monitoria & sermonum blanditias. Cùm verò hoc pharmacum, ob induratam Hæreticorum malitiam, nihil illis prodesse cognoscitur, debent hi, quibus talium morborum est cura commissa, asperioribus in illos & acerbioribus vti medicamentis. Nam Dominus & Redemptor noster Iesus Christus totius lenitatis & mansuetudinis exemplar, facto ex funiculis flagello, numularios omnes è tẽplo eiecit, oues quoq; & boues eorum, æs illorum effudit, & mensas subuertit. Si hoc numulariis fecit, multò acerbiorem se Hæreticis præstitisset; quoniam multò grauius Hæreticorum, quàm numulariorum est peccatũ, & multò plùs Hæretici, quàm numularij Ecclesiæ nocere possunt.

Ioan. 2.
Matth. 21.
Lucæ. 19.
Marc. 11.

OBIECTIO NOVATORVM XI.

Perfecta viuendi forma, quam Christiani omnes tenere debent, in sacro Euangelio, & in Pauli & ceterorum

terorum Apostolorum epistolis plenissimè cõtinetur. Euangelium autem & Apostolorum epistolæ non docent, Christianos debere Principum fauorem contra Hæreticos implorare, neq; Principes debere molestiam aliquam Hæreticis inferre. Ergo Principes, qui Hæreticos puniunt, & qui ad hanc punitionem Principum fauorem implorant, sicuti facit Ecclesia, contra Christi & Apostolorum doctrinam faciunt.

Scripturam non docere, Principum secularium fauorẽ contra Hæreticos esse implorãdum, obiicitur.

RESPONSIO CATHOLICA.

Huic obiectioni dupliciter respondeo. Primò quidem nego, nullam esse in sacro Euangelio, & in Apostolorum epistolis, de Hæreticorum punitione doctrinam: Nam Christus Saluator noster de fratre peccatore reprehenso & non emendato loquens apud Matthæum, ait: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Et paulò antè dixit: Væ homini illi, per quem scandalum venit: Expedit enim ei, vt suspendatur mola asinaria ad collum eius, & demergatur in profundũ maris. At nulli sunt, per quos grauius nascatur scandalum, quàm per Hæreticos. Expediens igitur est, vt suspẽdatur mola asinaria ad collum eius, & demergatur in profundum maris. Et Paulus Apostolus præcepit, Hæreticum hominem semel & iterum admonitum fore ab hominum consortio deuitandum. Et Galatis scribens satis apertè insinuat, Hæreticos ab hominum communione propellendos, sic inquiens: Vtinam abscindantur, qui vos conturbant. Nulli autem sunt, qui grauiores & magis noxias turbationes inter fideles excitent, quàm Hæretici; qui

Matth. 18.

Ibidem.

Sacræ literæ pœnas decernunt in Hæreticos.

Tit. 3.

Galat. 5.

nouas quotidie fingunt doctrinas, quibus Dei populum ab vnitate fidei separare contendunt.

Cur contra Hæreticos initio Ecclesiæ non fuerint decretæ pœnæ.

Deinde etsi in sacro Euangelio, aut Apostolorum Catholicis epistolis nulla de Hæreticorum punitione reperiretur aperta doctrina; non tamen ideo consequens est, illorum punitionem non esse iustam: Quoniam tunc consultò & ex industria, Hæreticorum punitio tacita fuit, ne fides sacri Euangelij humanæ tribueretur potentiæ: Nam cùm ea, quæ fide creduntur, omnem humanum superent intellectum, oportebat fidem Euangelij Diuinæ ascribere virtuti, & non humanæ sapientiæ aut potẽtiæ. Propter hoc Christus Saluator noster primos Discipulos suos, per quos fides Euangelij prædicanda erat, non sumpsit Philosophos, aut alios viros doctos; sed simplices, & idiotas & prorsus illiteratos. Ita etiam, ne eadem fides humanæ imputaretur potentiæ, oportuit fidem hanc non per Imperatores, aut Reges, aut Duces, aut quoslibet alios mundi potentes; sed per homines pauperes, & infirmos & impotentes per totum orbem prædicari.

Quãdo contra Hæreticos cœptæ sint pœnæ decerni.

Postquàm autem iam semel per totum orbem fides Euangelij fuerat prædicata, & Principes terræ, vnificæ crucis vexillum portantes sub Christi nomine militare cœperunt, & Diademata Regum obedientiæ fidei se subdiderunt, iam tunc oportuit ipsam fidem cõtra Hæreticos, acerbissimos eiusdem fidei hostes, Regum & Principum armis foueri, & eorum autoritate & maiestate consolidari: Quemadmodum enim olim Dauid, licet Rex erat, & ex mandato Dei per Samuelem Pro-

2. Reg. 2.

lem Prophetam vnctus, patienter expectauit, & mansuetè cum Saule egit, donec Deus Saulem de medio sustulit, quo è vita sublato, Regalia omnia exercuit: Sic etiam Ecclesia non est à principio potestate gladij materialis in suos subditos vsa; sed cum omni mansuetudine expectauit, donec Deus iugo suo colla Regum terræ subderet.

OBIECTIO NOVATORVM XII.

Exemplum Apostolorũ obiicitur cõtra Ecclesiæ potestatem puniendi Hæreticos.

Apostoli & alij Proceres Ecclesiæ, qui in principio nascentis Ecclesiæ, fidem Catholicam verbo & exemplo perfectissimè docuerunt; quamuis multi tũc erant Hæretici, videlicet Simon Magus, Menander, Saturnius, Cerdon, Ebion, Cerinthus, Martion, Valentinus aliiq; plures, quos enumerare non est opus; nunq; tamen leguntur Principum terræ fauorem, aut auxilium contra Hæreticos imploraſſe, neq; ab illis petiisse, vt Hæreticos pœna aliqua punirent, qua illos ad Catholicam fidem redire compellerent. Non licet igitur Ecclesiæ nunc fauore Principum Hæreticos persequi; aliôquin discedet longissimè ab Apostolorum imitatione, quod maximè reprobandum est.

RESPONSIO CATHOLICA.

Cur in primitiua Ecclesia Principum secularium auxiliũ non fuerit imploratum contra Hæreticos.

Hanc obiectionem (vt testatur Augustinus super Ioannem) opposuerũt Donatistæ Hæretici contra Catholicos, qui Principum fauore iam tunc Hæreticos persequebantur: Sed hanc obiectionem facilè refellit Beatus Augustinus, dicens: Quòd in principio nascentis Ecclesiæ ideo Apostoli & eorum successores non petierunt Principum fauorem contra Hæreticos; quia nullus

nullus tunc Imperator, aut Rex obedierat Euangelio, nullus tunc fidem Christi Redemptoris nostri susceperat. Sub illis quidem temporibus Principes Romani fuêre Nero, Domitianus, Traianus, Decius & alij similes crudeles Tyranni, qui omnes fidem Catholicam acerbissimè sunt persecuti. Nondum tunc impletũ fuerat, quod Spiritus sanctus per os Dauid prædixerat: Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Et iterũ: Et adorabunt eum omnes Reges terræ; omnes Gentes seruient ei. *Quomodo Apostoli, & qui illos proximè sunt secuti, fauorẽ & auxiliũ tunc peterent ab illis, quos sciebant esse fidei Christianæ apertissimos hostes? Non enim tam stupidi & dementes erant Apostoli, vt ab his, quos optimè nouerant fidem Catholicam ardentissimè persequi, fauorem pro eiusdem fidei tutela contra Hæreticos peterent. Quòd ergo Apostoli & illorum proximè vicini, non petierunt fauorem Principum contra Hæreticos, non fuit, quia Hæretici non fuissent punitione digni; sed quia gladius Gentilium Principum & Imperatorum nondum seruiebat Euangelio.*

Psalm. 2.

Psalm. 71.

Brachiũ seculare quãdo cœptum sit inuocari contra Hæreticos.

Postquàm autem Imperatores sacro Baptismate sunt abluti, & Christo nomina dederunt, & de eius nomine gloriari cœperunt; iam tunc Christiani fauorem Principum contra Hæreticos petere non dubitârunt: Nam à magno Constantino viri Catholici in Concilio Nicæno petierunt auxilium, quò possent Hæreticos extirpare; quorum petitioni piissimus Imperator

perator libentissimè annuit, & sic Arrium cum suis assecl's damnauit exilio; quia fidem Nicæni Concilij nolebat recipere. Theodosius Imperator puniuit Hæreticos Manichæos priuatione omnium bonorum suorum; priuauitq; illos omni hæreditaria successione. Horum exempla secuti alij Imperatores & Reges Christiani, varias successu temporum contra Hæreticos leges ediderunt; vt per legum seueritatem, insanam Hæreticorum audaciam compescerent. Imperatorum decreta cõtra Hæreticos.

Hac etiã de caussa (vt Augustinus ait) cùm multi ex Septuaginta Discipulis à Domino & Saluatore nostro discessissent, & arbitrio suæ malæ & impiæ discessionis ille eos permisisset, cæteris duodecim, qui permanserant, dixit: Nunquid & vos vultis abire? Hoc quidem tunc Saluator noster fecit; quia, quamuis magnam haberet tunc etiam potestatem, qua vti potuisset illos puniendo et compescendo; priùs tamen elegit commendare humilitatem: Tunc enim spretus erat Christus, & nondum adorabant illum Reges terræ, neque Gentes seruiebant ei, quemadmodum de illo Propheta Regius prædixerat. Quæ Prophetia quantò magis impletur, tantò Ecclesia Christi sponsa maiore vtitur potestate, vt non solum inuitet; sed etiam compellat ad bonum: Nam homo ille, qui cœnam magnam fecerat, cùm illi, qui ad eam inuitati fuerant, venire recusassent, ait seruo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis; & pauperes, ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc; & ait seruus: Domine factum est, vt imperasti; &

Ioan. 6.

Psal. 71.

Lucæ. 14.

adhuc locus est. Et ait Dominus seruo: Exi in vias & sepes; & compelle intrare, vt impleatur domus mea.

Compelle intrare.

De his, qui primò venerant, dictum est: Introduc eos. De posterioribus verò dictum est: Compelle eos intrare. Quod primis dictum est, ad illa tempora referri debet, in quibus fidem Catholicam Reges & Principes terræ nondum susceperant: Tunc enim quilibet arbitrio suæ voluntatis dimittebatur. Quod posterioribus dictum est, posteriora respicit tempora, quando gladius Regum & Imperatorum seruire cœpit Euangelio. Et in his temporibus, non solùm inuitari debent Hæretici, sed compelli, vt fidem Catholicam, quam semel in Baptismo susceperunt, corde credant ad iustitiam, & ore confiteantur ad salutem: Quam nobis omnibus pro meritum Christi concedat Deus Pater omnipotens misericors. Amen.

Rom. 10.

Præsentem hunc de Catholica Ecclesia insignem tractatum diligenter legi. Et quoniam Ecclesiæ maiestatem veritatemque à falsis aduersariorum calumniis egregiè vindicat; ad Catholicorum pleniorem instructionem, multorumq; dificationem, atque ipsorum hæreticorum grandiorem confusionem vt typis publicè in lucem edatur, dignissimum iudico. Quod hac propriæ meæ manus attestatione & subscriptione, omnibus & singulis testatum facio.

Rodolphus Clencke Doctor Theologiæ, iurium Licentiatus, & Professor ordinarius manu propria.

ERRATA.

Folio 1. pag. 1. lin. 18. lege, Fundauit enim eam Deus.
Eod. fol pag. 2. lin. 17. Christianis, lege Christianus.
Fol. 91. pag. 2. lin. 5. omnis, lege annis.
Fol. 120. pag. 2. in vlt. marg. Ioan. 20. lege Ioan. 10.
Fol. 122. pag. 1. in marg. 1. Cor. 1. lege 1. Cor. 14.
Fol. 138. pag. 1. lin. 10. Valentino, lege Valentiniano.
Fol. 148. pag. 2. in marg. Psal. 232. lege 132.
Ead. pag. in marg. Iudith 20. lege Iudicum 20.
Fol. 171. pag. 1. lin. 15. Bernardinos, lege Franciscanos.
Fol. 181. pag. 2. lin. vlt. limite, lege limitem.
Fol. 188. pag. 2. lin. 21. cui lubeat: Latinis, lege cui lubeat ductam retinere: Latinis.
Fol. 189. pag. 1. lin. 2. copulantur. Istius, lege copulati perseuerare possunt. Istius.
Folio eod. pag. 2. lin. 20. Constantinopolitanæ, lege Constantinopolitana. Item lin. 22. nolebat, lege nolebant.
Fol. 232. pag. 1. in marg. Rom. 12. lege Rom. 8.
Fol. 248. pag. 1. lin. 17. doctissimus, lege docti sumus.
Fol. 268. pag. 1. lin. 13. alligauit lege allegauit. Ibid. lin. 21. Eccleſiæ, lege Eccleſia.
Fol. 272. pag. 2. lin. 7. & agnoscimus, lege agnoscimus. Et lin. 15. agimus, lege aimus.
Fol. 273. pag. in marg. quampo, lege quando.
Fol. 274. pag 2. lin. 21. vigeat, lege videat.
Fol. 284. pag. 1. in marg. priuile, lege priuilegium.
Fol. 291. pag. 2. lin. 24. Vt ita tẽpote, lege vt ita eo tempore.
Fol. 292. pag. 2. lin. 2. tempote Antichristi, lege tempore Antichristi erit.
Fol. 298. pag. 2. lin. 25. varietas, lege veritas.
Fol. 299. pag. 1. lin. 1. Eccleſiæ, lege Eccleſia.
Fol. 302. pag. 2. in marg. idololatriæ, lege idololatria.
Fol. 305. pag. 2. lin. 8. Nullas, lege Nullos.
Fol. 306. pag 1. lin. 4. occasione, lege occasiones.
Fol. 309. pag. 1. lin. 24. quis, lege qui.
Fol. 335. pag. 1. in duobus marg. in libro, lege in libros.
Fol. 338. pag. 1. lin. 13. quæstiones, lege quæstionis.
Fol. 340. pag. 1. lin. 11. etiam, lege & iam.
Fol. 342. pag. 2. in 1. margin. incitandi, lege in citandis. Et lin. 15. Ac, lege At.
Fol. 346. pag. 1. lin. 6. quæ, lege qui.